



ATA

3617



N. 26524

R. 15225

RELECTIONES THEOLOGICÆ

R. P. Fr. FRANCISCI VICTORIÆ,
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ
Professoris Eximii, atque in Salmanticensi
Academia quondam Cathedræ primariæ
Moderatoris, Prælectorisque
incomparabilis.



A PRODIGIOSIS, INNUMERABILIBUSQUE VITIIS, QUIBUS
aliæ editiones plenæ erant, summa cura repurgatæ.

*Opus omni eruditione, & pietate refertum, omnibus tam jure
consultis, quàm Theologis imprimis utile.*

RELECTIONUM SERIEM SEQUENS PAGELLA INDICABIT.

Accessit copiosissimus materiarum Index.

Matriti.



Anno 1765.

CON LICENCIA: En la Oficina de Manuel Martín, y á su costa,
calle de la Cruz, donde se hallará.

RELECTIONES
THEOLOGICAE

R. P. F. FRANCISCI VICTORII
Ordinis Praedicatorum, Sacrae Theologiae
Professoris Publici, ac in Schola
Academiae quondam Cathedralis primariae
Moderatoris, Praelectorisque
incomparabilis.



A. M. D. C. C. C. L. V. (1755)
Alia editiones sunt, sed haec est optima.

Quae omnia ex libris et scriptis restant, omnibus tam sine
censura, quam Theologiae impunita erit.

LECTIONUM SERIEM SEQUENS FACILIA INDICABIT.

Accessit copiosissimus notarum Index.



Martin

Anno 1765.

CON LICENTIA: In Oratione de Mandel Martin, p. 2 in colli,
coll. de la Croix, d'onde le ballin.

COLENDISSIMO VIRO,
SAPIENTISSIMO DOMINO,

PERILLUSTRI HEROI,

ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO

EMMANUELI A RODA, ET ARRIETA,

SUPREMI SENATUS A CONSILIIS:

Regni Status à Secretis : Gratiaë, atque

Justitiaë negotia pertractanti.

ILL. ^{ME} D. ^{NE}



*N*ationum omnium inolevit mos, ad Numinis genium victimæ momentum conformare. Marti arma, fulgura Fovi, Mercurio litteras arridere negabit nemo: Sacrificium, et si justitiæ debitum, ut voluntatis tamen assentatio maximè viget. Nulla meos traxit petulans audacia sensus, Illustrissime Domine, ut Illustrissimæ Dominationi vestraë hoc opus

offerrem; sed quia Te justitiæ, & gratiæ dotibus
ornatum, sapientiæ fulgoribus resplendentem, vir-
tutibus præditum, zeli infatigabilis munere deco-
ratum, non tantum orbis caput, sed & nunc Hispa-
nia tota miratur. Ad tuas ergo suspenditur aras
sapientissimi P. M. Fr. Francisci à Victoria aureum
opus, qui Victoriæ titulum haud solum, rem imò in-
ter sui temporis Scriptores assequutus, lauream,
triumphum meritissimus reportavit. Qui (Sapien-
tissimus ejus discip. Magist. Cano lib. 12. de Loc.
cap. 5. ista profert) Academias Hispanas insig-
niter ingenio suo, & doctrina illustravit:
adeòque nostris hominibus & spectabiles, &
amabiles reddidit, ut in eas certatim non
modò confluxerint, sed irruerint. Is, is est,
de quo merito dubitare possemus, nùm potiùs per-
fecti Theologi, quam utriusque juris peritissimi
nomine decorare debeamus. Vir deniquè (cætera si-
lebo) Victoria est, quem summum Theologiæ
Præceptorem Hispania singulari Dei munere
accepit, ut docet, qui suprâ, lib. 12. de Loc. cap. 1.
Nil mirum ad Te, litterarum centrum, quietem,
litteratorum assylum, refugium; tutissimarumque
doc-

doctrinarum defensorem, protectorem; conatu maxi-
mo tendere librum, Teque quaeritare Patronum,
dum in lucem prodire satagit. Suscipias igitur,
quaeso, Illustrissime Domine, qua soles humani-
tate; qua poles benignitate hoc exiguum, grati ani-
mi mei, observantiaeque erga Te, mea testimo-
nium. Ardentissimis interim precibus à Deo Opti-
mo Maximo exposcere non desinam, ut Te per
longam annorum seriem sospitem, atque supersti-
tem ad communem, absolutamque Reipublicae uti-
litatem servet: atque ad oppressorum innocentum
levamen custodiat. Vale, & in aeternum vive.

ILL.^{MX} DOMINATIONIS VESTRAE

Additissimus, obsequentissimus Servus

Emmanuel Martin.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Ignacio Estevan de Igareda, Escribano de Camara del Rey nuestro Señor mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico., que por los Señores de él se ha concedido licencia à Manuel Martin, Impresor en esta Corte, para que por una vez pueda reimprimir, y vender el Libro intitulado: *Relecciones de Fr. Francisco de Victoria*, del Orden de Santo Domingo, que diò à luz Fr. Alonso Muñoz, del mismo Orden, con tal de que sea en papel fino, y buena estampa, y por el exemplar, que sirve de original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma, guardando en la reimpression-lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste, lo firmè en Madrid à ocho de Agosto de mil seiscientos sesenta y tres.

D. Ignacio de Igareda.

ERRATAS.

PAG. 43. lin. penult. aliquibes, *lege* aliquibus. Pag. 76. lin. 11. Prælatorem, *lege* Prælatorum. Pag. 122. lin. 26. qui, *lege* quam. Pag. 135. lin. 17. hrobari, *lege* probari. Pag. 321. lin. 1. fottasse, *lege* fortasse. Pag. ibid. lin. 23. intellitur, *lege* intelligitur. Pag. 343. lin. 10. proportionabi irer, *lege* proportionabiliter. Pag. 345. lin. 35. actui, *lege* actus. Pag. 355. lin. 34. n. 7. Satisfacere, *lege* Sacrificare. Pag. 414. lin. 2. aquanimiter, *lege* æquanimiter. Pag. 420. lin. 7. illæ, *lege* ille. Pag. 433. lin. 31. commutotiones, *lege* commutationes. Pag. 441. lin. 27. traslatio, *lege* translatio. Pag. 454. lin. 4. aureoaum, *lege* aureorum. Pag. 537. lin. penult. facultetem, *lege* facultatem. Pag. 544. lin. 14. y *lege* &.

Emmanuel Martin.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Ignacio Estevan de Igareda, Escribano de Camara del Rey nuestro Señor mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico., que por los Señores de él se ha concedido licencia à Manuel Martin, Impresor en esta Corte, para que por una vez pueda reimprimir, y vender el Libro intitulado: *Relecciones de Fr. Francisco de Victoria*, del Orden de Santo Domingo, que diò à luz Fr. Alonso Muñoz, del mismo Orden, con tal de que sea en papel fino, y buena estampa, y por el exemplar, que sirve de original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma, guardando en la reimpression-lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste, lo firmè en Madrid à ocho de Agosto de mil setecientos sesenta y tres.

D. Ignacio de Igareda.

ERRATAS.

PAG. 43. lin. penult. aliquibes, *lege* aliquibus. Pag. 76. lin. 11. Prælatorem, *lege* Prælatorum. Pag. 122. lin. 26. qui, *lege* quam. Pag. 135. lin. 17. hrobari, *lege* probari. Pag. 321. lin. 1. fottasse, *lege* fortasse. Pag. ibid. lin. 23. intellitur, *lege* intelligitur. Pag. 343. lin. 10. proportionabi irer, *lege* proportionabiliter. Pag. 345. lin. 35. actui, *lege* actus. Pag. 355. lin. 34. n. 7. Satisfacere, *lege* Sacrificare. Pag. 414. lin. 2. aquanimiter, *lege* æquanimiter. Pag. 420. lin. 7. illæ, *lege* ille. Pag. 433. lin. 31. commutotiones, *lege* commutationes. Pag. 441. lin. 27. traslatio, *lege* translatio. Pag. 454. lin. 4. aureoaum, *lege* aureorum. Pag. 537. lin. penult. facultetem, *lege* facultatem. Pag. 544. lin. 14. y *lege* &.

Emmanuel Martin.

BIBLIOPOLA

CHRISTIANO, ET CANDIDO LECTORI
optimam mentem.

CUM R. P. Fr. Francisci Victoriæ, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professoris Eximii, atque in Salmanticensi Academia quondam primariæ Cathedræ Moderatori Relectiones, Christiane Lector, Matriri recudendas susceperint Virorum doctorum instantia, qui ex tot editionibus in lucem usque editis, sed magna ex parte mendosis, unam puram, ac nitidam, omnibusque numeris absolutam, anxie desiderabant, ut horum votis facerem fatis, solerti Theologo, Authorisque lectione non parum versato corrigendas tradidi, qui, ut conscius sum, ad manus habuit, inter alias editiones Typis datas Salmanticæ annó 1565. cura & labore R. P. Fr. Alphonsi Mugnozi ejusdem Ordinis Alumni, discipulique prædicti Magistri Victoriæ, Lugduni expensis Petri Landry 1587. Venetiis apud Juntas 1640. Coloniae, & Francofurti 1696. in omnibus non parva menda inveniuntur, ut me etiam tacente; Lector cognoscere potest; sed cum magna diligentia prædictus R. P. Alphonsus Mugnozius editionem Salmant. excuserit, ut ipse in Epistola ad Lectorem refert, & quæ errata irreperiant vitio Typographorum, vel alio casu, jam ut in plurimum in editione Colon. & Francofurt. emendata legebantur, exemplar Salmantianum ut Typis darem, præsentem habui, & si quæ erant corrupta (nam certè erant plurima) ex aliis exemplaribus suprâ relatis, præcipuè Colon. & Francofurt. possibili diligentia fuerunt emendata; sed quantum operæ, & laboris in editione hac nova Matririensi sit positum, credere vix Lector poterit, nisi editionem nostram cum Salmanticensi, & Colonienti, cæterisque aliis conferat. Et si nescius non sim, quod aliqua corrigenda adhuc Lector animadvertat, incuria, vel inciticia nostra, vel fortè negligentia Correctoris, qui omnia providere, & pernoscere nequivimus, levissima tamen erunt, nostris ergo fuere nobiscum laboribus, & ex hac doctrina tam certa, tam solida, tam utili, & necessaria, tamque sublimi, & excelsa, ut fama Authoris prædicat, doctior, & melior evade. Matriri anno 1765.

VALE.

TOMUS PRIMUS.

	Potestate Ecclesiæ Relectio prior.	Pag. 1.
	Potestate Ecclesiastica Relectio posterior.	66.
	Potestate Civili.	109.
De {	Potestate Papæ, & Concilii.	137.
	Indis prior Relectio.	183.
	Indis posterior, sive de Jure belli.	247.
	Matrimonio.	281.

TOMUS SECUNDUS.

	Augmento charitatis.	325.
	Temperantia.	355.
	Homicidio.	387.
De {	Simoniam.	423.
	Magia.	484.
	Eo ad quod teneatur homo cùm primum ad usum rationis venit.	528.

VITA

R. P. Fr. FRANCISCI DE VICTORIA,
Ordinis Prædicatorum, à P. Jacobo Echard,
ejusdem Familiæ, conscripta Tom. II. operis
cui titulus : Scriptores Ordinis Prædicato-
rum, pag. 228. edit. Paris. 1721.

Franciscus de Victoria, Hispanus, Vir ævi sui celeberrimus, quem Academia Hispanæ Theologiæ Scholasticæ, illius nempe accuratioris, ac splendidioris apud suos parentem, ac insequentium Præceptorem, ac Mystagogum uno ore prædicant, & agnoscunt, tot encomiis ab eruditis exornatur, ut non novum ei elogium condere, sed inter tot quasi certatim conjectas in eum laudes seligere, is unus demum labor nobis sit. Clariorum Virorum de eo testimonia pro ratione instituti nostri, quam brevius fieri poterit, referemus, seu potius delibabimus, ubi quid de ejus actis chronologicè, quod à nobis potissimum exigitur, dictum fuerit. Cantaber itaque ille gente fuit, ac Victoriæ Civitate Alabæ principe primam lucem vidit ad senium vergente sæculo xv. circa annum MCCCCLXXX, unde & ei agnomen adhæsit pro more. A parentibus Burgos commigrantibus puer etiamnum eo deductus, liberalibus disciplinis sub optimis magistris imbuendus traditus est, nec parum pro ingenii solertia inter sodales excelluit. Ibidem adolescens ordini nomen dedit exemplum secutus natu majoris fratris germani sui Didaci de Victoria, jam in eodem professi : ac post tyrocinium quibusdam

¶

apud

apud suos exactis Philosophiæ, ac Theologiæ annis, ad Aca-
demiam Parisiensem visus est Patribus juxta antiquum mo-
rem, qui tunc adhuc servabatur, pro ratione Provinciæ suæ
amandandus, ceu qui commilitonibus longè eminentis non
exiguam de se expectationem faceret. Tum Lutetiæ in gym-
nasio Sanjacobeo recens Congregationi Hollandiæ dictæ ag-
gregato, ac florentissimo Sacras Litteras publicè profitebatur
Fr. Petrus Crockart de Bruxellis vulgò dictus, (qui ex artium
in Academia Professore celebri, ac Nominalium opinionibus,
quas sub Joanne Major imbiberat, additissimo, repente mū-
tatus non solùm Thomismum, sed & vestem Dominicanam
induerat) maximoque auditorum & Fratrum & extraneorum
concurſu, nec minori plausu, ac fructu S. Thomæ Summam
interpretabatur. Hunc Magistrum nactus Franciscus noster,
non autem Joannem Mayor, ut putavit Stanislaus Felic Co-
loniensis in suis ad historiam Concilii Tridentini Authore Pa-
lavicino notis num. 51. pag. 96. neque enim, quod obiter
notandum, sodales nostri Sanjacobei Parisienses alios quam
ex Ordine Magistros unquam audiverunt, quos semper habue-
re omni exceptione majores, mirum quantos ille sub eo præ-
ceptore fecerit in scientiis divinis progressus. Hinc à Colle-
gii Patribus, ac Rectoribus Capitulo Generali Januariæ anno
MDXIII. habito ad gradus designatus promovendus pro anno
MDXVI. extraneis debito ad legendas in magnis scholis sen-
tentias assignatus fuit, idque anno MDXV. in Cap. Gen. Nea-
polit. confirmatum. Cujus vi decreti revera legit, docuitque
cum plausu, & exactis facultatis habemus de ultima Sorbo-
nica respondisse vigesimum primum anno MDXX. ac licentiæ
suæ locum sextum obtinuisse xxiv. Martii MDXXI. stylo ve-

teri, novo MDXXII. Suos exinde ad Hispanos reversus, Pinciae primum clarere coepit, in gymnasio Sangregoriano nostro primarius Regens institutus. At mortuo Fr. Petro, ut scribit Fernandez, sed verius Paulo Legionensi à xx. circiter annis, scilicet à MDVII. ad MDXXVI. primariae Cathedrae Salmantinae Moderatore, ejus locum adversus æmulos contendentes, quorum plures erat magni nominis, praesertim quidam Lusitanus Margallo dictus Vir ingentis litteraturæ, & famæ, disputatione, ac communi totius Academiae voto reportavit. Qua in specula positus, mirum quanto eam scholam lumine perfudit, adeo ut eam jacentem hactenus vixque notam primus erexisse censeatur, & ad eam qua deinceps fulsit ubique terrarum existimationem, & gloriam provexisse. Veram enim quam Parisiis didicerat docendi rationem sectatus, Theologiam Scholasticam non jejune, non inculte ut aliàs, sed erudite, & ornatè tractabat, eam ex historia Ecclesiastica, & ex Sanctorum Patrum fontibus adhibito severiori criterio locupletans, ac oratione puriori, berrisque elegantioribus explicans, sic ut non solum omnes in admirationem raperet, sed & administrationem sui provocaret. Ne tam excellentis Theologi verba inventum abirent, tum primum in ea Academia, & in cæteris Hispaniæ deinceps inductus est, qui in Parisiensi à reformatione Tuttavillana anno MCCCCLIV. constitutus fuerat, mos, lectiones Professorum, quæ aure tenus antea, jam etiam scripto excipiendi: quo factum est, ut multiplicatis quos per annos viginti dictaverat tractatibus, eosdem ipse prælo mandare neglexerit: unde plures ejus Thesauris ditati, eosdem majori cum fiducia in suos alveolos derivarunt. Magistri sapientiæ non exiguum testimonium reddunt discipuli Docto-

res in Ecclesia fulgentissimi, & in universis Academiis nominatissimi, inter quos Melchior Cano, Dominicus Soto, Bartholomeus de Medina, saltem sub ultimis illius annis, & alii plures, nec præceptori ingrati, quicquid in eis suspiciebatur doctrinæ ad eum tanquam ad fontem ex quo hauserant ingenuè referentes. Sic enim Canus de Loc. Theolog. lib. 12. cap. 1. postquam Franciscum de Victoria dixit, quem summum Theologiae Præceptorem Hispania Dei singulari munere accepit, hæc addit: Nimirum, inquit, si doctrinam meam approbet quispiam, quæ utinam eruditorum opinione digna esset: si in rerum judicio prudentiam, quæ utinam esset digna nostro cognomine; si orationis cultum, quem elegantiozem adhibere soleo, quam consueverunt Scholastici in libris suis: in hoc sumus docti, prudentes, & faciendi, quod virum hunc rerum earum omnium ducem optimum sequimur, atque ejus præceptis, monitisque paremus. Hocque caput ita concludit: Tantum faciam ut efficiam ne cum omnia à præceptore mihi harum rerum principia suppeditata sint, ipse mihi præceptori item meo videar defuisse. Hujus enim clarissimi viri eruditionem memoriæ prodimus, atque ei etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamque referimus. Quamquam postulo ab iis, qui hæc in manus sument, ut majus quiddam de Magistro meo, quam quantum à me exprimi potest, suspicentur. Quo sane nihil magnificentius dici potest. Sed & Bartholomæus de Medina in Epistola nuncupatoria Commentarii sui in primam secundæ S. Thomæ non minus illustre eidem scripsit elogium. Ab eo enim Sacræ Theologiæ restaurator dicitur, cui debent Hispaniæ, quod veram Theologiæ methodum illas docuerit, &c. Hic est, inquit, qui omnia Scholasticorum placita incredibili diligen-

tia perluſtravit, ut ſi quæ inveniret contra D. Thomæ doctrinam pugnare, eique quodammodo adverſari, ſumma cura, & ope adniteretur convellere, & deſtruere. Sed & ipſe eſt, qui varia doctrinarum ſuppellectile ornatus, Dialecticæ, Philoſophiæ, Sacræ Scripturæ, & ſcientiæ Sanctorum cognitione inſtructus, omnia hæc ſubſidia ſibi comparavit, ut D. Thomæ doctrinam augetet, locupletaret, illuſtriorẽque redderet. In illius enim ævo emanaverunt putei aquarum, &c. Mitto his ſuffragantes cæteros Ordinis Scriptores, Dominicum Bañez in 2. 2. S. Thom. q. 1. art. 7. dub. 2. arg. 3. Joannem Marieta, *Vidas de los Santos*, fol. 204. A: Luſitanum, Fernandez, Joannem Lopez Hiſt. part. 4. pag. 289. Razzium *Huomini illuſtri*, pag. 305. Altamuram ad 1546. Sed non omittendi extranei, quos adulationis non inſimules. A Matamoro Hiſpalenſi acriori, ac ſeveriori ſuorum Hiſpanorum cenſore in ſua *De Academiis, & doctis viris Hiſpaniæ narratione apologetica*, edit. Francofurt. pag. 817. dicitur Franciſcus noſter *Vir excellens, divinus, incomparabilis, Inſtituti Dominicani ſplendor, decus & ornamentum Theologiæ, exemplar antiquæ Religionis*. Nicolaus Clenardus de eo dicere ſolebat: *Neminem ſe noſſe, ne ex iis quidem, qui omnem ætatem in Latinis litteris triviſſent, cujus ipſi tam placerent Epistolæ, quàm Victoriæ, qui ſi animum aliquando ad ſcribendum appelleret, orbem univerſum fama ſui nominis occuparet*. Joannes Vaſæus, qui hæc refert in ſuo Chronico T. 1. Hiſp. Illuſtr. edit. Francofurt. pag. 585. ſic de eodem loquitur: *Atque hic mihi lacrymæ juſto dolore proſiliunt, Lector amice, quod venerabilem, & mihi perpetua recordatione colendum Fr. Franciſcum à Victoria Sacræ Theologiæ, dum in vivis ageret, Salmanticæ Profeſſorem primarium, in hoc Cathalogo ponere non*

liceat. Antequam enim ipsum instituti mei certiozem facerem, ipsum, inquam, cujus arbitrio regebar, consilio nitebar, in cujus benevolentia acquiescebam, presentis vite calamitatibus perfunctus, in Sanctorum contubernium, ut ego quidem persuasum habeo, translatus fuit. Qui si vixisset, dictu mirum, quantum subsidii conatibus meis attulisset. Erat enim eruditione incredibili, lectione penè infinita, iudicio exactissimo, memoria exprompta, ut quoddam nature miraculum merito videretur. Gratuletur sibi S. Dominici illustris, ac Religiosa Familia, quod talem nacta sit virum, quo nescio equidem, an à multis annis habuerit Sacre Theologie peritorem, quod ipse quoque testatum fecisset, si tam fuisset scribendi cupidus, quam erat egregiè peritus: illud certo sine scrupulo mihi videor affirmare posse, neminem fuisse multis annis tota Hispania omnium bonarum artium, ac totius humanitatis doctiorem. Sed & Navarrus æqualis vir ille laudatissimus egregiè commendat Enchiridii, seu Manualis ubi de Contritione cap. 1. num. 35. Quocirca, inquit, recreat nos audivisse Fr. Franciscum à Victoria Virum profecto piissimum, clarissimumque Doctorem, qui Hispanias rara illa sua Theologica eruditione sacramentali præsertim, & morali præ suis antecessoribus illustravit, &c. Et cap. 16. num. 19. Justum & rationi consonum videtur nobis id, quod dicitur asseverasse ille celeberrimus juxta ac doctissimus, sapientissimusque Doctor Fr. Franciscus à Victoria Gymnastes primæ functionis in Sacra Theologia resolutissimus Academiæ Salmanticensis, cum nos etiam in eadem, functionis ejusdem essemus in Sacris Canonibus, &c. His addas Bellarminum, Possevinum, Miræum, Andræam Schotum, Labbeum, & alios succinentes omnes. Obiit Vir summus Salmanticæ anno Domini MDXLVI. die XII. Augusti, apud nos.

nostros ibidem sepultus, Academia universa parentante, primariis facultatum feretrum de more deferentibus. Non abs re à Matamoro citato Franciscus noster velut alter Socrates, sed Christianus exhibetur: nam non secus ac vetus illæ Academicæ sectæ Princeps, Platonisque & similium Præceptor, sic iste ut se quicquam vivo suorum operum in lucem exire permitteret nunquam adduci potuit, eos contentus nactum esse discipulos, quorum in cordibus sua sic sensa insculpserat, ut ea & verbo & scripto posteris mandare & communia reddere possent, quod & plures Magistri gloriæ potius quàm suæ studiosi, grati fecerunt. Quædam tamen sub ejus nomine à suis collecta typis prodierunt, quæ sequuntur:

1. *Relectiones XII. Theologicæ in duos libros distinctæ: quorum hæc argumenta: 1. De Potestate Ecclesiæ. 2. De Civili Potestate. 3. De Potestate Pontificis, & Concilii. 4. De Indis & jure belli. 5. De Matrimonio. 6. De Augmento charitatis. 7. De temperantia. 8. De Homicidio. 9. De eo ad quod tenetur perveniens ad usum rationis. 10. De Arte Magica. 11. De Simonia. 12. De silentii obligatione.* Lugduni, Jacobi Boyerii 1557. Salmanticæ 1565. Inglostadii 1580. Iterum Lugduni, Petri Landry 1586. & 1587. cui ultimæ editioni præfixa vita Authoris, atque nihil historicum affert, nisi eum virum toto orbe conspicuum fuisse sub Carolo V. Imperatore, fuisseque discipulis ceu Pythagoram, ut ejus una satis esset eis auctoritas Magistri, & apud Reges, & Principes tantæ ponderis, ut in gravioribus ejus sententia consiliumque avidè peteretur, ut in causa divortii Henrici VIII. Regis Angliæ, & Catharinæ conjugis. Quæ altera Lugdunensis editio apud nos erat aliàs, sed pro priori elegantiori mutata. Illæ omnes in 8. at & recen-
tio-

tiozem laudat Antonius in Bibl. Hisp. Antuerpiæ 1604. in 12.

2. Quædam instructio vulgari Hispano *Confessionario* inscripta, Salmanticæ, Matthiæ Gast. 1562. in 12.

3. *Consejo sobre si los Señores pueden vender, ò arrendar los oficios, como Escribanias, y Alguacilazgos.* Ex Authoris M.S. à Fr. Didaco de Zuñiga, Hispano, Ordinis Hieronymiani erutum, ac in lucem editum Salmanticæ 1552. ad calcem operis sui, cui titulus: *Instruccion, y refugio del animo, y conciencia escrupulosa, y temerosa de Dios,* ibidem, Juntæ 1552. in 8.

4. *Commentaria in universam Summam S. Thomæ de Aquino,* quorum, quæ in 1. partem, & in 2. 2. dicunt M.S. in Bibliot. Altempiana Romæ servari: omnia verò item M. S. in Bibliothecis variis Hispaniæ manu Discipulorum excepta. Et idem testantur de Commentariis in iv. libros Sententiarum.

5. *Secundam secundæ S. Thomæ à Fr. Petro Crockart de Bruxellis recensitam, ac illustratam typis edi curavit* Franciscus noster tum juvenis Parisiis agens, & eidem Petro Magistro suo nuncupavit, Parisiis, Claudii Chevallon 1512. in 4. Gothico caractere. Quæ fuit prima hujus secundæ secundæ editio Parisiensis.

6. *Summa Sacramentorum Ecclesiæ ex doctrina R. P. Fr. Francisci Viçtoris Ord. Præd. Pincii* 1561. in 8. Ibidem 1565. Romæ 1567. Venetiis 1569. Antuerpiæ 1586. 1594. & 1610. Turnoni, Antonii Chard 1629. in 12. pp. 451. Compendium est ejus scripti in librum iv. Sententiarum, quod Discipulus ejus Fr. Thomas de Chaves ex ore dicentis, & prælegentis exceperat, & in eam brevem formam contraxit, additis in altera editione multis quæstionibus ex Sanctorum Conciliorum decretis præsertim Tridentini, quæ in priori desiderabantur.

REVERENDI PATRIS

Fr. FRANCISCI A VICTORIA,
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theolo-
giæ in Salmanticensi Academia quon-
dam Professoris primarii Relec-
tio prior.

DE POTESTATE ECCLESIAE,
super illum locum Matth. 16. *Tibi dabo*
claves Regni Cælorum.

S U M M A.

1. *Ecclesia, dictio Græca, quid significet, & de ejus va-
ria interpretatione.*
2. *Ecclesia, & Synagoga an sint idem, & in quo dif-
ferant.*
3. *Synagoga, quid & unde deducatur.*
4. *Ecclesiam nostram quare Apostoli nunquam dixerint
Synagogam, sed semper Ecclesiam.*
5. *Acceptio varia nominis Ecclesia.*
6. *Hæretici an sint membra Ecclesie.*
7. *Hæresis, quid signet. Et unde hæretici dicti.*

DE Potestate Ecclesiæ in præsentiarum disputatu-
rus, de ipso Ecclesiæ nomine, ut paucam prius
præmittam, necesse est, ut intelligatur quid sit id, de
cujus potestate differere constituimus. * Ergo *Ecclesia*,
vocabulum Græcum & nomen est, ἐκκλησία, *as.* conci-
lium, concio, congregatio, & locus ipse, quo con-
venitur, ut etiam capit Lutianus in Dialogo Mercu-
rii,

rii, & Maia. Unde ἐκκλησιαζω, concionor, ἐκκλησιασ-
 concionator. Verbum est ante salutem orbis, id est,
 ante Christianitatem nondum latinitate donatum, si-
 cut pleraque alia Græca fuerunt, nec (quod sciam)
 per ea tempora ab aliquo latinorum usurparum. Sed
 tamen apud christianæ eloquentiæ, & Religionis Pa-
 tres, & Principes frequentissimum, ut videre est apud
 Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum,
 aliosque item clarissimos Authores. Ubi verò Sacræ Li-
 teræ Græcæ habent Ecclesiam, interpretes plurimum
 idem verbum reliquerunt, sed nonnumquam etiam pro
 Ecclesia, aut congregationem, aut concionem verterunt.
 Ut Deuter. ubi nos ita legimus: (1) *Prophetam de gente tua,*
& de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus
tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb,
quando concio congregata est. Septuaginta habent in diem
 Ecclesie ἐκκλησια.

(1)
Deuter. 18.

(2)
Genes. 1.

(3)
Beda expo-
nens illud
Proverb. 5.

(4)
Augustin. in
Psalm. 81.

(5)
Isidor. lib. 8.
Erymol. c. 8.

* Et est idem vocabulum cum Synagoga: significat
 enim συναγωγή congregationem. Unde (2) *congregatio-*
nes aquarum appellavit maria. Septuaginta transtulerunt,
 συναγωγας, Synagogas. Inter quæ tamen duo nomina non
 nihil interesse videtur. Unde Beda: (3) *Pene fui in omni*
malo, in medio Ecclesie, & Synagoga, dicit, Eccle-
sia, & Synagoga Græca nomina sunt, & unam &
eadem rem significant, Latine conventum, scilicet plu-
rimorum adinvicem. Si autem accuratius distinguamus,
Ecclesia, convocatio, Synagoga congregatio dicitur. * Unde
 συναγω, congreco, non convoco, videtur enim dictum,
 ἀπὸ τῆς συναγωγῆς, duco, traho. Et Augustin. super illud:
 (4) *Deus stetit in Synagoga Deorum, id est, populorum*
Israel: Ipsorum proprie, inquit, Synagoga dici solet,
*quamvis & Ecclesia dicta sit: * sed nostram Apostoli Syna-*
gogam nunquam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive
discernendi causa, sive quòd inter congregationem, aut
Synagogam, & convocationem (unde Ecclesia nomen acce-
pit) aliquid distet, quod scilicet congregari & pecora so-
lent, ac ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimus,
Convocari est magis utentium ratione, ut sunt homines. (5)
 Idem Isidorus, ut notetur scilicet irrationalitas Judæorum.

Quam.

Quamvis autem Ecclesia, si rationem nominis aspicias pro quacumque hominum congregatione accipi possit: tamen in sacris literis sive novum, sive vetus testamentum revolvatur, non invenies (quantum puto) nisi pro * concione, aut congregatione fidelium, id est, unius religionis aliquo modo, sive bonorum, sive malorum. Quamvis in illis ipsis locis satis appareat esse alias Ecclesias præter Ecclesias fidelium. Dicitur enim Ecclesia Sanctorum, & Ecclesia Dei, & Ecclesia Israel, & (1) *Odivi Ecclesiam malignantium.*

(1)
Psalm. 149.

6 Sed hoc etiam modo loquendo de Ecclesia * dubitari potest, an hæretici sint de Ecclesia. Et quidem esse de Ecclesia videntur, quia Ecclesia judicat de illis, ut patet, cum excommunicet, & ad iudicium pertrahat, & tamen nihil ad Ecclesiam de his, qui foris sunt. (2) *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* Item tenentur præceptis Ecclesiæ. Item Baptismus est Sacramentum Ecclesiæ, & hæretici sunt verè baptizati. Item, ut postea disputabitur, hæreticus potest esse non solum Presbyter, sed Pontifex etiam Summus, ergo caput Ecclesiæ, & per consequens membrum Ecclesiæ. Certè licet disputatio non videatur ad rem multum attingere, sed potius ad nomen ipsum: sed videtur in sacris literis, & apud vetustiores non accipi Ecclesiam, nisi pro congregatione fidelium, atque adeò hæreticos non censerì intra Ecclesiam.

(2)
2. Corinth. 5.

7 * Hæresis sanè electionem, aut sectam, vel divisionem signare videtur, ut Isidorus dicit: (3) ergo hæretici idèò videntur dicti, quod ab Ecclesia divisi, & secti sunt. Item, (4) dictum est Petro: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: ergo non plus hæretici annumerari in Ecclesia debent, quam Ethnici, & Publicani. Item (5) Apostolus: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma.* Videtur ergo, quòd hæc tria contineant unitatem Ecclesiæ. Item de summa Trinitate, & Fide Catholica firmitè. *Una est fidelis universalis Ecclesia, extra quam nullum omninò salvatur*: ergo infideles non sunt de ista Ecclesia. Cyprianus ad Rogatianum: (6) *Hæc sunt*

(3)
Lib. 8. cap. 3.
Etymolog.

(4)
Matth. 18.

(5)
Ad Ephes. 4.

(6)
Lib. 2. epist. 9.

(1)
Tract. 110. in
Ev. in Joan.
(2)
Ad Galat. 3.

initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum, si de Ecclesia egreditur, si Altare profanum foris collocatur. August. sup. Joan. (1) Propter hanc fidei communitatem omnes unum sumus: juxta illud: (2) Omnes vos unum estis in Christo Jesu. Gloss. id est, in fide Jesu Christi. Et demum Ecclesia nihil aliud videtur significare, quàm Christianam Rempublicam, seu Communitatem, & Religionem. Parum autem refert, an hæretici aliquo jure, aut ratione spectent ad Ecclesiam: certè re, & operibus in Ecclesia non continentur: sicut transfugæ non pertinent ad exercitum, à quo transfugerunt. Nos itaque in hac relectione de Ecclesia, hoc nomine solum utimur, ac loquimur, ut idem sit, quod fidelium communitas, sive respublica.



QUÆSTIO PRIMA.

AN IN ECCLESIA SIT ALIQUA
Dignitas, vel Authoritas Ecclesiastica,
præter potestatem civilem.

S U M M A.

1. Potentia, quæ dicantur. Et quod non sit idem potestas, & potentia.
2. Potestates, quæ potius appellantur, ab Authore recensentur.
3. Ecclesia utrùm præter civilem, & laicam potestatem necessario habeat aliam spiritualem.
4. Potestas ad quid constituatur in Republica.
5. Vitæ sunt duæ, una terrena, altera spiritualis. Et quomodo humana societas non possit sine utraque manere.
6. Claves Regni Cælorum, potestas remittendi peccata, &

excommunicandi, consecrandi, &c. sunt in Ecclesia.

7. *Apostoli Domini quam potestatem, & auctoritatem habuerint in Ecclesia.*
8. *Potestas temporalis, & civilis, est integra apud Paganos.*
9. *Potestas gubernandi scientiam exigit.*
10. *Potestas regia, quamvis contineat omnem potestatem civilem, tamen non habet auctoritatem ad cultum divinum, & ad actiones spirituales.*
11. *Deus quomodo universalis Ecclesiæ duas instituerit dignitates.*
12. *Potestas spiritualis testimonia ex scripturis recensentur.*
13. *Deus ea sapientia, qua constituit in naturalibus, ut inferiora regerentur à superioribus, eadem etiam providit, ut in Ecclesia sua ordo rerum esset æqua dignitates, & officia.*

1 **P**rimum oportet, sicut de nomine Ecclesiæ fecimus, * ita quid per nomen potestatis intelligatur, declarare. Neque enim omnino idem videtur esse potestas, quod potentia. Nec materiam siquidem, neque sensus, imò nec intellectum, aut voluntatem potestates, sed potentias vocamus.* Contra autem magistratus, sacerdotia, & omnino imperia, potestates potius, quam potentias appellant. Ista vocat Paulus: (1) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ergo ut S. Thom. (2) exponit, videtur potestas præter potentiam ad actionem dicere præminentiam quandam, & auctoritatem. Atque adeò quærere, an in Ecclesia sit aliqua potestas spiritualis: perinde est ac si quæreret, an in Ecclesia sit aliqua vis, aut auctoritas ad aliquid spirituale: & hæc an sit alia à civili potestate.

3 * Ad hanc quæstionem, quoniam permultæ, & quidem graves, nobis disputandæ sunt, breviter respondeo per unicam conclusionem. **NECESSE** est in Ecclesia præter civilem, & laicam potestatem esse aliam spirituales. Hæc conclusio probatur: in Ecclesia sunt plures actiones, & variæ non spectantes ad unam potestatem.

(1)

Rom. 13.

(2)

4. dif. 24. q. 1

art. 1. q. 2.

ad 3.

Quæst.

Respondetur
unica conclu-
sione.

(1)
Psalm. 44.

testatem: & aliquæ spectant ad potestatem civilem, aliæ non ad illam, sed ad aliam potestatem, scilicet spiritua-
lem. Unde de Ecclesia dicitur, quod astitit à dextris
Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate. (1) Sed
potestates distinguuntur ex fine, sicut potentia per ob-
jecta. Ergo præter potestatem civilem, oportet ponere
aliam spiritualem.

(2)
1. Petr. 2.

(3)
Rom. 13.

* Secundò probat Durand. in tractatu de origine 4
juris: Potestas constituitur in Republica, ut homines
provocentur ad bonum, & arceantur à malis: juxta
illud: (2) *Potestas est ad vindictam malorum, laudem verò*

bonorum: & (3) Vis non timere potestatem, bonum fac,

& habebis laudem ex illa. Quod si bona quidem ad
quæ homines promoveri deberent, & mala, à quibus
deterri oporteret, spectarent solum ad vitam politi-

(4)
Matth. 6.

cam præsentem, sufficeret certè temporalis, & laica
potestas. Et cum vita fidelium non solum tendat ad fi-

niem, & statum civilem, imò multo impensius, & prin-

cipaliter in bona perpetua, quærendo primum ea jux-
ta Domini consilium: *Primum querite regnum Dei.* (4)

& eam foelicitatem, quam oculus non vidit, neque
auris audivit: timeat præterea mala, & pœnas potius

alterius vitæ, quàm præsentis, nec tam eos qui occi-
dunt corpus, quam eum, qui postquam occiderit, ha-

bet potestatem, & corpus, & animam perdere & mit-
tere in gehennam ignis. (5) Ideò ut homines dirigan-

tur, & provehantur in finem illum super naturalem, &
si forte aberraverint, revocentur in rectam viam, vel

laude, vel præmio, vel timore, vel pœna: necessa-
rium fuit, ut esset aliqua potestas præter civilem.

Hanc rationem eleganter ponit * Hugo: (6) *Dua (inquit) 5*

sunt vitæ: una terrena, alia spiritualis, ut autem utra-

que in justitia servetur, & utilitas proveniat: primum

utique distributi sunt, qui utriusque bona secundum ne-

cessitatem acquirant: deinde alii, qui eam secundum

(5)
Matth. 10. &
Luc. 12.

(6)
De Sacr. p. 2.

præsit spiritualibus ad componendam vitam spiritua-
lem.

6 Tertiò probatur, in Ecclesia * sunt claves Regni Cœ-
lorum. (1) Sed hæc potestas est alia à potestate civili,
quæ certè non habet hujusmodi claves: ergo, &c. Con-
firmatur: in Ecclesia est potestas remitendi peccata,
(2) quæ non est in Rege, nec in alio Magistratu civili:
ergo, &c. Item in Ecclesia est potestas excommunican-
di. (3) Item est potestas consecrandi verum corpus
Christi. (4)

(1)
Matth. 16. &
18.

(2)
Joan. 20.

(3)
Matth. 18. &
1. ad Cor. 5.

7 Quarto principaliter: * Apostoli Domini habuerunt
potestatem, & authoritatem in Ecclesia, ut ex locis
jam inductis, & ex aliis multis constat: ea autem non
fuit civilis, cum regnum eorum, nec potestas fuerit
de hoc mundo: ergo, &c.

(4)
Luc. 22. & 1.
Corinth. 11.

8 Quinto: Apud paganos * est integra potestas tem-
poralis, & civilis, ut aliàs à me probatum est, & satis
constat ex Paulo, (5) ubi jubet esse subjectos Principi-
bus etiam paganis, & apud eos non est potestas Eccle-
siastica: ergo hæc potestas distincta est ab illa. Ultimò:

(5)
Rom. 13.

9 Quia * potestas gubernandi exigit scientiam, juxta
illud: (6) *Ars artium regimen animarum*. Sed Principes
temporales non sunt periti legis divinæ, quam oportet
esse regulam potestatis Ecclesiasticæ. Ergo oportet esse
alios Pontifices, & Præsides sacrorum, quàm Principes
seculares.

(6)
Gregor. in
Pastorali, in
initio.

Item confirmatur: Quia non sufficeret unus, &
idem homo utrumque munus implere, neque utram-
que disciplinam percipere, scilicet administrandi secu-
larem, & ecclesiasticam rempublicam: nec si maximè
utrumque calleret, posset utrique administrationi com-
10 modè intendere, & vacare. Confirmatur apertè: Nam *
regia potestas continet omnem potestatem civilem: hoc
enim importat Rex, ut sit unus supra omnes in repu-
blica: sed Rex non habet authoritatem ad cultum di-
vinum, & ad actiones spirituales. Ergo est alia potes-
tas distincta à potestate civili. Antecedens patet: quia
ad mandatum Domini fuit Saul institutus Rex. (7) *Sa-
muel scripsit legem regni, & scripsit in libro, & repo-
suit*

Confirmatur
pluribus ratio-
nibus.

(7)
1. Reg. 10.

suit coram Domino ; & tamen non est data ei potestas sacerdotalis : imò cum postea Saul in Galgala obtulisset holocaustum propter absentiam Samuelis , vindicata est severissime præsumptio ; & dictum est ei : Stultè egisti , nec custodisti mandatum Domini , quod præcepit tibi : quod si non fecisses , jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. (1) De utraque potestate Pelagius Papa : (2) Duo sunt (inquit) Imperator Auguste quibus principaliter hic regitur mundus, auctoritas sacra Pontificum , & regalis potestas.

Et confirmatur: quia etiam apud Gentiles erant Pontifices, & Sacerdotes, ad quos spectabat administratio sacrorum, & non ad Consules, aut alios Magistratus civiles. Et in c. Imper. (3) *Si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesie, quod ad Religionem competit (discere ei convenit, non docere) habet privilegia sue potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus consequutus est.*

Et in cap. Solita. (4) *Fecit Deus * duo magna luminaria IY in firmamento Cæli : hoc est, universalis Ecclesia duas instituit dignitates.* De utraque in veteri Testamento aperta habemus exempla: & de seculari quidem, Exod. (5) quod Moyse ex electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicarent populum Dei omni tempore. Numer. (6) *Ponantur gradus Summi Sacerdotis Aaron, & minorum Sacerdotum ministrantium. Functique (inquit) sunt sacerdotio Eleazar, & Ithamar coram Aaron.* Et infra: *Dabis dono Levitas Aaron & filiis ejus: quibus traditi sunt à filiis Israel.* In novo autem testamento: (7) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quod de qua potestate intelligendum sit, ipse paulus illic satis ostendit

Et Petrus: (8) *Subiecti estote omni humane creature propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tantquam à Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Quamquam Lyranus de utraque potestate Pauli locum intelligendum censet. Sed de spirituali potestate plura testimonia sunt, quàm vel opus sit, * 12

vel vacet in præsentia recensere: (9) *Pasce oves meas:*

&

(1)
1. Reg. 13.

(2)
Pelag. Papa,
& habet. 96.
dist. cap. Duo
sunt.

(3)
Et in cap. Si
Imperator, ead-
dem distinct.

(4)
De Majorit.
& obedient.

(5)
Exod. 17.

(6)
Numer. 3.

(7)
Rom. 12. &
13. Paul.

(8)
Petr. 1. epist.
cap. 2.

(9)
Joan. ultim.

& Quorum remisistis peccata, &c. (1) Et tibi dabo claves regni Cælorum. Et quodcumque solveritis, &c. (2) Et de Præsbyterorum potestate. (3) Hoc facite in meam commemorationem. Et iterum de ratione constituendi Episcopos, Præsbyteros, Diaconos. (4)

Sed ad majorem declarationem hujus conclusionis arguitur paucis argumentis contra illam. Primò: Multitudo principatum esset mala: (5) ergo non expedit in Ecclesia esse varias, & distinctas potestates, maximè cum Ecclesia sit non solum una respublica, sed unum corpus. (6) Multi unum corpus sumus in Christo. (7) Et sic habere multos Principes, aut Prælatos, videtur quasi habere multa capita unius corporis: quod monstruosum est: ergo potius convenire videretur, ut unus, atque idem res seculares, & Ecclesiasticas administraret.

Secundò: Civilis potestatis finis est reddere, aut constituere homines bonos, & efficere studiosos, id est, virtutibus præditos. (8) Sed hoc satis est ad consequutionem felicitatis, non solum humanæ, & temporalis, sed etiam immortalis, & supernaturalis: ergo frustra comminiscimur aliam potestatem.

Tertiò: Dominus dixit: (9) Ergo liberi sunt filii. Ubi Gloss. In quolibet regno filii Regis liberi sunt. Christiani autem sunt filii Dei: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: (10) ergo sunt liberi: & (11) Si ergo vos filius liberaverit, veri liberi eritis. Et (12) Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Ex quibus locis videtur, Christianos exemptos esse, & liberos ab omni potestate, & subjectione, sed omnes esse æquales, nec alteros dominari, alteros servire, & sic nulla erit auctoritas, vel potestas, saltem jurisdictionis.

Quartò arguitur: In statu innocentie non fuisset aliqua potestas: ergo nec nunc debet esse. Nam Christus redemit nos. Ista sunt argumenta hæreticorum, ac schismaticorum, quibus simplicium hominum corda à debita obedientia, vel Principum, vel Sacerdotum dehortantur, & revocant, resistentes Dei ordinationi ad suam ipsorum damnationem, & perditionem, ut Paulus ait: (13) nec opus erat aliis responsis post tam aperta testi-

(1)

Joan. 20.

(2)

Matth. 16. &
18.Argumenta
adversus con-
clusionem.

(3)

Luc. 22.

(4)

1. ad Thim.

3. ad Thim.

1. Act. 14. &

20.

(5)

Aristot. 12.

Metaphys. &

in lib. Polit.

(6)

Rom. 12.

(7)

1. Corint. 12.

(8)

2. Ethicor.

(9)

Matth. 17.

(10)

Joan. 1.

(11)

Joan. 8.

(12)

1. Corint. 7.

(13)

Rom. 13.

monia scripturarum, quibus illorum vesania aperte retunditur.

(1)

Sap. 7.

Sed quia sapientibus, & insipientibus debitores sumus: Ad solutionem istorum est attendendum, (1) quod dicitur, quod *sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Hoc est enim proprium sapientis*: ut etiam Aristot. tradit: (2) *Ordinate omnia disponere*. Potuit ergo Deus sicut summè sapiens, ita summè potens, sine ullo ordine Principum, & subditorum Prælatorum, & inferiorum omnia quidem gubernare, administrare & sine ulla etiam, si ita voluisset, jactura rerum creaturarum. Sed profectò hoc non erat consentaneum tantæ sapientiæ, & infinitæ providentiæ: sed potius ita componere, ut orbis non rerum cumulus fortè jacentium deforme spectaculum redderetur; sed ut potius corpus quoddam unum, aut ædificium suis partibus, & velut membris constaret, servaretque decorem dignum suo Authore. * Eadem ergo sapientia, 13

(2)

1. Metaphys.

qua constituit in naturalibus, ut inferiora regerentur à superioribus, ut dicitur, (3) & nominatim de sole dicit: & qua etiam in Coelis voluit, ut inferiores Angeli à superioribus illuminarentur: eadem inquam providit, ut in Ecclesia sua ordo rerum, & distributa officia essent, ut alii oculi essent, alii manus, alii etiam pedes, & reliqua in hanc rationem composita. Ut etiam Apostolus dicit elegantissime, ac disertissime in hanc sententiam: (4) *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum autem corpus sunt, sic & Christus, &c.* Nam & ipse Aristot. (5) *Expedire ait in omni multitudine rectè composita, ut aliquis prior sit, cui ceteri pareant, in quo consistit ratio potestatis.*

(3)

1. Metaphys.
& Dionys. 4.
cap. de Divin.
nomin.

Ad primum igitur argumentum respondeo, quòd esset quidem inconveniens, si essent plures Principatus, aut Magistratus, ad eundem finem spectantes ex æquo: quod in proposito non contingit. Nec enim ad eundem finem contendit potestas civilis, & Ecclesiastica, ut supra satis explicatum est. Præterea non ex æquo se habent, sed certo modo una potestas ad aliam ordinatur, ut infra disputabitur.

(4)

1. Cor. 12.

(5) *Expedire ait in omni multitudine rectè composita, ut aliquis prior sit, cui ceteri pareant, in quo consistit ratio potestatis.*

(5)

1. Politic.

Ad primum igitur argumentum respondeo, quòd esset quidem inconveniens, si essent plures Principatus, aut Magistratus, ad eundem finem spectantes ex æquo: quod in proposito non contingit. Nec enim ad eundem finem contendit potestas civilis, & Ecclesiastica, ut supra satis explicatum est. Præterea non ex æquo se habent, sed certo modo una potestas ad aliam ordinatur, ut infra disputabitur.

Resp. ad arg.

Ad primum igitur argumentum respondeo, quòd esset quidem inconveniens, si essent plures Principatus, aut Magistratus, ad eundem finem spectantes ex æquo: quod in proposito non contingit. Nec enim ad eundem finem contendit potestas civilis, & Ecclesiastica, ut supra satis explicatum est. Præterea non ex æquo se habent, sed certo modo una potestas ad aliam ordinatur, ut infra disputabitur.

Ad

Ad secundum etiam aperta est solutio ex superioribus. Non enim tota administratio civilis satis est ad constituendum hominem in statu salutis æternæ, nec sufficit moralis, aut civilis virtus, & bonitas ad vitam æternam, cum, ut reliqua omittamus, necessaria sit fides: (1) *Qui verò non crediderit, &c.* Et Sacramenta etiam semper fuerint aliqua. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, &c.* (2) *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Collatio autem Sacramentorum non spectat ad potestatem civilem, sed ad spiritualem, & Ecclesiasticam. Itaque, sicut oportet justitiam nostram abundare supra justitiam Scribarum, & Phariseorum; (3) ita oportet abundare supra justitiam, non solum paganorum, & hæreticorum, sed etiam bonorum Philosopherum; & sic habere aliquos actus ordinatos in supernaturalia.

(1)

Marc. 16.

(2)

Joann. 6. &
alibi.

(3)

Matth. 5.

De tertio argumento disputabo latius inferius, cum agemus de libertate Ecclesiasticorum. Sed pro solutione in præsentia dico cum S. Thom. & Bonavent. in fine, 2. Sent. (4) quod Christus illic loquutus est de se, & de Discipulis suis, qui omnino erant liberi, vel ratione officii, quod exercebant etiam ex autoritate, scilicet spiritualis potestatis, ratione cujus etiam stipendia illis debebantur, juxta illud: *Si spiritualia vobis seminavimus, multum est ut carnalia vestra metamus.* (5) Vel quia nihil habentes, hac ratione se liberos reddiderant ab omni exactione: nec enim tributum debetur ratione personæ, sed bonorum, nec per subjectionem

14 ad potestatem spiritualem * aliquid deperit de libertate, cum ea tota sit non ad utilitatem potestatis, vel præsentis, sed subditorum.


(4)

2. Sentent.

(5)

1. Corinth. 9.

Ad quartum respondeo, negando assumptum. Quamvis enim non fuissent Magistratus, nec Principes ad cogendum homines timore poenarum, fuisset tamen potestas directiva, & gubernativa, ut potestas paterna, cui tenerentur filii parere. Imo multiplicato humano genere, verosimilius est, futuros aliquos, qui præessent sacris: & sic fuisset aliqua ratio etiam potestatis spiritualis. Sed de hoc etiam statim latius, & S. Thom. 1. part. q. 96. art. 4.



QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM POTESTATIS
Ecclesiasticæ sit aliquis effectus propriè,
& verè spiritualis.

SUMMA.

1. Potestas Ecclesiastica, verè & simpliciter est causa alicujus effectus spiritualis.
2. Potestas Ecclesiastica duplex est. Et de utriusque effectibus. Et quomodo nonnulli hæreticorum ab utraque clave tollunt omnem effectum mere spirituales.
3. Potestas utraque ordinis, scilicet & jurisdictionis, habet verum effectum spirituales.
4. Christus in quantum homo habuit potestatem remittendi peccata, & quomodo sæpè usus fuerit ea, imò & eam tradiderit Apostolis. Et de remissione peccatorum per claves Ecclesie traditas.
5. Error duplex eorum, qui dicunt virtute clavium non verè remitti peccata, sed solum ostendi remissa.
6. Remedia duo efficacia ad remissionem peccatorum à Deo in Ecclesia relicta.
7. Claves Ecclesie, solæ sufficiunt ad salutem, & ad aperiendum Regnum Cælorum, ubi nulla alia via esset apertum.
8. Contritio quid importet.
9. Dolor, quando non dicatur contritio.
10. Dolor, qualis sufficiat ad remissionem peccatorum cum clavibus.

SED quia distinximus potestatem ecclesiasticam à civili ex fine (quia scilicet altera in finem temporalem, ordinata est altera in spirituales) sequitur se.

secunda quæstio: *An potestatis ecclesiastica sit aliquis effectus purè & simpliciter spiritualis.* Ad hanc quæstionem respondeo primò: Dato quòd potestas ecclesiastica nullum haberet hujusmodi effectum spirituale, nihilominus differret à potestate civili, & diceretur potestas spiritualis. Probatur hoc, & ostenditur: nam adhuc haberet finem distinctum à fine potestatis secularis, puta beatitudinem supernaturalem, & cultum divinum, & bonum spiritus, id est animæ: quæ omnia non spectant ad potestatem civilem, sed ecclesiasticam, & inter spiritualia annumerantur.

1. *Quæstio.**Respondetur 1*

1. Secundo pono conclusionem, * quòd potestas ecclesiastica verè, & simpliciter est causa alicujus effectus spiritualis. Pro cujus declaratione est revocanda huc in præsentia illa distinctio Theologorum, de duplici potestate, ordinis scilicet, & jurisdictionis. Duplex * igitur potestas est ecclesiastica, potestas ordinis, & jurisdictionis. Potestas ordinis est in ordine ad corpus Christi verum, scilicet Eucharistiam: jurisdictionis in ordine ad corpus Christi mysticum, id est ad gubernandum populum Christianum in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Sed in potestate ordinis non solum intelligitur potestas consecrandi Eucharistiam, sed disponendi, & idoneos reddendi homines ad Eucharistiam, imò omnia gerendi, quæ ordinantur aliquo modo ad Eucharistiam, ut est consecrandi Presbyteros, & alios ordines conferendi, & in universum omnia Sacramenta administrandi, remittendi quoque peccata, & tandem omnia faciendi, quæ alicui ratione alicujus consecrationis conveniunt: unde etiam potestas ordinis, potestas consecrationis plerumque vocatur. Ad potestatem autem jurisdictionis spectat gubernatio populi Christiani extra Sacramentum, vel consecrationem, vel administrationem: ut est leges ferre, & tollere, excommunicare, dicere jus extra forum poenitentiae, & id genus alia facere.

2. *Conclusio proponitur.*

His præmissis est advertendum, quòd nonnulli hæreticorum ab utraque clave tollunt omnem effectum purè spirituale. Qui enim negant in Eucharistia conti-

Advertendum est.

ne-

neri verum corpus Christi, negant aliquid spirituale confici à Sacerdote consecrante Eucharistiam. Eucharistia enim apud eos non est, nec continet aliquid spirituale, sed symbolum solum est, & signum vel corporis Christi, vel gratiæ. Idem etiam negant Sacerdotem Evangelicum verè remittere peccata, & gratiam conferre; inde etiam à potestate jurisdictionis effectum aliquem spirituales prorsus tollunt, negantes excommunicationem aliquid spirituale auferre ab excommunicato, sed solum communicationem exteriorem fidelium, quæ spiritualis non est.

Sed omissa prima vesania hæreticorum circa Eucharistiam, de qua nunc nihil constitui tractare: de remissione peccatorum, & effectu excommunicationis dicendum aliquid est: nec multis tamen, eo quòd in ordinariis lectionibus locum illum aliquando accuratius tractaverim. Sed quia etiam inter Catholicos Authores sunt, qui potestati ordinis non simpliciter tribuant remissionem peccatorum, vel colationem gratiæ, vel omnino aliquem effectum verè spirituales: atque alii etiam, qui per excommunicationem non concedant tolli aliquid spirituale: ideò repetendo conclusionem, dico, quòd *utraque potestas, scilicet ordinis, & jurisdictionis habet effectum spirituales verum.

An per Sacramentum poenitentia conferatur prima gratia aliquando.

Et primò dico, quòd claves Ecclesiæ, sive auctoritas Ecclesiæ, sive auctoritas Ecclesiastica est causa propriè remissionis peccatorum, & gratiæ. Est autem disputatio eadem cum illa: An per Sacramentum poenitentia conferatur aliquando prima gratia. De qua quæstione licet inter antiquos, & graviore Authores non videatur magnopere dubitatum, apud quos in confesso fuit, virtute clavium nonnunquam peccata ita remitti, ut sine illis non remitterentur: tamen inter recentiores Scriptores non est aut parva, aut parum acris contentio, & dimicatio dicunt enim ex illis quidam, acutiores quidem, & ingeniosiores, quàm par esset in Theologica Philosophia, quòd peccata mortalia remitti nunquam possunt, nisi per contritionem, atque adeo nec virtute clavium unquam peccata remittuntur, aut con-

fer-

fertur prima gratia: non remittuntur inquam in foro Dei, & ut remitti propriè dicat, tolli peccata. Cum quibus aliàs majori studio, & conatu contiximus. Nunc summa sequens fastigia rerum, paucis argumentis arguo pro conclusione nostra, & contra illorum sententiam. Et primò adduco verba Domini: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* (1) *Et quodcumque solveritis super terram, &c.* (2) *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum.* (3)

Ex quibus arguitur sic: Illa verba sunt eadem, quæ ponuntur in nostra conclusione: ergo si illa vera sunt, conclusio nostra vera est. Et confirmatur: Remitti peccata propriè hoc sonat, tolli scilicet peccata, quibus aliquis prius tenebatur: nec certè significat ostendi, aut declarari prius remissa, sicut remittere debitum. Confirmatur secundo: Christus habuit potestatem remittendi propriè peccata ad sensum conclusionis, & potuit eam dimittere Apostolis; sed non aliis verbis apertioribus potuit declarare donationem, aut comissionem illius potestatis, quàm illis, quibus dedit claves: ergo, &c.

4. Quòd * autem Christus habuerit hujusmodi potestatem etiam in quantum homo, certè non est dubitandum. Ipse enim dixit: *Ut autem sciatis, quòd filius hominis in terra habet potestatem dimittendi peccata, ait paralytico, &c.* (4) & *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.* (5) Et certè non solùm habuit potestatem declarandi remissionem peccatorum, sed nec dubito quin usus fuerit illa potestate, cum dixit paralytico: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et cum dixit: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (6) Nec Christus voluit ostendere, ac disputare, aut defendere se habere potestatem declarandi peccata esse dimissa. Eisdem autem verbis, quibus dixit: *Remittuntur tibi peccata,* dixit: *Quorum remisistis peccata.* (7) Eadem enim vis verbi est remittendi, & dimittendi, nisi quòd Latinius fortassis est remittere, quàm dimittere; sed Græcè idem utroque verbum est. Facit & quod eodem loco Dominus præmisit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et statim sequitur: *Accipite Spiritum Sanctum,*

(1)

Joan. 20.

(2)

Matth. 18.

(3)

Matth. 16.

Confutantur opinantes non remitti peccatum mortale per Sacramentum.

Et simul conclusio probatur.

(4)

Marc. 2. Matth. 9. & Luc. 15.

(5)

Matth. 28.

(6)

Luc. 7.

(7)

Joan. 10.

tum, quorum remis. &c. Unde videtur, quòd talem potestatem dedit eis, qualem habuit. Item quid opus erat dare Spiritum Sanctum ad solvendum, vel remittendum peccata in foro Ecclesiæ duntaxat, vel ad ostendendum remissa? Profectò Apostoli per illa verba aliud intelligere non poterant, quàm se veram potestatem remittendi peccata accepisse, nec verò satis intelligi potest, quomodo claves Regni Cœlorum tradiderit Dominus, si (ut isti docent) nunquam Sacerdos Regnum Cœlorum aperit. Quis enim alius usus clavium, nisi ad aperiendam, aut claudendam?

2. Arguitur pro
conclusionem.

Secundò principaliter arguitur: Si enim claves ligare verè possunt, remittere peccata non possunt: non inter privilegia Ecclesiæ, & gratias, sed inter onera potius, & quidem gravissima numerari claves deberent. Quid enim beneficii accepimus, si ratione clavium obnoxii quidem sumus ad peccata confitendum (quod est per molestum) si quando cum peccato ad claves veneris, non modò gratiam, aut remissionem non consequeris: sed (quod isti non diffitentur) novo peccato gravaberis, & teneberis? Quid tantopere hanc potestatem Sancti in Cœlum laudibus efferunt, præconio tollunt? Quid tantum præmium illius insignis confessionis, & fidei Principis Apostolorum, pro cuius remuneratione Dominus ei pollicitus est: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*? Vinculum potius: catenæ, aut quid vis potius, quàm claves sunt. Siquidem tenemur clavibus illis, & non solvimur: deterior multo in hac parte esse conditio legis Evangelicæ, quam naturæ, aut Moisaicæ.

3. principali-
ter arguitur,
& probatur
conclusio.

Tertiò principaliter arguitur: Si sensus verborum esset, Absolvo, id est, ostendo absolutum: ergo illa forma absolutionis esset recta, & legitima: Ego te declaro absolutum: qua tamen nec illi quidem auderent uti. Confirmatur. Cui enim ostendit Sacerdos peccatorem absolutum? Non Ecclesiæ quidem, multo autem minus Deo. Præterea Sacerdos verè remittit poenam debitam peccatis, nec ostendit solum remissam: ergo vel verbum remitti, aut absolvi oportet æquivocè capi, vel propriè respectu utriusque. Quar-

Quartò principaliter arguitur : In Baptismo remittuntur peccata : ergo in Sacramento pœnitentiæ. Ad hoc argumentum variè respondetur ab illis. Aliqui enim dicunt, adulto etiam non remitti primo per baptismum : alii non negant quidem de baptismo, negant tamen de Sacramento pœnitentiæ. Sed cùm eisdem verbis in Evangelio habeatur, imo apertius videtur haberi de remissione peccatorum per claves, quàm per baptismum : profecto nec probabiliter, nec constanter concedi de baptismo potest, & negari de clavibus. Quod autem baptismus detur in remissionem peccatorum, præterquamquod Sancti omnes juratissimè confirmant, non video quomodo negari possit : illic enim non potest esse remissio peccatorum ; id est, declaratio ut ipsi in Sacramento pœnitentiæ intelligi volunt. Si ergo secundum Scripturam est remissio peccatorum oportet ut sit verè & propriè remissio : imo videtur articulus fidei. *Confitemur enim unum baptisma in remissionem peccatorum.* Et confirmatur : Si enim (ut adversæ opinionis Authores fatentur) per Sacramentum peccatum originale & veniale primò tolli potest : unde hæc coarctatio, vel divinatio orta est, potius non posse se extendi ad peccata mortalia, cùm in Evangelio absolutè in remissionem peccatorum data Sacramenta legamus, nulla differentia posita de originali, aut veniali à mortalibus.

Quintò : Si Sacramenta nunquam conferunt primam gratiam adultis (nam idem apud eos est de omnibus iudicium) quid ergo est, quòd omnes Sancti, omnes Authores docent, & prædicant Sacramenta novæ legis esse causam gratiæ?

Sed ajunt per Sacramenta augeri gratiam. Primum omnium hoc nescio, an sit privilegium Sacramentorum, cùm in omni actu meritorio augeatur gratia. Sed non *ex opere*, inquiunt, *operato*, ut ipsorum verbis utar. Esto sanè. Sed quid mea? Tantum enim consequar etiam eorum sententia, si paululum in actu meritorio animum, aut conatum intendero, quan-

tum per illud opus operatum consequenturus sum. Quanta ergo est hæc prærogativa Sacramentorum, ut per Sacramenta obtineam aliquem gradum gratiæ, quem tantula actus intentione, & fervore consequi potuiffem? Ergo adduci non possum ut negem, quin aliquid potius Sacramenta conferant. Sed ut quid vim facimus verbis, & loco suo detorqueamus? Dare enim gratiam nec fuit, nec erit unquam augere gratiam. Etenim gratiæ est facere amicum, aut gratum, hoc enim significat constituere in gratia, ex non grato gratum facere. Aliud sane est augere amicitiam, aliud amicum facere: & numquam antiqui ad hunc modum loquuti sunt, ut augere gratiam intelligerent esse causam gratiæ.

Sextò & ultimò. Si enim claves non remittunt peccata, nullum argumentum habemus ex Sacra Scriptura, quod sit aliquod Sacramentum pœnitentiæ. In Scriptura namque non habemus aliud, nisi quod per claves remittuntur peccata. Si ad hoc per te non requiritur collatio gratiæ, quia non est nisi declaratio: nihil restat, quare ponamus Sacramentum pœnitentiæ. Propter hoc enim solum ponimus, quia ex Scriptura habetur; quod per claves remittuntur peccata, & hoc non potest fieri sine gratia: ergo claves conferunt gratiam; & sic conficitur Sacramentum. Totum autem hoc artificium ruit ad sententiam illorum.

Omnino * mihi non videtur ferendum, dicere 5 quod virtute clavium non verè remittantur peccata; sed solum ostendantur remissa: sed homines alioqui acres, & docti, bis in hac disputatione peccant, & errant, ex eo quod non bene sentiant de contritione, putantes primò, quòd contritio est ista sufficiens ad remissionem peccatorum, quod quasi ex justitia debeat remissio, & gratia posita contritione: unde etiam provenit, ut meritum, ponant congrui ad primam gratiam contra Apostolum Paulum: non considerantes, quod quacunque dispositione posita in peccatore est omnino tanta liberalitas in collatione gratiæ, & tan gratis remittuntur peccata, sicut data fuit gratia Adæ in primo statu, imò magis. Nec oportet

*Errores duo
circa claves
referuntur, &
impugnantur.*

imaginari aliud meritum, nisi puram misericordiam divinam: nec plus contritio est meritum ad gratiam, vel remissionem peccatorum, quam bona opera sunt merita ad prædestinationem. Hæc erat bona pars erroris Pelagianorum, si ego quicquam intelligo.

Secundo errant contrario modo, credentes, quod contritio ita sit necessaria ad remissionem peccatorum, quod pene Deus ipse vix posset sine contritione remittere peccata. Veritas autem sic habet, quod

6 * ad remissionem peccatorum Deus in Ecclesia duo remedia efficacia reliquit, aut pœnitentiam, aut claves Ecclesie. Et ita aperte dictum est, quod per claves Ecclesie remittuntur peccata, sicut per pœnitentiam. Satis est ergo, ut quis non ponat obicem clavibus, id est, non afficiatur peccato præterito, vel futuro, hoc est, ut pœniteat de præterito, & proponat in futurum cavere, etiam si hoc ita faciat ut non sufficiat ad remissionem peccatorum, sed remaneat in peccato. Hæc enim dispositio non requiritur ad remissionem peccati, sed solum ne ponat obicem clavibus. Hoc ergo est summum beneficium, & privilegium, quo Christus Redemptor noster Ecclesiam suam in novo Testamento singulariter ornavit, hoc est, quod tantum celebratur à vetustissimis, & sanctissimis Patribus, quod

7 * omnino claves Ecclesie sufficiunt ad aperiendum Regnum Cœlorum, ubi nulla alia via apertum esset: sed solæ sufficiunt ad salutem, nec mihi de hoc dubitandum omnino videtur, & maximè quia in Concilio Florentino dictum est: *Effectus Sacramenti pœnitentiæ est absolutio à peccatis.*

Sed contra hanc veram sententiam arguitur. Primò: Accedens ad Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, non consequitur remissionem peccatorum. Imo peccat de integro: ergo claves non remittunt peccata. Confirmatur: Quis aliàs liceret scilicet accedere cum peccato mortali ad claves.

Secundò: Cùm aliquis post contritionem accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, est verum Sacramentum, & forma univocè idem significat, sicut cùm quis ac-

Contra prædictæ argumentatur.

cedit ante contritionem, sed tunc non absolvit Sacerdos, sed ostendit absolutum: ergo sic debet intelligi absolutio, & remissio peccatorum, id est, declaratio.

Tertiò arguitur: Vel sufficit quicumque dolor ad tollendum obicem, & recipiendum gratiam, vel non. Si aliquis non sufficit, non videtur posse assignari, quis solus sufficiat, nisi sola contritio. Eodem enim modo videtur de quocunque alio dolore: ergo requiritur contritio. Si autem quilibet dolor sufficit: ergo dolor solum timore pœnæ satis est.

Quarto: Eodem pacto videtur claves habere potestatem retinendi peccata, sicut remitendi: sed clarum est, quòd claves non aliter retinent peccata, nisi declarando non remissa à Deo, nec possunt retinere, nisi quæ Deus retinuit: ergo similiter remittere peccata, solum erit ostendere remissa à Deo.

Arg. solvantur

(1)

Doct. Subtil.

Ad solvendum hæc argumenta, nota primò, quòd Doctor Subtilis in 4. dist. 14. ult. arg. 3. (1) videtur expressè dicere, quòd non requiritur alia dispositio, ut aliquis per hoc Sacramentum pœnitentiæ recipiat gratiam, nisi solum, ut velit recipere, & se subicere clavibus. Et idem dicit de Sacramento baptismi. Cajetanus etiam nominatim de baptismo dicit 3. part. q. 86. art. 2. ad 1. (2) Quòd remissionem peccatorum, etiam mortalium in baptismo non exigitur aliquis dolor, sed sola voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccatorum. Et profecto idem haberet consequenter dicere de Sacramento pœnitentiæ, quòd ita manifeste datum est in remissionem peccatorum, sicut baptismus, & tamen Cajetanus negat de pœnitentia, quid concedit de baptismo: quàm constanter ipse viderit. S. Thom. etiam 3. part. q. 89. art. 3. ad 2. (3) dicit, quòd baptismus datur per modum ablutionis, & est generatio; id est, mutatio de non esse spirituali ad esse spirituale: ideò non inconvenit accedere ad baptismum cum conscientia peccati mortalis, inconvenit autem ad Eucharistiam, quæ non debet dari nisi viventi: datur enim per modum alimenti.

(2)
Cajet. 3. par.
q. 86. art. 2.
ad 1.

(3)
S. Thom.

Hac

Hac certè ratione consequenter videretur idem dicendum de Sacramento pœnitentiæ, quod institutum est ad suscitandum mortuos: & sic non erit inconueniens accedere ad claves Ecclesiæ cum conscientia peccati mortalis. Et posset magna probabilitate defendi, quòd si quis sine complacentia quidem peccatorum præteritorum, sed etiam sine aliquo dolore, solum cum proposito cavendi in futurum à peccatis, accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, animo recipiendi remissionem peccatorum, quòd reuera recipit, sed nescio an verum sit, impugnari profectò non vehementer posset.

Sed non adeò longius à communiori via, & doctrina discedens: secundò dico, quòd non licet accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum conscientia peccati mortalis: nec talis consequeretur peccatorum remissionem. Pro quo est advertendum, quòd * contritio reuera nihil aliud importat, nisi dolorem de peccatis propter Deum, id est, eo quod sunt offensiva Dei, cum proposito cavendi in futurum: nec quicquam aliud est de ratione contritionis rejectis, anxiiis & subtilibus disputationibus, scholasticis parum in hanc rem conferentibus, & physicis potius quàm theologis. Nec apud me dubium unquam erit, quin quicumque dolet de omnibus peccatis suis absolutè, quia sunt offensiva Dei, proponit etiam omnino in futurum seruire omnia præcepta Dei: consequatur remissionem peccatorum, si nil aliud sit quod impediat. Potest * verò esse talis dolor, qui non sit contritio; quia aliunde impeditur, puta quia cum tali dolore perseverat ex ignorantia in aliquo peccato, ut quia retinet alienum, vel manet in aliquo errore: ut hæretici, aut infideles, qui dolent quidem de peccatis suis, & propter Deum, & proponunt in futurum: sed talis dolor in eis nec est contritio, nec sufficit ad remissionem peccatorum: non quia requiratur major; nec alius dolor, quàm ille, sed quia tenentur ad aliud, quod non implent. Itaque ab extrinseco impeditur; ne ille dolor sufficiat, quod de se sufficeret qui-

quidem. Unde in nullo mutato dolore, sed solum si talis alienum restitueret, aut dimitteret errorem, ille idem dolor esset contritio quod in hac materia est commendandum memoriæ, ne in rebus ad salutem necessariis descendamus ad dicendum, vel incredibilia, vel non intelligibilia.

*Respondetur
simul ad 1. & 3.
argum.*

Hoc ergo præmissò, dico primò: Si is, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, scit & advertit se nullum habere dolorem peccatorum præteritorum, quamvis habeat propositum in futurum, non consequitur remissionem peccatorum, imo peccat mortaliter.

Secundò: Si talis dolet quidem, sed intelligit se non dolere, quia sunt offensiva Dei, sed ob quamcunque aliam rationem, puta propter pœnas inferni: profecto etiam talis dolor non sufficit, quia ille non dolet se offendisse Deum, nihil autem refert quod doleat, si non doleat se offendisse Deum: idem est enim ac si nullo modo doleret, & peccat mortaliter accendens sic ad Sacramentum pœnitentiæ.

Tertio: Quomocumque doleat, si omnino putat se adhuc esse in mortali, & non esse contritum, non videtur etiam sufficere; & sic dico, quod accedere cum conscientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum, est peccatum novum, quia ponit obicem. Et hoc est probabile: non quia claves non sufficiant, sed quia virtualiter complacet in peccato, qui non dolet, nec vult dolere se offendisse Deum.

Quartò: Si putat se doluisse propter Deum, & proponit cavere in futurum, semper consequitur gratiam, nisi aliunde ponat obicem ad sensum declaratum, puta quia perseverat in aliquo peccato, non autem defectu doloris. Sed dices: Jam talis ante Sacramentum consequeretur gratiam, quia per te ille dolor est contritio.

Propterea dico quintò constat, quòd aliquis putet se dolere, quia peccata sunt offensiva Dei: & tamen revera non ideo dolet, sed ob aliam causam. Quamvis enim videatur posse experiri aliquando se dolere:

re:

re: sed an doleat, quia offendit Deum, profecto ignorari potest. Prævolat enim (ut ait Augustin.) intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus. Et sic contingit, quod aliquis putet se dolere propter Deum, & non doleat, aut non propter Deum doleat, & in tali fit remissio peccatorum virtute clavium.

10 Sexto dico, & sequitur ex dictis, quod * omnis ille dolor, & solus, sufficit ad remissionem peccatorum cum clavibus, de quo peccator existimat quod sit contritio: id est sufficiens dolor, si non sit aliud impedimentum extrinsecum, vel sit tanta negligentia examinandi, ut rediret in naturam omissionis. Si enim quis nullam advertentiam adhiberet, aut considerationem ad examinandum statum conscientie suæ, sed sic temere existimaret se sufficienter poenituisse, idem est iudicium, ac si non poenitisset. Sed si bona fide, facta probabili examinatione, putat se sufficienter poenituisse, quamvis decipiatur, cum Sacramento poenitentiae, consequitur sine dubio remissionem peccatorum, & per hæc satis patet ad primum & tertium argumentum.

Sed contra hanc determinationem arguitur argumento communi: Talis, qui existimat se sufficienter poenituisse, vel habet ignorantiam vincibilem, vel invincibilem: Si invincibilem, ergo non tenetur amplius dolere: ergo sufficienter fecit id ad quod tenebatur, ergo jam sunt ei remissa peccata. Si vincibilem, ergo accedens ad Sacramentum cum tali peccato mortali, non excusatur: ergo non das hominem, qui recipiat primam gratiam in Sacramento poenitentiae.

Respondetur dupliciter. Primo, quod illa ignorantia est invincibilis. Et cum arguis: Ergo jam consequitur remissionem peccatorum: nego consequentiam, sed solum sequitur, quod non peccat de novo per omissionem contritionis.

Secundò, & melius dico, quod illa ignorantia est vincibilis: & cum inferis. Ergo peccat accedens, nego consequentiam. Non enim facit irreverentiam Sacramento, nisi qui scienter accedit in mortali. Sicut si quis celebraret sine ara, quantumcumque ignorantia

*Argument.
contra proximam
responsionem.*

*Resp. ad hoc
proximum ar-
gumentum. dupli-
citer.*

esset crassa, non peccaret. Vel potest dici, quòd talis ignorantia est vincibilis respectu delectationis peccatorum, vel præcepti de contritione, si ullum est: invincibilis autem respectu Sacramenti. Nec hoc est mirabile. Aliqua enim ignorantia excusaret respectu unius aliquando, quæ non excusaret respectu alterius. Ut, exempli gratia, ignorantia, quæ excusaret conferentem Sacramentum in mortali, non excusaret recipientem, ut notum est: major enim examinatio requiritur conscientia ad recipiendum Eucharistiam, quam ad conferendum, etiamsi ad utrumque exigatur examinatio conscientia.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd cum aliquis post contritionem accedit ad Sacramentum penitentia, dico quòd verè absolvitur: Sacerdos enim fert sententiam sufficientem ad ponendum hunc in gratia, etiamsi non prius fuisset in gratia.

Ad quartum dico, quòd retinere est non remittere, & non est declarare, non esse remissa, ut ipsi volunt: potest enim contingere, quòd ex hoc solum, quòd non absolvitur per claves, non remittantur peccata, ut expositum supra est. Et præterea cum (ut in præsentia supponimus) quilibet peccator teneatur adire claves, remissio etiam, quæ fit in contritione, dependet à clavibus, imò fit virtute clavium, sicut gratia, quæ data fuit ante passionem Christi, fuit virtute passionis Christi. Ac demum utcumque sit, dato quòd retinere sit declarare, non oportet quòd remittere sit declarare. Nos enim solum volumus, & dicimus verba accipi debere in sua propria significatione, ut remittere sit remittere, sicut retinere, retinere: Quod si retinere non potest aliter fieri nisi declarando, retinere erit declarare: sed remittere potest aliter esse, ideo etiam aliter accipiendum est. Ergo ex hac disputatione constat potestatem ordinis habere efficaciam alicujus spiritualis effectus. Nec tamen volo dicere nullum alium ab isto habere posse: sed hunc esse potissimum, & qui ex sacris literis testator & notior sit: alioqui ex potestate ordinis, etiam sunt omnes con-

se-

secrationes Episcoporum, Presbyterorum, in quibus effectus datur purè & verè spiritualis. Et hæc quidem quantum ad effectum potestatis ordinis. Restat ut etiam dicamus de potestate jurisdictionis, utrum scilicet excommunicatio sit effectus spiritualis, vel habeat effectum spirituales. De quo latè dixi in 4. Sententiar. in materia de clavibus.



QUÆSTIO TERTIA.

QUO JURE SIT INDUCTA Potestas Ecclesiastica.

S U M M A.

1. Potestas Ecclesiastica quo jure sit introducta.
2. Potestatis Civilis, & Ecclesiastica differentia.
3. Potestas Ecclesiastica, quod quantum ad aliquam partem sui habuerit ortum à jure naturali, vel positivo.
4. Potestas Ecclesiastica, & spiritualis tota, quæ nunc residet in Ecclesia, est de jure divino positivo mediate, vel immediate.
5. Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, de jure divino positivo fuit.
6. Potestatem totam in veteri lege jure divino institutam potuit Israeliticus populus sua auctoritate instituere, etiamsi à Deo instituta non fuisset.

Postquam ex parte disputatum est de ipsa potestate secundum se & de effectu, & fine illius in generali: viderur operæpretium nos facturos, si de causa efficienti, & ortu ipsius potestatis Ecclesiasticæ disseramus. Sic enim per Arist. doctrinam probè hanc potestatem cognoscere poterimus, si causas illius cognoscamus omnes. Postquam ergo disputatum est de cau-

Quæst.

sa finali, quæ potissima est, agendum est de causa effici-
cienti, & de authore hujus potestatis. Quæritur * ergo 1
quo jure introducta est hæc potestas Ecclesiastica.

Et sit prima propositio. Tota hæc potestas secun-
dum suam amplitudinem non habet, nec potuit habe-
re ortum à jure positivo. Hæc est manifesta ex supradic-
tis: habet enim plures effectus spirituales, qui exce-
dunt humanam potestatem, ut est remissio peccatorum,
gratia, consecratio divinissimæ Eucharistiæ, & alia item
quæ omnino totam humanam facultatem excedunt: er-
go non potuit habere originem à jure humano, juxta

(1)

Marc. 1.

(2)

Luc. 5. & 7.

Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? (1)
Et benedicbant cum blasphemare nisi esset Deus. Item
(2) *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Et con-
firmatur: Quia non potuit habere ortum à jure civili;
quia (ut ostensum est) hæc potestas distinguitur à ci-
vili potestate: jus autem Ecclesiasticum præsupponit jam
potestatem constitutam, ergo non potuit potestas Eccle-
siastica habere ortum à jure positivo. Secundo patet
manifestè, quia Christus, qui est verus Deus, primus
dedit claves Regni Cælorum. (3)

(3)

Matth. 16.

Secunda propositio. Nec potuit tota hæc potestas
habere ortum à jure naturali: patet ex eodem quia hæc
potestas habet effectum supra totam naturam, ergo nec
jus naturale potuit instituire hanc potestatem. Unde * 2
differentia est inter potestatem civilem, & potestatem
Ecclesiasticam: quia potestas civilis habet ortum à Repu-
blica, quia est in finem naturalem reipublicæ: ut aliàs
à nobis disputatum est. Hæc autem potestas excellit non
solum privatam singulorum auctoritatem, sed etiam to-
tius mundi: & licet jus naturale sit jus divinum, ta-
men non se extendit ultra limites naturæ, & sic non
potest se extendere usque ad terminum, vel finem hu-
jus potestatis spiritualis. Et confirmatur. Quia cogni-
tio naturalis non se extendit ad effectus hujus potestatis:
ergo nec jus naturale, nec potestas naturalis. Item cum
per hanc potestatem homo constituatur in esse gratiæ:
si hæc potestas esset naturalis, homo ex naturalibus
posset consequi gratiam: qui est error damnatus ab Ec-

cle-

clesia contra Pelagianos, & est etiam contra Paulum, (1)

Justificati ex fide.

(1)

Ad Rom. 4.
4. & 5.

3 Tertia propositio. Nihilominus * potestas Ecclesiastica quantum ad aliquam partem sui potuit habere ortum à jure naturali, vel positivo, id est quantum ad aliquos effectus, & actus hujus potestatis. Probat: Quia (ut supra dictum est) etiam stando in jure naturali utraque potestas est necessaria in republica. In solo enim jure naturali intelligi potest *Deum esse, & quod remunerator est inquirentibus se.* Hoc namque Apostolus dicit, (2) & Philosophis manifestum fuisse tradit, *sempiternam quoque Dei virtutem, & divinitatem.* Ex quo etiam sequitur Deum esse à mortalibus colendum, ergo etiam si nulla esset ordinatio particularis à Deo, potuerunt in republica aliqui deputari ad solam administrationem cultus divini, qui haberent prælationem, & auctoritatem sacrorum, & talis potestas esset spiritualis, & non civilis, sicut modò est de jure divino. Imò hoc nomine damnantur ab Apostolo sapientes Philosophorum, quòd *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed mutaverunt gloriam invisibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quàm creatori.* Quare sicut humana institutione legimus fuisse sacerdotia, Pontifices, sacrificia falsorum deorum apud gentes, eadem institutione potuerunt esse sacrificia, & sacerdotia ad cultum veri Dei, & ea fuisset vera potestas spiritualis distincta à potestate civili. Imò, ut statim dicemus, aliquando inter veros Dei cultores fuit talis potestas spiritualis, solum humana auctoritate introducta.

(2)

Rom. 1.

4 Quarta propositio. Tota * potestas Ecclesiastica, & spiritualis, quæ nunc residet in Ecclesia, est de jure divino positivo mediatè, vel immediatè. Probat, & declaratur hæc conclusio. Nam, ut infra disputabitur, tota potestas Ecclesiastica derivata est ab Apostolis, sed Apostoli habuerunt potestatem à Christo vero Deo, & Domino: Ergo tota potestas Ecclesiastica est de jure divino positivo. Dixi autem mediatè, vel immediatè,

non solum quia primò habuerunt Apostoli, & inde derivata sit in successores: sed quia non nego quin in Ecclesia sit aliqua potestas Ecclesiastica solum de jure positivo, ut dicam non multò post: sed ea ortum habuit à potestate Ecclesiastica, quæ est de jure divino, qualis est potestas minorum ordinum, & fortassè aliqua alia, de qua statim. Et confirmatur autoritate Apostoli: (1) *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in edificationem Corporis Christi.* Sed omnis potestas Ecclesiastica, vel est aliqua illarum ab Apostolo enumeratarum, vel pendet ab illis, ergo, &c.

Quinta propositio. Tota * potestas spiritualis quæ fuit in veteri lege, id est, post libertatem Populi Israel ab Ægyptiorum servitute, fuit de jure divino positivo. Hæc conclusio non aliter opus est ut probeatur, quàm ex tenore, & serie legis. Tota enim lex data est à Deo, de qua lege. (2) *Lex data est per Angelos in manu Mediatoris,* (3) & loquens Christus Judæis ait: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras;* & loquitur de præcepto Decalogi. *Honora patrem tuum, & matrem tuam,* &c. Et Stephanus (4) dicit, quòd fuit data *in dispositione Angelorum;* & quòd Moyse accepit verba vitæ, ut daret Populo, & Paul. (5) *Multifario multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis,* &c. & Manichæorum error fuit, quòd lex Moyse non esset lex Dei. Et hoc in ipsa lege frequenter dicitur: *Si feceritis præceptum Domini, & mandata Domini custodieritis, & similia.* Sed in ipsa lege continetur ordo, & ratio totius cultus divini per Pontifices, & Sacerdotes, & Ministros, ut supra ostensum est, ergo tota potestas illa circa divinum cultum, quæ sola erat potestas spiritualis, fuit jure divino positivo introducta. Et (6) dicitur, quòd Moyse assumens volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus,* & infra ait Moyse: *Hic est sanguis*

(1)
Ad Ephes. 4.

(2)
Ad Galat. 3.

(3)
Matth. 23.

(4)
Actor. 7.

(5)
Heb. 1.

(6)
Exod. 24.

quis fœderis quòd pepigit Dominus vobiscum. Quòd Paul. (1) apertius retulit: Hic sanguis testamenti, quòd mandavit ad vos Deus.

Heb. 9.

- 6 Sexta propositio. * Totam potestatem institutam in veteri lege jure divino potuit Populus Israel sua auctoritate instituere, etiam si à Deo instituta non fuisset. Hæc probatur ex tertia propositione. Nam cognito Deo, & majestate divina, vel per lumen nature, vel per lumen fidei, potuit Populus constituere Pontifices, Sacerdotes, Sacrificia, & ceremonias ad cultum divinum, licet fortassis non potuissent tot figuras, & symbola futurarum rerum instituere, cum nec possent futura ita distinctè cognoscere, nec aptas, & convenientes figuras ad ea portendendum, & designandum instituere. Facit ad hoc illud: (2) *Si enim sanguis bircorum, aut taurorum, & cinis vitula aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi: ex quibus verbis constat veterem legem non mundare nisi carnem.*

(2)
Ad Heb. 9.

Quando incepit Potestas Ecclesiastica.

SUMMA.

1. Potestas aliqua spiritualis potuit esse in statu innocentie.
2. Potestas spiritualis, statim post peccatum fuit in lege nature.
3. Potestas omnis spiritualis, quæ fuit in lege nature, licet potuerit esse solum auctoritate humana, tamen verisimile est, vel quòd ex speciali revelatione divina, vel instinctu, & monitione divina fuerit constituta auctoritas aliqua, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia & Sacramenta, & alia ceremonia spectantes ad cultum divinum, & ad salutem spiritualem animarum.
4. Potestas spiritualis, fuit aliqua in lege scripta.
5. Auctoritas propriè, & perfectè spiritualis, qua sunt claves

reg-

- regni Cœlorum) nunquam fuit in lege naturæ, nec in lege scripta ante nostri Redemptoris adventum.
6. Sacerdotes veteris legis, an haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ.
 7. Potestas spiritualis, quæ fuit in veteri testamento, tota expiravit, & antiquata fuit in lege evangelica, nec amplius perseveravit. Et Sacerdotes novi testamenti non sunt successores illorum, sed omnino est nova potestas eorum.
 8. Authoritas perfecta, & propriè spiritualis, tota incepit ab adventu Christi, qui fuit primus auctor, & dator clavium, & potestatis spiritualis.
 9. Christus quando claves dederit Apostolis, variæ sententiæ recensentur.

Quæstio.

(1)
Genes. 3.

SUO ordine sequitur, ut quæramus, quando incepit hæc potestas, Ecclesiastica, utrum ab initio mundi. Et sit prima propositio: In * statu innocentia potuit esse aliqua potestas spiritualis. Probatum paucis. Non est dubitandum quin in statu innocentia fuisset cultus divinus, non solum interior, sed exterior. Cum enim homo componatur ex anima, & corpore, consentaneum est, ut non solum anima, & intellectu colatur Deus, sed actionibus etiam corporeis, & exterioribus, & hoc in omni statu. Est autem notandum quod licet pro statu innocentia non fuisset aliquod dominium, & prælatio coerciva, aut coactiva (in quo sensu dictum est mulieri, *sub viri potestate eris.* (1) Genes. 3. & multiplicato genere humano fuisset divisio possessionum, & rerum, & Principes) fuisset tamen potestas directiva, & gubernativa, sicut fuissent etiam præceptores ad docendum, & instituendum adolescentes, ita etiam præpositi ad dirigendum in agendis: alias fuisset rerum confusio, & inordinatio de formis, si quilibet pro arbitrio suo diversis moribus viveret, etiam si omnes rectè viverent: & eadem ratione non fuisset decora respublica, si quilibet suo ritu Deum coleret, & non esset consensus, & uniformitas in cultu divino. Nullo
mo-

modo igitur dubitandum quin si status innocentie perseverasset, fuissent constitutiones, & ordinationes, tum ad vitam civilem, tum maxime ad vitam spiritualem, & cultum divinum, & fuissent etiam præpositi, qui haberent curam rerum ordinandarum, & hæc potestas esset spiritualis, cum esset ad finem spiritualem, nec est imaginandum quod omnino essent in initio sine aliquo exercitio, & opere exteriori.

2. Secunda propositio: * Statim post peccatum fuit in lege naturæ potestas spiritualis. Probatur quia ut dicit (1) S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 3. & 7. Sicut pro omni ætate, & tempore fuit necessaria fides supernaturalis, ita fuit necessaria providentia ad supernaturalem finem, & opus fuit ut homines actiones suas dirigerent non solum in finem naturalem, & politicum, sed etiam in finem supernaturalem, & spiritualem, & per consequens, ut esset etiam aliquis cultus Dei, qui est author, & dominus, à quo beatitudinem solum sperare possumus. Sed sicut humana opera non possunt commodè ordinari in finem humanum, nisi in republica sint aliqui qui præsideant, & aliqui qui pereant: ita etiam non possent opera hominum convenienter ordinari in illum finem supernaturalem, nisi ad hanc rem aliqui præficerentur, qui curam gererent deducendi homines in talem finem, & hæc est spiritualis potestas: ergo ea fuit statim à principio. Confirmatur: Semper fuit Ecclesia, id est communitas spiritualis ordinata ad finem supernaturalem, sed non est perfecta respublica sine magistratu, & authoritate: ergo semper fuit talis potestas

Secundò probatur: Quia Abel videtur fuisse Sacerdos, cum legatur de eo, quod obtulerit sacrificium, & quidem Deo acceptum: (2) Genes. 4. & Heb. 11. Unde (3) August. lib. 5. ad Orosium: *Tria maxime justitia præconia in Abel fuisse comprobantur, virginitas, sacerdotium, & martyrium, in quibus Christi figuram gessit.*

Tertiò probatur: Quòd fuerit in lege naturæ vera potestas spiritualis, quia Melchisedech erat Dei Sacerdos,

(1)

D. Thom. 2.
2. q. 2. art. 3.
& 7.

(2)

Genes. 4. &
Heb. 11.

(3)

D. August.
lib. 5. ad
Orosium.

(1)
Genes. 14.

dos, (1) Genes. 14. quem Doctores dicunt fuisse Sem filium Noè: Unde etiam graves Authores dicunt in lege naturæ primogenitos fuisse Sacerdotes. Quòd autem fuerit verum sacerdotium, non solum inde constat, quòd Abraham benedictionem ab eo accepit, sed magis ex eo quòd Christus Dominus dictus est Sacerdos, & Pontifex secundum ordinem Melchisedech: (2) Psal. 109. & Heb. 6.

(2)
Psal. 109. &
Heb. 6.

Tertia propositio. Licet * omnis potestas spiritualis, quæ fuit in lege naturæ, potuerit esse solum auctoritate humana, tamen verisimile est, vel quòd ex speciali revelatione divina, vel instinctu, & motione divina fuit constituta aliqua auctoritas, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia, & Sacramenta, & aliæ cæremonie spectantes ad cultum divinum, & ad salutem spiritualem animarum. Prima pars patet ex supradictis, quia (ut statim declarabo) ante adventum Domini nullus fuit effectus alicujus potestatis, quia revera excederet humanam facultatem: ergo tota potestas spiritualis potuit auctoritate humana constitui, & si aliquod erat Sacramentum ad deletionem peccati originalis, illud non indigebat auctoritate divina. Et quia revera nullam efficaciam habebat, nisi in quantum erat testimonium fidei: & quia nullum certum signum erat de jure divino contra originale, sed quæcumque protestatio fidei satis erat saltem de jure divino, in humano statuto, vel consuetudine, credendum est fuisse certum aliquem ritum ad purgationem peccati originalis.

Secunda pars probatur: Quia si fides semper fuit necessaria, & nunquam defuit in quacumque ætate (ut dictum est) maximè videtur revelatio facta de ratione colendi Deum, quæ potissima pars est veræ religionis, & vitæ fidelis. Et confirmatur, quia cum dominus ita diligenter inveteri lege rationem instituerit divini cultus, tot sacerdotia, ministeria, solemnitates, cæremonias, non est credendum cessasse omnino ante legem, quin cultores suos, vel revelatione, vel interiori aliquo motu instruxerit quomodo piè, & religiosè ipsum colerent, licet non sit dubitandum, quin fuerit multò
sim.

simplicior cultus, quàm in lege scripta.

4 Quarta propositio: In * lege scripta certum est fuisse aliquam potestatem spiritualem. Hæc propositio nota est auctoritate legis ipsius, ubi tan multa tradita sunt de sacerdotio, & ministerio spirituali. Sed quòd fuerit propriè, & verè potestas, & dignitas spiritualis, patet primùm ex auctoritate illa Pauli: (1) Heb. 7. *Traslatato sacerdotio, necesse est, ut legis traslatio fiat.* Ubi Paul. ex professo contendit probare Sacerdotium Christi esse præstantius sacerdotio veteris legis. Frustra autem insumeret operam illam, si illud Sacerdotium non fuisset verum Sacerdotium, id est, autoritas, & potestas spiritualis. Item post institutionem Regum perseveraverunt Sacerdotes, ut patet de Samuele. (2) 1. Reg. 10. Ergo Sacerdotium erat potestas distincta à potestate civili, ergo spiritualis. Item de Caipha dicit Evangelium: (3) Joan. 11. *Quòd cum esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Ex quo omnino videtur, quòd Pontificatus ille esset vera dignitas, & autoritas spiritualis.

(1)
Heb. 7.

(2)
1. Reg. 10.

(3)
Joan. 11.

5 Quinta propositio: His non obstantibus dico, quòd autoritas * propriè, & perfectè spiritualis, quæ sunt claves Regni Cœlorum, nunquam fuerunt in lege naturæ, nec in lege scripta ante adventum Redemptoris, & Domini nostri Jesu Christi. Probatur primò. Regnum Cœlorum post peccatum primorum parentum semper fuit clausum ante adventum Christi: ergo ante adventum ejus non fuerunt claves, unde *ipse solus dicitur habere clavem David, qui aperit, & nemo claudit.* (4) Apoc. 3.

(4)
Apoc. 3.

Secundò probo: Quia totum Sacerdotium veteris legis cum omnibus suis sacrificiis, oblationibus, & Sacramentis, non poterat dare gratiam, quia non justificabat, ut Paul. (5) Rom. 3. dicit: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* (6) Et Galatas 2. *Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* (7) Et Heb. 9. *Sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Et in aliis variis locis non solum testatur, sed probat. Ergo nec illi Sacerdotes habebant claves,

(5)
Rom. 3.

(6)
Galat. 2.

(7)
Heb. 9.

E

nec

nec erat in eis vera potestas spiritualis. Unde dico, quòd nullum effectum purè spiritualem poterant conferre, sed omnia erant temporalia, & materialia, signum duntaxat, ac figuram rerum spiritualium; & Sacerdotes Levitici habebant solòd claves, & curam Templi materialis: unde nec remittebant peccata, nec aliquam potestatem purè spiritualem habebant, sed omnia, quæ gerebantur, erant media ordinata ad gratiam novæ legis: ideo illa potestas erat spiritualis, sed longè aliter quam potestas Ecclesiastica in lege Evangelica.

Quest. incid.

Utrum * autem Sacerdotes veteris legis haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ, dubitari certè potest. Cùm enim in veteri lege præter moralia præcepta Dominus tot judicialia, & ceremonialia præcepta tradiderit, ubi omnia circa cultum divinum tam distinctè, & speciati m erant instituta: non erat opus præceptis, aliàs crevisset obligatio in immensum, ut non solùm gravis, sed intolerabilis esset. In lege autem Evangelica, quam Dominus paucissimis præceptis generalibus in libertate reliquit, necesse fuit, ut apud Pontifices maneret authoritas ferendi leges utiles, & acomodas ad gubernationem rerum spiritualium: sed cùm non obstantibus judicialibus præceptis ipsius legis nihilominus apud Reges maneret potestas condendarum legum: itidem videtur dicendum de Sacerdotibus veteris legis, quòd habebant authoritatem faciendi præcepta, & leges, vel saltem vim coactivam ad instituendum Ministros, & Levitas, & pro tempore cogendi ad sacrificia, & oblationes, & reliqua, quæ erant legis, & divini cultus (hoc enim est habere authoritatem, & esse Pontificem) & præcepta eorum obligarent non minus quàm præcepta Regum. Et quòd essent aliqua præcepta, vel instituta eorum, videtur ex eo loco: (1) Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Ubi Christus videtur dicere, quòd erant verà mandata. Et confirmatur, (2) ex Deuter. 17. ubi de Sacerdote Levitici generis dicitur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat*

(1)
Matth. 15.

(2)
Deuter. 17.

trat

trat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur in illo ille, & auferes malum ex Israel. Unde videtur, quod tenerentur ei obedire etiam sub peccato mortali: non enim poena mortis pro minore delicto inferebatur. Et quod revera essent præcepta humana patet: Matth. 23.

(1)

Matth. 23.

(1) *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere: alligant autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.*

Non videtur autem loqui de præceptis legis, quæ non dicerentur importabilia, cum essent præcepta sapientiæ divinæ, quæ disponit omnia suaviter. Ergo erant præcepta Pontificum, & Sacerdotum; ita Glossa dicit, licet Chrysostomus totum referat ad legem.

7 Sexta propositio: Potestas * spiritualis, quæ fuit in veteri Testamento, tota expiravit, & antiquata est, nec perseveravit in lege Evangelica: nec Sacerdotes novi Testamenti sunt successores illorum, sed est nova potestas omnino. Probatur: Quia potestas Evangelica derivata est tota à Sacerdotio Christi: sed Christus non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, (2) Heb. 7. unde, & Paulus infra probat esse aliam legem, quia est aliud Sacerdotium. Ergo omnino illud Sacerdotium periit: (3) Dan. 9. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis.*

(2)

Heb. 7.

(3)

Dan. 9.

8 Septima propositio: Perfecta * autoritas, & propriè spiritualis, tota incepit ab adventu Christi, qui fuit primus author, & dator clavium, & potestatis spiritualis, & qui propria autoritate poterat conferre gratiam, & peccata remittere per potestatem excellentiæ: (4) Marc. 2. & Luc. 7. & Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Et illam potestatem licet non eodem modo, sed determinatam, & aliquo modo alligatam Sacramentis, reliquit in Ecclesia sua, patet: (5) Matth. 16. & 18. & Joan. 20. & 21. 1. Corin. 5. 2. Corin. 2. Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* (6) Item Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

(4)

Marc. 2. &

Luc. 7. &

Matth. 28.

(5)

Matth. 16. &

18. & Joan.

20. & 21.

1. Corin. 5.

2. Corin. 2.

Heb. 13.

(6)

Luc. 22.

- (1) Quando autem dederit claves, non omnino inter Doctores satis convenit, & Armachanus quidem (1) lib. II. cap. 14. & 15. de quæstionibus Armen. dicit: Quòd non est data potestas in aliquo loco, ex omnibus supradictis, & quidem quòd non: (2) Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Probat. quia (3) Act. 1. dicit Petrus ad Apostolos de Judà: *Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus: & inducit Propheciam: Fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui habitet in ea, & Episcopatum ejus accipiat alter: & statim orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda filiorum hominum, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus, de quo prævaricatus ex Judas.* Ex quo (inquit) videtur constare, quòd Matthias non habuit nisi quod amisit Judas. Ergo tota potestas data fuit ante resurrectionem. Item (4) Joan. 20. dicitur: *Quòd Thomas unus de duodecim non erat cum aliis Apostolis, quando venit Jesus, & dixit: Quorum remiseritis peccata, &c.* Ergo Thomas non habuisset potestatem. Item (5) Marc. 6. dicitur, quòd ungebant ægros oleo; hoc autem spectat ad Presbyteros, ut patet: (6) Jacob. 5. Ergo ante resurrectionem fuerunt Presbyteri; imò ex eodem habetur, quòd ante cœnam dominicam. Item probatur quòd nec (7) Matth. 16. & 18. fuerit data potestas. Probat. Quia potestas ordinis tota simul datur: aliàs ordo non esset unum Sacramentum, sed plura. Sed in cœna acceperunt Apostoli potestatem ordinis secundum aliorum sententiam, quoad Consecrationem Corporis Christi: ergo antea non habebant claves, quia ista dantur simul. Et ideo Armachanus putat, quòd tota potestas data est, (8) Marc. 3. quando instituit eos Apostolos. Legitur enim quòd ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit ut essent duodecim cum illo, & ut remitteret eos prædicare, & dedit eis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendæ dæmonia. Sed ad authoritatem Apostolatus spectant claves, tam ordinis, quàm jurisdictionis. Ergo tunc acceperunt totam potestatem. Et posset confirmari, quia Pau-

Paulus non legitur accepisse aliam potestatem nisi Apostolatus : quia non legitur nisi quod à Christo Domino missus est ad prædicandum , & portandum nomen Domini coram gentibus. (1) Actuum. 9. Sed tantum receperunt Apostoli ; (2) sicut Paulus : ergo , &c. Et ipse solum vocat se electum Apostolum : ab Apostolis autem nihil accepit , ut ipse testatur , dicens quod qui videbantur esse aliquid , nihil illi contulerunt : (3) Galat. 2. Et ibidem : *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis , operatus est , & mihi inter gentes.* Sed Paulus habuit omnem potestatem : ergo quando facti sunt Apostoli , receperunt totam potestatem spiritualem.

(1)
Actuum. 9.(2)
Marc. 3.(3)
Galat. 2.

9 Ad hoc dubium primò non * magni refert quando Apostoli acceperint claves , ante passionem , vel post , modo constet eos accepisse , sicut ex Evangelio notum est. Secundò probabile est eos accepisse claves , & potestatem , non simul , sed per partes : itaque videntur accepisse potestatem jurisdictionis in foro exteriori : (4) Matth. 18. Et ordinis , quantum ad Consecrationem Corporis Christi , (5) Luc. 22. claves verò in foro interiori : (6) Joan. 20. Primatum autem , & plenitudinem potestatis videtur Petrus accepisse : (7) Joan. 21. *Pasce oves meas.* Et quòd Armachanus ait , si non simul acceperunt totam potestatem , fore , ut non esset unum Sacramentum Ordinis , non necesse est. Quamquam enim Christus potestatem clavium non simul totam nec uno loco dederit : non ideò tamen consequitur , ut etiam Pontifices possint eam authoritatem dividere , sed totam simul tribuunt , & uno ordinis Sacramento : nec fortasse possent divisim tradere. Vel fortè satius esset dicere , quicquid ante resurrectionem à Christo de hac potestate dictum , aut factum fuerit , totum intelligi debere in futurum , id est post resurrectionem. Sicut enim (8) Matth. 16. fuit totum promissio clavium , ubi omnia in futurum signantur : *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam , & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Ita videtur institutio in futurum facta (9) Matth. 18. Et sic Apostolos nullas habuisse claves ante illa

(4)
Matth. 18.(5)
Luc. 22.(6)
Joan. 20.(7)
Joan. 21.(8)
Matth. 16.(9)
Matth. 18.

illa verba : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Certè puto ante resurrectionem non potuisse Apostolos exercere jurisdictionem etiam in foro interiori, & dubito an potuissent consecrare corpus Christi : quamquam de hoc probabilius videtur quod potuerint : sed oppositum non est improbable, nihil tamen certi de hoc haberi potest, nisi quod habuerunt à Christo claves & potestatem omnem spiritualem.



UTRUM POTESTAS SPIRITUALIS sit supra potestatem civilem.

S U M M A.

1. *Potestas spiritualis, præstantior, & eminentior potestate temporali, ostenditur.*
2. *Papa, an sit orbis dominus.*
3. *Potestas temporalis non dependet à summo Pontifice, sicut alia potestates spirituales inferiores, &c.*
4. *Potestas civilis non est subiecta potestati temporali Pape, tanquam domino temporali.*
5. *Papa non habet judicare, saltem via ordinaria, de causis Principum, aut Regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis civilibus.*
6. *Papa non habet potestatem deponendi Principem secularem, etiam ex justa causa ratione auctoritatis temporalis.*
7. *Papa an habeat confirmare, infirmareque leges civiles.*
8. *Potestas merè temporalis an ulla sit in Papa, videlicet quæ ad finem ordinetur temporalem.*
9. *Potestas temporalis non dependet à spirituali omnino eo modo, quo ars, sive facultas inferior dependet à superiori.*
10. *Potestas civilis aliquo modo subiecta est, non potestati temporali summi Pontificis, sed potestati spirituali.*

11. *In Ecclesia est aliqua potestas, & authoritas temporalis in toto orbe.*
12. *Papa in ordine ad finem spirituales habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, & Reges, & Imperatorem.*
13. *Potestas temporalis in Summo Pontifice, qualiter intelligatur.*
14. *Papa, an, & quando esset audiendus Rege contradicente, & quando non, in his, quæ ad aliquam legem civilem, aut administrationem temporalem attinent.*
15. *An Christus totius orbis fuerit dominus.*
16. *An Christus fuerit Rex hereditaria successione.*
17. *An Christus, dono Dei habuerit dominium temporale quale est dominium Principum.*
18. *Christi regnum in toto orbe, quo titulo fuerit.*

Disservimus, quanquam non pro rei dignitate, sed tamen pro temporis & ingenii nostri angustia, de potestate spiritali in genere, & de fine ipsius, & origine, sive authore, visus sum mihi non abs re facturus, si priusquam descendamus ad disputandum de subjecto ipsius potestatis, aliquid tractavero de comparatione potestatis civilis & spiritalis inter se, & duas potissimum quæstiones constitui disputare. Alteram, an potestas civilis sit subiecta spiritali potestati. Alteram, an è contrario Ecclesiastici sint subiecti potestati civili, nam utraque quæstio in utramque partem assertores, & defensores non paucos, nec postremi nominis habet.

Est ergo quæstio: An potestas spiritalis sit superior ad potestatem temporalem, aut civilem. Et quia, ut in præsentia supponimus, & infra probaturi sumus: Papa est Princeps summus in tota potestate Ecclesiastica: quæritur, utrum Papa sit superior ad omnes Principes, & Potestates temporales nec revoco indisputationem: utra ex duabus potestatibus sit perfectior. Est enim inconfesso spiritalis * esse longè præstantiorem, & eminentiorem, & iupremæ dignitatis. Facultates enim sicut & artes, & potentia æstimandæ sunt

Quæstio.

sunt ex fine, sicut & omnia alia, quæ ad finem sunt. Finis autem potestatis spiritualis longè excellit finem temporalis potestatis, quantum scilicet perfecta beatitudo, & ultima felicitas excellit humanam, aut terrenam felicitatem. Et ut ait Innocentius in cap. *Solita*, de Major. & Obed. (1) *Spiritualia tanto temporalibus sunt digniora, quanto anima præfertur corpori.* Et (2) Apostolus probat dignitatem Sacerdotii Evangelici ex eo, quòd *Melchisedech, qui erat Dei Sacerdos, benedixit Abraham.* (3) Sine controversia autem major est qui benedicit, quàm qui benedicitur. Abraham verò erat Princeps temporalis, aut personam gerebat temporalis potestatis. Omnino igitur major & augustior est potestas spiritualis temporali, atque adeò majori cultu, & observantia prosequenda. Ergo omissa hac comparatione, ad aliam transeamus.

(1)
Innocentius.

(2)
Hebr. 7.

(3)
Genes. 14.

Quæst. hic disputanda.

Utrum scilicet Papa sit superior potestate civili jurisdictione & authoritate. Et quidem sunt qui tanto studio & favore Pontificum feruntur, ut putent Reges, & alios Principes temporales non esse nisi Vicarios, aut Legatos Romani Pontificis, ut Ministros potestatis Papalis, & quòd omnis potestas temporalis derivetur à Romano Pontifice. Alii è contrario ita eximunt Principes à potestate Ecclesiastica, ut nihil penè integrum relinquunt Ecclesiasticæ potestati, sed omnes causas etiam spirituales velint deferri ad iudicium civile, & illic terminari. Nos inter utrosque utramque potestatem temperantes, aliquot propositionibus quæstioni propositæ respondebimus.

Prima propositio: Papa * non est orbis dominus. 2
Probatum Matth. & Luc. (4) *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos, non ita erit inter vos.* Et statim: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis.* In quo loco videtur, Dominus Discipulis vetuisse, ne etiam privati vellent dominari, tantum abest, ut eis orbis potestatem tradiderit. Quem locum Bernard. inducit de considerat. ad Eugenium lib. 2. (5) dicens: *Nam quid tibi aliud*

(4)
Matth. 20. &
Luc. 22.

(5)
D. Bernard.

aliud dimisit, S. Apostolus? Quod autem, inquit, habeo, hoc tibi do. Quid illud? unum scio non est aurum, nec argentum. Esto, aut alia quacumque ratione hec tibi vendices, sed non apostolico jure: nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, dedit, sollicitudinem (ut dixit) super Ecclesias. Nunquid damnationem ipsum audi. Non dominantes, inquit, in Clero, sed forma facti gregis, & ne forte putes sola humilitate dictum, non etiam veritate vox Domini in Evangelio est, Reges gentium dominantur, &c. Planè Apostolis interdicitur dominatus: Quomodo ergo tu & tibi usurpare audes, aut dominans Apostolatam, aut Apostolus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis: si utrumque simul habere voles, perdes utrumque, alioqui non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi eos forma apostolica hec est, Dominatio interdicitur, illicita ministratio. Et infra: Exi in agrum, ager mundus est, exi non tanquam dominus, sed tanquam villicus. Item Papa fatetur se recepisse dominium aliquarum terrarum ab Imperatore, 12. q. 1. cap. Futurum. Item patet 96. dist. cap. Cum ad verum: Cum ad verum ventum est, inquit Pontifex, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus, nec Pontifex nomen Imperatoris sibi arripuit.

Præterea Papa non habet dominium in terris infidelium, quia non habet potestatem nisi intra Ecclesiam: de his enim quæ foris sunt, nihil ad eum, secundum Apostolum 1. ad Corinth. 5. (1) Et infideles sunt verè domini, cum Apostolus (2) præcipiat eis pendi tributum etiam à fidelibus, & dicit eos habere potestatem à Deo, & obediendum esse legibus eorum, & tamen illi non habent dominium à Papa: quia certè ipse nollet eos habere, & dat operam ad evertendum Imperium Paganorum: ergo non est dominus orbis.

Ex quo patet error multorum Jurisconsultorum, ut Archidiac, Panormit. Sylvest. & multorum aliorum, qui putant, quòd Papa est dominus orbis propriè dominio temporali, & quòd habet authoritatem, & ju-

(1)
1. Ad Cor. 5.
(2)
Roman. 13.

risdictionem temporalem in toto orbe supra omnes Principes. Hoc ego non dubito esse manifestè falsum, cum tamen ipsi dicant esse manifestè verum, ego puto esse merum commentum in adulationem & assestationem Pontificum, unde & cordatiores Jurisconsulti oppositum tenent, ut Joan. Andr. & Hugo, nec S. Thom. qui fuit studiosissimus authoritatis Pontificiæ, hoc dominium unquam tribuit summo Pontifici. Patet etiam secundo, esse non solum falsum, sed ludibrium dignum, quòd iidem dicunt in donatione facta Sylvestro à Constantino, si qua fuit: vel in posteriori à Philippo Augusto, non fuisse factam donationem, sed restitutionem: imò è contrario Sylvestrum donasse Constantino Imperium Orientale propter bonum pacis. Et similiter quòd Papa non utitur administratione temporali in toto orbe Christiano: hoc, inquiunt, non esse propter defectum authoritatis, sed propter nutriendum in filiis vinculum unitatis & pacis. Certè hoc nullum habet fundamentum in scripturis, nec usquam legimus hanc potestatem datam Apostolis à Christo, nec ipsos ea usos, nec docuisse se habere aliquod tale dominium: nec ipse Papa unquam agnovit hanc potestatem, imò oppositum testatur in multis locis, ex quibus aliqua adducta sunt, & apertè doctissimus Innocentius in cap. *Per venerabilem*, qui filii sint legitimi, dicit se non habere potestatem in temporalibus supra Regem Franciæ.

Secunda propositio: Potestas * temporalis non dependet à summo Pontifice sicut aliæ potestates spirituales inferiores, puta sicut Episcopatus, aut Curatus, aut aliæ potestates spirituales. Probatum ista ex prima: Quia Episcopis & inferioribus potestatibus ipse dat potestatem & authoritatem certo modo, ut infra disputabitur, sed Regibus, & Principibus nullam dat potestatem, quia nemo dat quod non habet, ipse autem non est dominus, ut probatum est. Ergo nec potest dare dominium, & per consequens nec facere Reges, nec Principes temporales, dico per potestatem temporalem. Hoc etiam probatum est in præcedentibus per

confessionem ipsorum summorum Pontificum. Et probatur etiam ratione. Quia potestas temporalis erat ante claves Ecclesie: erant enim Principes veri & domini temporales ante adventum Christi, nec Christus venit tollere aliena, non enim eripit mortalia, qui regnat dat cœlestia, nec Ecclesia indiget hoc dominio. Ista propositio non omnino est eadem cum prima quia fieri posset, ut ad Papam spectaret constituere Reges, licet non esset ipse dominus, sicut dat dominium, & titulum, ad præbendam, & bona temporalia, quorum non est dominus, propriè: ut pro certo nunc suppono, & sicut Imperator facit, & instituit Duces, quamvis non sit propriè dominus illius dictionis, quia non posset sibi reservare.

Sed dico, quòd nec hoc modo Papa est supra Reges, & Principes, quòd institutio eorum, vel fuerit, vel posset esse à summo Pontifice, nec dubito plus de ista, quàm de prima conclusione, licet etiam assertores alterius partis communiter dicant, quòd Papa instituit omnem potestatem temporalem tanquam delegatam, & subordinatam sibi, & quòd ipse constituit Constantinum Imperatorem: sed totum hoc est fictitium, & sine quacumque probabilitate, nec innititur, vel ratione, vel testimoniis, vel Scripturæ, vel saltem alicujus ex partibus, vel verè Theologis. Sed Glossatores juris hoc dominium dederunt Papæ, cum ipsi essent pauperes, rebus & doctrina. Item dominia privata non dependent à Papa: ergo nec publica, & universaliora. Antecedens notum est.

- 4 - Tertia propositio: Potestas * civilis non est subjecta potestati temporali Papæ, non dico autem, quòd non sit subjecta Papæ, quia certum est omnes potestates esse subjectas Papæ ratione potestatis spiritualis: quia omnes sunt oves, & ipse est Pastor. Sed dico non esse subjectam ei tanquam domino temporali. Hæc propositio differt à prima & secunda. Quia licet non esset dominus orbis, nec haberet instituere dominos: posset esse superior sicut Imperator est superior aliquibus Regibus, & tamen nec est dominus Regnorum,

nec instituere habet Reges in illis Provinciis, vel sicut Rex Francorum proximis temporibus erat superior ad Comitem Flandriæ, & tamen nec erat propriè dominus, nec instituebat Comitem: imò Rex est suprà omnes privatas personas Regni, & tamen non facit eos dominos rerum suarum.

Dico ergo, quòd nec hoc modo Principes, aut Reges subjiciuntur Papæ. Ista non indiget probatione, patet enim ex præcedentibus. Sed potest confirmari: Quia Respublica temporalis est Respublica perfecta, & integra, ergo non est subjecta alicui extra se, aliàs non esset integra, ergo potest sibi constituere Principem nullo modo in temporalibus alteri subjectum. Item tempore quo fuerunt Reges, & Sacerdotes in Populo Israel, non legimus, quòd Sacerdotes haberent tale dominium. Unde ergo, cum in Scriptura nihil habeatur de hac potestate, ortum habuit hæc potestas? Et validissima probationum omnium est: Quia non probatur aliquo modo hæc temporalis potestas in summo Pontifice, ergo non habet illam. Item quare Episcopus non haberet illam potestatem temporalem in suo Episcopatu? Et tamen authores & defensores hujus potestatis in Papa nihil hujusmodi tribunt Episcopis?

Ex his propositionibus sequitur corollarium manifestè, quod * Papa non habet judicare saltem via ordinaria de causis Principum, aut jurisdictionum, & Regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis civilibus. Hæc patet ex dictis, quia si non est dominus, nec superior, non est quare ad eum appelletur, & dico Papam non habere hanc potestatem non solum quantum ad usum, & executionem, sed nec quantum ad authoritatem. Qui enim sunt defensores temporalis potestatis in Papa, fatentur quidem Papam non habere usum & executionem ordinariam hujus potestatis: sed hoc non defectu authoritatis, sed quia ipse dedit, & transtulit potestatem & usum ejus in Principes. Ego verò dico ipsum nec habere usum nec potestatem, & ideo nec ad ipsum spectare judi-

dicium causarum temporalium, nec in prima instantia, nec in gradu appellationis. Dico verò ordinariè: non enim nego, quin in casu possit haberi recursus ad Papam, & quòd ipse possit rescindere iudicium civile. Sed hoc non ratione potestatis temporalis, sed ratione spiritualis præcisè, ut statim dicturus sum.

Hanc conclusionem confitetur Alexander Papa III. in cap. *Causam*, 2. extra Qui filii sint legitimi. *Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrabere, qui ipsarum iudicium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum iudicium relinquentes, &c.* Et Bernardus ad Eugenium: *In criminibus, inquit, non in possessionibus potestas vestra: propter illa siquidem has accepistis claves Regni Cælorum.* Et infra: *Habent hæc infima terrena iudices suos & Principes terræ.* Idem Innocentius III. in cap. *Novit*, de Judiciis: *Non enim intendimus iudicare de feudo, cujus ad ipsum, scilicet, Regem spectat iudicium.*

- 6 Sequitur secundò, quòd * ipse non habet potestatem deponendi Principem secularem, etiam ex justa causa, eo modo quo potest deponere Episcopum. Hoc semper intelligo, ratione authoritatis temporalis: quia per potestatem spiritualem, & in casu, secus est, ut postea dicam. Hoc corollarium patet ex dictis.
- 7 Sequitur tertio, quòd * nec habet confirmare, nec potest infirmare leges civiles. Patet ex dictis, quia si potestas civilis non dependet ab eo, ergo nec actus potestatis civilis.

- 8 Quarta propositio: In * Papa nulla est potestas merè temporalis. Declaro hanc: Potestas civilis, & temporalis est, quæ habet finem temporalem: spiritualis est, quæ habet finem spiritualem. Dico, quòd in Papa nulla est potestas, quæ ordinetur ad finem temporalem, quæ est merè temporalis potestas. Ita tenet Cajetanus in Apolog. 2. part. cap. 13. (1) ad octavum argumentum. Probat: Quia ut supra dictum est, potestas spiritualis distinguitur à temporali ex fine, quia po-

(1)
Cajetan.

potestas spiritualis tendit ad finem spiritualement, sed summus Pontifex non est nisi persona, vel Sacerdos, in quo est summa potestas Ecclesiastica: ergo non habet potestatem, quæ habet finem temporalem. Et confirmatur: sine aliqua potestate purè temporali esset summus Pontifex, qui haberet summam potestatem Ecclesiasticam: ergo non est ponenda in eo aliqua potestas temporalis.

Confirmatur secundò: Necessitas & ratio rerum sumenda est ex fine, sed nullus finis est ponendi hanc potestatem, ergo. Et quamvis inter defensores alterius sententiæ sint aliqui de numero Thomistarum, tamen puto Sanct. Thomam esse hujus sententiæ, tum quia, ut dictum est, cum fuit studiosus fautor Pontificiæ partis nunquam tamen hujusmodi potestatem tribuit Papæ, tum maximè, quia ut infra dicemus secundum Sanctum Thom. Ecclesiastici sunt exempti à tributis privilegio Principum secularium. Quòd si Papa est Dominus temporalis, ut isti autumant, & Reges habent imperium ab ipso, non erat opus privilegio Principum ad exemptionem Ecclesiasticorum.

Quinta propositio: Temporalis * potestas non dependet à spirituali omnino, eo modo quo ars, sive facultas inferior dependet à superiori, ut frænorum ars inservit equestri fabrilis nauticæ, armorum militari. Hanc posui propter Doctores qui hanc comparisonem ponunt inter istas duas potestates. Probat: Potestas civilis non est præcisè propter spiritualement, sed ars inferior est præcisè propter superiorem: ergo comparatio non est omnino similis. Antecedens pro utraque parte patet. Nam si non esset militaris, non esset armorum ars, nec frænorum, nisi esset equestris. Sunt enim omnes hujusmodi organicæ, id est instrumentales artes: cessante autem fine, nullus est instrumenti usus, imo nullum esset instrumentum. Non sic autem est de potestate civili in ordine ad spiritualement. Dato enim quòd non esset aliqua potestas spiritualis, nec aliqua beatitudo supernaturalis, esset aliquis ordo in temporali republica, & esse aliqua potestas, sicut est

in rebus naturalibus, etiam irrationalibus, inter quas aliqua agunt: alia patiuntur propter bonum duntaxat universi, ergo magna est differentia. Non est ergo sic intelligendam, quod una dependet ab alia, quod sit præcisè propter illam, vel tanquam instrumentum ejus, vel tanquam pars illius: sicut potestas Prætoris, est pars regie potestatis, sed est integra, & perfecta potestas in se, & propter proprium finem immediata: sed nihilominus est aliquo modo, ut supra dictum est, ordinata ad potestatem spiritualem. Et confirmatur: Quia ex sententia meliorum Philosophorum, vir fortis deberet ponere vitam pro republica, etiam si non esset aliqua fœlicitas post hanc vitam. Ergo adhuc maneret respublica, secluso fine spiritualis potestatis, & perconsequens manerèt aliquis ordo principatus, & subditorum, sine quo non esset propria respublica.

IO Sexta propositio: His non obstantibus, potestas * civilis aliquo modo subjecta est, non potestati temporali summi Pontificis, sed potestati spirituali. Probat: Quia si finis alicujus facultatis dependet à fine alterius facultatis: ergo etiam facultas dependet à facultate. (1) Hanc comparisonem ponit S. Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 2. ad tertium. (2) Sed finis temporalis potestatis dependet à fine spiritualis aliquo modo: ergo etiam potestas civilis à spirituali. Assumptum probatur: Quia fœlicitas humana est imperfecta, & ordinatur in beatitudinem supernaturalem tanquam in perfectam, sicut ars armorum fabricandorum ordinatur in militarem, & imperatoriam, & fabricandi navem in nauticam, & fabricandi vomeres in agriculturam, & sic de aliis. Itaque non oportet imaginari, quod potestas civilis & spiritualis sint sicut sunt duæ respublicæ disparatæ, & differentes, ut Gallorum, & Anglorum. Et confirmatur hoc & declaratur: Si enim administratio civilis esset in detrimentum administrationis spiritualis, etiamsi ad finem proprium civilis potestatis esset commoda administratio: tamen teneretur Rex, aut Princeps mutare hujusmodi admini-

(1)

2. Ethicor.

(2)

S. Thom. 2. 2.

q. 40. art. 2.

nitrationem (ut statim probaturus sum.) Ergo civilis potestas est subiecta aliquo modo potestati spirituali. Sed contra: Quia etiam si administratio spiritualis noceret reipublicæ, teneretur Pontifex mutare. Respondetur: Non est verum, si esset necessarium, vel valde utile, & tamen etiam si perirent bona temporalia, deberent poni pro spiritualibus in necessitate, vel magna utilitate. Nec valet dicere; quòd licet hoc sit verum, tamen hoc non est, nec ratione subiectionis, aut dependentiæ, sed quia finis spiritualis potestatis est perfectior, quàm civilis, & ideò ex ordine charitatis debet præponi bonum spirituale bono temporali, hoc, inquam, non valet. Nam si potestas temporalis non aliquo modo subjiceretur spirituali, & ordinaretur ad illam, dato quòd bonum spirituale esset majus, non inde nasceretur obligatio ad conservandum bonum spirituale cum detrimento boni temporalis. Probatur: Nam gubernator unius reipublicæ non tenetur, imò non debet conservare bonum alterius reipublicæ, quantumcumque majoris, cum detrimento suæ reipublicæ. Imò nec homo privatus tenetur adire detrimentum bonorum suorum pro conservatione alienæ reipublicæ. Si ergo reipublica civilis & spiritualis essent omnino independentes, sicut duæ reipublicæ temporales, vel sicut duæ artes impertinentes, non teneretur Princeps temporalis subvenire spiritualibus cum detrimento temporalis reipublicæ.

Nec valet dicere, quòd Rex tenetur subvenire rebus spiritualibus, quia est respectu subditorum suorum: & si subditi facerent jacturam in bonis spiritualibus, jam opus esset subvenire cum quocumque detrimento bonorum, vel gubernationis temporalis, aliàs noceret illis: sed hoc est propter subiectionem, hoc, inquam, non valet, quia non solum respectu subditorum suorum. Sed si ex administratione reipublicæ civilis in Hispania fieret magna jactura bonorum spiritualium in Africa, tenetur Princeps corrigere hujusmodi administrationem. Ergo hoc est propter dependentiam, & ordinem. Et confirmatur hoc: Quia tota

Ecclesia est unum corpus, nec ex republica civili, & spiritali fiunt duo corpora: sed unum tantum, ut certum est ex Apostolo Paulo, ut supra inductum est, quia Christus est caput totius Ecclesie, & esset monstruosum, vel unum corpus esse sine capite, vel unum caput habere duo corpora, sed in uno corpore omnia sunt invicem connexa, & subordinata, & partes ignobiliores sunt propter nobiliores. Ergo etiam in republica Christiana sunt omnia subordinata, & connexa, & officia, & fines, & potestates, & nullo modo est dicendum, quod spiritalia sunt propter temporalia. Ergo e contrario temporalia sunt propter spiritalia, & dependent ab illis. Item probatur: Quia non videtur esse minoris dignitatis Sacerdos novae legis, quam veteris legis, qui poterat etiam causas temporales in casu terminare, ut supra probatum est. (1) Deut. 17.

II Septima propositio: In Ecclesia * est aliqua potestas, & autoritas temporalis in totum orbem. Ista patet primo: (2) Ex cap. Omnes, distinct. 22. In quo Nicolaus Papa inquit: *Christus Beato Petro vite aeternae clavifero, terreni simul, & Coelestis Imperii jura commisit.* Ubi gloss. *Argumentum*, (inquit) *quod Papa habet utrumque gladium, spiritualem scilicet, & temporalem.* Item allegat 66. distinct. cap. *Tibi dico*, & cap. *Nos Sanctorum*, & cap. *Juratos*. Item est expressa determinatio Beati Bernardi ad Eugen. Ubi tamen nihil omnino tribuit assentationi, & gratiae Pontificis, sed potius quantum licet, reprimit ambitionem illius sedis. Et probatur ratione. Necessarium fuit ad commodam administrationem Ecclesie, & ad finem spiritualem, ut in Ecclesia esset potestas temporalis. Ergo est ponenda talis potestas. Antecedens probabitur, & declarabitur in octava propositione, quae talis est.

III Octava propositio: In * ordine ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, & Reges, & Imperatores. Et primo, quod in Ecclesia sit potestas temporalis in ordine ad finem spiritualem: probatur, quia temporalia, ut supra dictum est, aliquo modo sunt necessaria, & or-

(1)
Deut. 17.
(2)
Ex cap. Omnes, dist. 22.

dinata ad finem spiritualem: Ergo Christus non satis providisset, & cavisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset ordinare, & uti temporalibus convenienter ad finem spiritualem: sed hoc non spectat ad officium Principum secularium, qui ignorant proportionem rerum temporalium ad spiritualia, nec habent curam rerum spiritualium: ergo ista cura utendi temporalibus ad spiritualia, est potestatis Ecclesiasticæ: ergo si necessarium sit aliquando ad conservationem, aut administrationem rerum spiritualium uti temporalibus, & materiali gladio, & authoritate temporali, Papa hoc poterit. Dico ergo quod habet amplissimam potestatem: quia quantum, & quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solum omnia, quæ Principes seculares possunt, sed facere novos Principes, & tollere alios, & imperia dividere, & pleraque alia.

Dubium incidens.

Sed ut hæc magis exponantur, dubitatur: Utrum* 13 hæc potestas temporalis in Summo Pontifice intelligatur solum mediante potestate, & gladio spirituali, an immediate exercere possit potestatis temporalis actum: exempli gratia, si pro defensione fidei necesse est, ut Hispani proficiscantur ad bellum adversus Saracenos, utrum Papa solum possit censuris, & præceptis cogere Regem, ut proficiscantur Hispani ad bellum: an ipse indicere bellum propria authoritate, & vocare Hispanos in bellum, & quod teneantur eum sequi sicut Regem. Vel, ut sit exemplum familiarius, Imperator fecit legem, ut possessor etiam malæ fidei præscriberet, & suppono, quod lex non est de se ita iniqua, quin haberet vim legis, nisi esset revocata: nihilominus quia est occasio injuriarum, & rapinarum, & plus mali affert, quàm boni, expedit ut tollatur, & antiquetur.

Dubitatur an Papa possit sua authoritate immediate revocare, & contrariam ferre, an solum possit præcipere Imperatori, & cogere ut revocet, & tollat.

Respondeo primò: Quod Papa non potest immediate revocare eam legem quia hoc spectat ad potestatem civilem: & Papa non debet, nec potest usurpare potest-

testatem civilem nisi necessitate, aliàs faceret injuriam principibus, si occuparet officium eorum. Probatum: Quia si solùm per hoc quòd sit conveniens ad finem spiritualem aliquis actus potestatis civilis, posset Papa, illum exercere, cùm tota administratio temporalis sit necessaria ad finem spiritualem, posset Papa semper exercere totam potestatem civilem, & sic cessaret officium Principum. Non ergo sufficit, ut aliquid sit necessarium ad finem spiritualem ad hoc, quòd spectet ad Papam, sed oportet, ut illud sit in casu necessitatis: id est, ubi cessat potestas civilis, & non ubi facere potest officium suum. Dico ergo, quòd Papa primò debet uti potestate spirituali, jubendo scilicet illud revocari, quòd si nolit Princeps secularis, tunc potest ipse, & debet propria authoritate revocare, & erit revocatum. Et eodem modo dico, si Populus Christianus eligeret Principem Infidelem, de quo meritò timeretur, quòd Populum adverteret à fide, nihilominus manendo in jure divino solùm, esset verus Princeps, nihilominus Papa deberet admonere Populum, imò præcipere, ut tolleret illum: quòd si nollet, aut non posset, tunc Papa sua authoritate posset eum tollere, & qui prius erat verus Princeps, authoritate Papæ perderet principatum. Et similiter dico in aliis negotiis temporalibus, quòd Papa non potest prævenire potestatem temporalem, & quantumcunque potestas temporalis sit negligens in administratione reipublicæ, si hoc non vergit in detrimentum rerum spiritualium, Pontifex nihil potest: sed si hoc vergit in jacturam gravem spiritualium, potest adhibere remedium eo modo, quo dictum est. Et similiter si Principes inter se belligerant de aliqua Provincia cum manifesto detrimento, & malo religionis, non solùm potest interdicere eis bellum, sed si aliter convenire non possunt, potest judicare inter illos per authoritatem propriam, & dare jus uni eorum, & auferre alteri.

Ratio omnium istorum est: Quia respublica spiritualis debet esse perfecta, sicut, & temporalis, & per consequens sibi sufficiens: sed respublica temporalis

hoc juris habet, ut si aliter non possit servare se indemnem, & incolumem, possit exerceret jurisdictionem, & auctoritatem. Si enim aliter Hispani non possunt se defendere ab injuriis Gallorum, possent occupare Civitates eorum, & constituere eis novos Principes, & Dominos, & punire nocentes, & cætera propria auctoritate facere, ac si essent verè domini, ut omnes Doctores habent fateri. Ergo similiter si potestas spiritualis non potest aliter servare se indemnem, & suam rempublicam, poterit cum auctoritate omnia facere necessaria, ad illum finem aliàs potestas esset manca, & non sufficienter constituta ad suum finem.

Dub. alterum.

Dubitatur secundo: Si * enim Papa non habet potestatem temporalem nisi duntaxat in casu necessitatis, si Papa diceret aliquam legem civilem, aut aliquam administrationem temporalem non esse convenientem, & non expedire gubernationi reipublicæ, & juberet eam tolli, Rex autem diceret contrarium, cujus sententiæ standum esset? Respondeo: Si Papa diceret talem administrationem non expedire gubernationi temporali reipublicæ, Papa non esset audiendus: quia hoc judicium non spectat ad eum, sed ad Principem: & licet verum esset, nihil ad auctoritatem Papæ. Eò enim ipso quòd hoc non sit contrarium saluti animarum, & religioni, cessat officium Papæ. Sed si Papa dicat talem administrationem cedere in detrimentum salutis spiritualis, ut quòd talis lex servari non posset sine peccato mortali, aut esse contra jus divinum, aut esse fomentum peccatorum standum esset judicio Pontificis, quia Rex non habet judicare de rebus spiritualibus, ut supra dictum est. Et hoc intelligitur, nisi aperte erraret, vel faceret in fraudem. Debet enim Pontifex rationem habere temporalis administrationis, nec quicquid primò aspectu videtur conducere ad promovendam religionem: statim discernere sine respectu rerum temporalium: non enim tenentur nec Principes nec Populi ad optimam rationem vitæ Christianæ, nec ad hoc possunt cogi, sed solum ad servandum legem Christianam intra certos limites, & terminos.

Et

Et confirmatur hoc, quia cum sint in una Ecclesia relicte à Christo duæ potestates distinctæ ad conservationem, & incrementum bonorum, tam temporalium, quàm spiritualium, & possint non rarò oriri dubia, & controversiæ inter utraque potestatem, non videretur sufficienter provissum Ecclesiæ, nisi esset aliquod iudicium, ubi terminarentur huiusmodi dubia, alias omne regnum divisum desolaretur. (1) Matth. 12. & Luc. 11. Et non est rationabile dicere, quòd hoc spectet ad Principes seculares, qui non possunt rectè judicare de spiritualibus. Ergo videtur quòd potius hoc spectet ad Principes Ecclesiasticos. Et præterea quantumcunque interveniat detrimentum in administratione temporalium si aliquid est necessarium ad vitam spiritualem subditorum, postponi debent temporalia. Et ideo cum cognitio rerum spiritualium spectet ad Prælatos Ecclesiasticos, etiam iudicium de comparatione temporalium ad spiritualia, oportet ut ad eos spectet. Ad hunc sensum supra positum videtur Petrus de Palude dare auctoritatem in temporalibus Summo Pontifici licet eam extendat benignius quàm opus est. Vide illum (2) in tract. de Potest. Ecclesiæ. (3) Bonifatius VIII. in Extravaganti: *Unam sanctam. In hanc ejusque potestate, inquit, scilicet in Romani Pontificis potestate, duos esse gladios, spiritualem scilicet, & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij, &c. Et consequenter dicit: Non est potestas nisi à Deo: & quæ à Deo sunt, ordinata sunt, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema.* Et idem determinat Innocentius III. (4) in cap. *Per venerabilem qui fil. sint legit.*

(1)

Matth. 12. &
Luc. 11.

(2)

Palude, in
tract. de Po-
test. Eccles.

(3)

Bonifa. VIII.
in Extravag.

(4)

Innocent. III.
in cap. Per
venerab.

Sed contra aliqua ex prædictis possunt fieri argumenta, quibus moti sunt aliqui ex authoribus ad sentiendum contrarium aliquarum propositionum assertarum. Arguitur ergo primò, maximè contra tres primas propositiones: Christus * Redemptor noster fuit Dominus Orbis, etiam secundum humanitatem: sed Papa est Vicarius Christi: ergo Papa est simpliciter verus Do-

Arg. contra tres
primas propo-
sitiones.

Do-

- Dominus Orbis, & sic habet omnimodam potestatem supra omnes Principes, & supra omnem potestatem temporalem. Antecedens patet, quia ipse est Rex regum, & Dominus dominantium. (1) Apoc. 18. Et ipse de se dicit:
- (1) Apoc. 18.
- (2) Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* (2) Matth. 28. Et de ipso habetur in Prophetis, quod ipse dominabitur Gentium: (3) Psalm. 21. *Et Regnum ipsius omnibus dominabitur.* (4) Psalm. 102. & 46. Quod regnabit super Gentes. Minor autem probatur, tum quia absolutè dictum est Petro: *Pasce oves meas* (5) Joan. ultimo. Sine limitatione, ergo videtur, quod habet auctoritatem pascendi sicut Christus scilicet in spiritualibus, & temporalibus. Item quia Apostolis dictum est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* (6) Sed ipse missus est cum utraque potestate: ergo etiam in Ecclesia manet utraque potestas. Item: Quia videtur, quod se Regem fecerit, quia de hoc accusatus fuit, nec ipse videtur negasse. (7) Luc. 23. & Joan. 19. & Matth. 27.
- (3) Psalm. 21.
- (4) Psalm. 102. & 46.
- (5) Joan. ultim.
- (6) Joan. 10.
- (7) Luc. 23. & Joan. 19. & Matth. 27.

Ad hoc argumentum primum dico: Quòd non statim valet, quia Christus habuit potestatem temporalem, vel fuit orbis dominus: ergo hanc potestatem reliquit in Ecclesia, sicut Doctores consentiunt, quòd in Christo fuit potestas excellentiæ, quàm tamen non reliquit in Ecclesia. Nec enim est in Ecclesia potestas instituendi nova Sacramenta, nec destituendi jam condita, nec remittendi peccata sine Sacramento, quæ potestas fuit in Christo. Et sic esto, concedatur, quòd Christus habuerit dominium totius orbis, expediebat quidem, quòd ipse haberet, tum propter auctoritatem personæ, tum quia erat renovaturus orbem, & ipse non poterat abuti potestate: non autem expediebat, ut eam potestatem relinqueret in Ecclesia: qua possent Pontifices malè uti ad perniciem Ecclesiæ, sicut etiam Doctores oppositæ sententiæ fatentur non expedire, ut Papa exercent illam potestatem. Quid autem opus erat ista potestate mathematica, quam nunquam esset Ecclesia in usu habitura?

Secundò, quia alibi prolixius hunc locum de tempo-

porali potestate Christi tractavi, in presentia dico:
 16 Quod * Christus non fuit Rex hæreditaria successione.
 Patet, quia de hoc Regno nihil habemus in Evange-
 lio, & frustra fingimus: & videtur quòd foemina non
 posset venire ad regnum, & sic nec Christus.

17 Tertio dico: Quòd * nec puto eum etiam dono
 Dei habuisse dominium temporale, quale est dominium
 Principum: sed regnum ipsius fuit alterius rationis.
 Et utrumque horum probatur: quia ubicumque fit
 mentio de Regno Messia, in Scriptura, semper osten-
 ditur esse alterius generis, & ad alium finem quàm
 regna temporalia. Hoc patet: (1) in Psalm. 2. *Ego au-
 tem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanc-
 tum ejus, predicans præceptum ejus.* Quem locum cum
 ipse dignatus est exponere in Evangelio: (2) Joan. 18.
*Regnum meum non est de hoc mundo. Ego ad hoc veni in
 mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quòd idem
 est, ac dicere: *Predicans præceptum ejus.* In quo lo-
 co profectò in sensu literalì videtur omnino exclusisse
 omnem opinionem de regno temporali. Cùm enim Pi-
 latus interrogasset eum: *Tu es Rex Judeorum?* Respon-
 dit Dominus: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixe-
 runt de me?* Quæ verba id aperte ostendunt. Nam Pila-
 tus legis ignarus, & religionis, non poterat intelligen-
 re aliud regnum nisi temporale, quale Principes sæ-
 culi habent: atque adeò si hoc à se diceret, non po-
 terat intelligere, nisi de regno temporali, & oportu-
 iusset Dominum aliter respondisse: quàm respondit. Si
 autem hoc dicebat ex criminatione Judeorum, qui di-
 cebant eum se Regem facere, aliter erat respondendum
 Et sic postquàm Pilatus dixit: *Gens tua, & Pontifices
 tui tradiderunt te mihi.* Dominus voluit eum admonere,
 ne deciperetur calumniis Judæorum, sed intelligeret,
 regnum, de quo Judæi malè habebant Christum se Re-
 gem facere, non esse tale regnum, quale Pilatus po-
 tuerat intellexisse, sed esse regnum Messia, quòd non
 erat regnum de hoc mundo, id est, non ejusdem ra-
 tionis, nec ad eum finem, ad quem alia regna temporalia
 ordinantur, sed ad prædicationem veritatis: quasi dicat:

Noli

(1)

Psalm. 2.

(2)

Joan. 18.

Noli falli Pilate, regnum enim meum, de cujus affectatione me Judæi accusant, non est tale regnum, qualia vestra regna. Itaque non negat objectum, si sanè, & verè intelligatur: Neque Judæi unquam eum accusaverunt de alio regno, nisi de regno Messia. Sic enim dicebant: (1) *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prohibentem tributa dari Cesari, & dicentem se Christum Regem esse.* Verum est autem, quòd Judæi putabant regnum Messia esse regnum temporale, cujus sententiæ etiam videntur esse isti, qui ei tribuunt hæreditario jure regnum Judæorum, quòd tamen Christus apertè negavit. Regnum * ergo: Christi in toto or-18
be nec fuit ex aliquo principio humano, puta jure paterno, aut electione, aut alio simili titulo, nec ad aliquem finem temporalem, sed fuit titulo redemptionis, sicut Apostolus dixit: *Factus est obediens usque ad mortem, propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, Cælestium, Terrestrium, & Infernorum,* (2) Philipens. 2. Atque etiam ad finem redemptionis, qui est finis spiritualis, ad quem finem habuit plenissimam potestatem, etiam in temporalibus, & potuit mutare omnia regna mundi, & novos Principes instituere, & alios redigere in ordinem, & privatos facere, & omnia facere quæ ad finem redemptionis, propter quem in orbem venerat, opus essent: quàm etiam potestatem in casu supraposito non negamus Ecclesiæ. Profectò si omnes Christiani vellent Principes Paganos eligere, Papa posset obstare, & Christianos Principes præficere. Facit etiam illud: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* (3) Joan. 3. & alibi. *Quis me constituit judicem inter vos?* (4) Luc. 12. Et ratione probari potest, quia non est usus ea potestate, & frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.

Sed dicunt propter dignitatem, & perfectionem magnam: Quam verò dignitatem affectaret Dominus earum rerum scilicet quas omnes Paululus tamquam ster-

(1)
Luc. 23.

(2)
Philipens. 2.

(3)
Joan. 3. &
alibi.

(4)
Luc. 12.

cora arbitratus est. (1) Certè Christus verbo docuit contemnere, non solum usum, sed proprietatem rerum temporalium, nedum exemplo sibi vendicasset. Item faciunt argumentum ex illo: (2) *Ecce duo gladii hic.* 19 De quo vide Cajeten. in Jentaculo. Quod * Bonifacius in Extravag. intelligit. de gladio spiritali, & temporalis; & Bernardus ad Eugenium. (3)

(1)
Philipens. 19
(2)
Luc. 22.

(3)
Lib. 4. de Consideratione.
hoc est signum. v. d. Nord. Alex. Secu. 8. 1. 85.
(4)
Geladius 153

(5)
Innocentius.

Ad arg. 2. 3.

(6)
Matth. 18.

Tertio arguitur: Zacharias Pontifex deposuit à Regno Regem Francorum, & præfecit in Regno Pipinum, Caroli Magni patrem, ut testatur Geladius 15. quæst. 6. cap. *Alius.* (4) Item Stephanus Papa transfudit Imperium à Græcis ad Germanos tempore Constantini Imperatoris, & instituit primum Imperatorem Carolum cognomento Magnum, ut testatur Innocencius in cap. *Venerabilem*, de Electione. (5) Item Innocencius IV. Regi Portugaliæ interdixit Regni administrationem, ut habetur in cap. *Grandi*, de supplenda negligentia Prælatorum, lib. 6.

Ad omnia hæc respondetur, quòd nihilo plus probant, quem à nobis assertum est, quod scilicet in casu summus Pontifex omnia illa potest, ubi scilicet illa sunt necessaria ad tollendum scandalum in Regno, ad protectionem Religionis contra Paganos, & alia similia, de qua etiam re vide cap. *Licet* 1. de Foro competentis; & Clementina *Pastoralis*, de re iudicata.

Quarto arguitur: Ad Ecclesiasticam potestatem spectat cognoscere de omni peccato mortali, saltem devolvitur iudicium ad illam per viam correctionis fraternæ. (6) Cum ergo in omni causa quantumcunque seculari altera pars facit injuriam, Ecclesia poterit iudicare de illa causa, & sic poterit cognoscere de omni controversia, & causa seculari, quod spectat ad potestatem civilem. Respondetur quòd in multis articulis, & causis: Utrum pars faciat injuriam, dependet ex jure civili: & ideo non spectat ad potestatem Ecclesiasticam cognoscere de illa causa, sed oportet quod terminetur in foro suo, scilicet civili. Postquam autem illic terminata est, si pars altera nollet obedi-

re, tunc ratione peccati posset haberi recursus ad Ecclesiam, sed non prius.

Secundo: Ille processus, quo tales causæ devolvuntur ad iudicium Ecclesiæ, tali ratione est solum ad finem correctionis fraternæ, & non ad satisfactionem partis læsæ: in foro autem civili contrario modo, & ideo iudicium illud potestatis Ecclesiasticæ non est temporale, sed spirituale, nec etiam illo iudicio debet aut potest Papa uti in fraudem, aut impedimentum jurisdictionis civilis. De duobus gladiis clarum est, quod in sensu literali nihil habetur. Sed cum Christus ostendisset eos habituros contradictionem, & necesse esse habere defensionem, ipsi errantes dixerunt: *Ecce duo gladii hic*, &c. Vide Turrecrematam lib. 2. cap. 113. 114. 115. (1)

(1)
Turrecrem.

Quinto potest fieri argumentum, quia Pontifices distribuunt provincias infidelium, ut patet de Insulis inventis ab Hispanis. Sed ex dictis patet etiam ad hoc solutio. Nihilominus vitandus est error Ocham. in Dialog. lib. 6. cap. 8. & in fine Dialogi, & Gerson lect. 4. de Vita spirituali, (2) quod Papa non omnia peccata potest punire sententia excommunicationis, puta peccata, quæ sunt contra legem naturæ, sed solum quæ sunt directè contra Evangelium, ut de Sacramentis, & Fide. Hoc tamen est contra Paul. (3) ubi excommunicat incestum: quod tamen peccatum est contra legem naturæ.

(2)
Ocham. &
Gerson.

(3)
2. Corinth. 5.



UTRUM CLERICI SINT exempti à potestate civili.

SUMMA.

1. Clerici jure sunt exempti, & liberi à potestate civili, &c.
2. Non omnis Clericorum exemptio est de jure divino.
3. Clericorum aliqua exemptio à potestate seculari est de jure divino.
4. Cle-

4. Clericorum persone, non omnino, & quo ad omnia sunt exempta à potestate civili, nec jure divino, nec humano.
5. Ecclesiastica persona licet non essent exempta jure divino, aut casareo, summus Pontifex potuit eas eximere à potestate civili.
6. Clericorum exemptio, maximè quoad personas, ita quòd nec judicari, nec puniri à seculari potestate possint, multum est conformis juri divino, & naturali.
7. Clericorum exemptio, sive sit de jure divino, sive non nequit à Principe seculari tolli.
8. Clericorum libertas, si esset in manifestam Reipublica perniciem, & Pontifices nollent remedium adhibere, quid agendum.
9. Prætores, & Magistratus omnes citra Principem graviter errant, & peccant, judicia exercentes contra privilegia Clericorum, quamvis perniciosorum.

Sequitur consequenter, ut è contrario quæramus, An Clerici sint exempti à potestate civili. Ad quæstionem respondeo breviter per propositiones.

1 Prima: Clerici * jure sunt exempti & liberi à potestate civili, ita ut jure non possint conveniri apud Judicem secularem in causis criminalibus, vel civilibus, 11. q. 1. & in variis locis, quæ omitto, quia nota sunt, & non est opus vos illorum admonere, & oppositum est condemnatum in Concilio Constanciensi inter articulos Joannis Vvicleff.

2 Secunda propositio: Non * omnis exemptio Clericorum est de jure divino. Probatum primò: Hoc non habetur alicubi in jure divino: ergo non est tali jure sancita, hujusmodi exemptio. Antecedens probatur: Quia duo testimonia, quæ adducuntur ad hoc probandum, non satis ostendunt hanc exemptionem. Primus locus est Matth. 17. ubi cum exigissent didrachma à Christo, Dominus dixit Petro: Reges gentium à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalicemus eos, vade

(1)
Matth. 17.

*ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui prius
ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem,
illum sumens, da eis pro me & te. (1)*

Ex quo loco arguunt aliqui. In illo loco Christus signavit aliquod hominum genus non esse obnoxium Principibus, sed esse liberum, non autem videtur intelligi posse alius ordo hominum præter Ecclesiasticos, qualis erat Christus cum Apostolis: ergo illi sunt liberi. Assumptum probatur, quia certè non intelligitur de militibus, nec de nobilibus, omnes autem alii sunt subiecti tributo: ergo omnino oportet, quòd intelligatur de Ecclesiasticis.

Respondetur ad istum locum ex S. Thom. & Bonavent. in fine secundi senten. quòd Dominus loquebatur de se, & Discipulis suis, qui non erant servilis conditionis, nec res temporales habebant, de quibus dominis suis obligarentur ad tributa solvenda: Et ideo non sequitur, quòd omnis Christianus sit particeps hujus libertatis, sed illi solùm qui Apostolicam vitam sequentes, non sunt servilis conditionis. Fortasse ergo solùm voluit Christus eximere eos, qui non habent facultates: Ecclesiastici autem habent. Idem dicit S. Thom. in illum locum Matthæi, ubi etiam dicit, quòd videtur velle Dominus innuere, quòd ipse non teneatur solvere censum, quia sit Rex: ipse enim est Rex Regum, & Dominus dominantium. Est autem differentia inter tributum, & censum. Tributum enim solvitur ex bonis, census autem pro capite in signum subjectionis. Christus autem non erat subiectus, quia Rex, & ad hoc satis erat, quòd esset Rex Regno Messia, etiam si non esset Rex Regno seculari. Messias enim quo ad personam saltem exemptus erat à potestate Principum. Item etiam erat de genere Regum, erat enim filius David, unde illud videbatur satis ad exemptionem. Si enim paret exemptus, etiam filius: ergo si majores Christi fuerunt exempti, ergo etiam Christus, etiam lege gentium.

Vel aliter, & credo quòd verius. Christus enim Deus est Rex totius orbis, & per consequens cum sit

filius Dei naturalis, & filii naturales sint exempti, etiam jure gentium, ideo Christus fuit liber: non enim tollebat libertatem humanitas, fortè siquidem Christus voluit significare se filium Dei.

Secundum locum ex Scriptura solent afferre: *No- lite tangere Christos meos.* (1) Ex quo volunt aliqui habere, quòd cum Clerici sint Christi Domini, cum sint re vera uncti, & consecrati Domino, non licet eos tangere, hoc est, nec judicare. Sed ille locus nihil juvat causam Clericorum. Nam aut illud testimonium nihil agit de Clericis, aut solum in sensu allegorico, unde non trahitur argumentum. Secundò principaliter arguitur: Quòd Clerici sint exempti non jure divino, sed privilegio Principum. Et quidem hoc expressè dicit S. Thom. super illum locum Roman. 13. *Ideo enim tributa præstatis.* (2) Et dicit hanc exemptionem habere æquitatem quandam, non autem necessitatem. Et probatur: Quia in eo loco absolutè Paulus præcipit solvi tributa, nulla mentione facta de Clericis, aut alio genere hominum: ergo illa exemptio à tributis non est de jure divino, omnino enim est licentiosè & temerè factum, si Canon positus in scriptura est generalis, ponere exemptionem, quæ nusquam in scriptura posita sit, cum scriptura sit aperta. Omnino certè puto Clericos non esse exemptos à tributis jure divino. Et confirmatur, quia sentiunt commodum, ergo debent sentire onus.

3 Tertia propositio. Aliqua * exemptio Clericorum à potestate seculari est de jure divino. Hac probatur. In causis purè Ecclesiasticis Clerici non subjiciuntur potestati civili de jure divino: ergo aliqua exemptio est de jure divino. Antecedens patet ex dictis: Quia potestas Ecclesiastica est distincta à civili, nec ab ea dependet, & Princeps secularis non habet judicare de causis spiritualibus, ergo quo ad illas causas Clerici sunt omnino exempti. Et confirmatur: Tota potestas Principum secularium est à communitate & republica, ut in præsentia supponimus: sed respublica non habet aliquam potestatem spiritualem, ut infra ostendetur:

(1)
Psalm. 104.

(2)
S. Thom.

ergo nec Princeps secularis potest in rebus spiritualibus iudicium habere. Et confirmatur secundo: Quia Apostoli exercebant, & curabant totam administrationem Ecclesie sine respectu & authoritate Principum secularium: & ita omnes Sancti fecerunt etiam post christianitatem Principum. Ergo Ecclesia habet omnimodam potestatem in rebus ecclesiasticis, nec subicitur Principibus. (1) *Petrus interfecit Ananiam, & Saphiram.* Oppositum est damnatum contra Marf. de Padua. Ex his sequitur: Quod si Principes circa administrationem rerum ecclesiasticarum aliquid loci habent, ut eligere Episcopum, aut presentare personas ad dignitates, aut Sacerdotia Ecclesiastica, hoc totum habent privilegio & indulgentia Ecclesie, non ratione sue dignitatis. Corollarium constat ex dictis. Circa quod nota, quod dominus Cajetanus concedit lib. de Potestate Papae, cap. 27. quod etiam circa administrationem ecclesiasticam possunt Principes resistere Papae, si manifeste dissipet Ecclesiam, ut si perniciosè provideat, vel simonice det beneficia, non est danda possessio illis, nec obediendum in malis. Vide illum. Confirmatur hoc ex cap. *Quanquam*, de Cens. Quod personae Ecclesiasticae non solum jure humano, sed divino sunt exemptae à secularibus, & cap. *Si Imperator*, 96. dist. quod Deus voluit non à legibus publicis, nec à potestatibus saeculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus ordinari, & iudicari. Et confirmatur hoc totum: Quia Petro dictum est: *Pasce oves meas.* (2) Si ergo Princeps haberet iudicare in causis Ecclesiasticis, vel hanc potestatem haberet ex aequo cum Papa, & hoc non est possibile, quia esset confusio reipublicae, nec supra Petrum, quia Petrus habuit immediatè à Christo. Ergo non potest habere nisi sub Petro, vel à Petro, &c. Et confirmatur iterum ex verbis & facto Magni Constantini, qui ut refert Rufinus lib. 10. Ecclesiasticae Historiae, (3) cum Episcopi, qui venerant ad Synodum Nicenam obtulissent ei libellos, ubi continebantur causae, & querelae aliorum adversus alios, convocatis illis omnibus, dixit: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestata-*

(1)
Astor. 5.

(2)
Joann. 21.

(3)
Ruf. lib. 10.

tatem quoque dedit de nobis judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem judicari ab hominibus non potestis. Ecce confessionem Imperatoris, & quidem (ut veritabile est) non suo sensu expressam, sed instructus à viris spiritualibus, & sapientibus, hoc videtur dixisse: & si hoc verum est, certè potissimum verum habet in causis spiritualibus. Itaque non est dubitandum quin Principes non habeant aliquod iudicium, nec administrationem, nec de jure divino, nec à republica in rebus spiritualibus: & si quid juris habent, totum est ab Ecclesia.

4 Quarta propositio: Personæ * Clericorum non omnino & quo ad omnia sunt exemptæ à potestate civili, nec jure divino, nec humano. Patet, Clerici tenentur obedire legibus civilibus in his quæ expectant ad gubernationem & administrationem temporalem civitatis, & non impediunt administrationem Ecclesiasticam, & peccant facientes contra legem. Ergo non omnino sunt exempti. Consequentia est nota. Nam si essent omnino exempti, non plus tenerentur ad leges civitatis, quam si essent alterius reipublicæ. Antecedens autem probatur. Quia Clerici præter hoc, quòd sunt Ministri Ecclesie, sunt incolæ civitatis. Ergo tenentur vivere aliquibus legibus civilibus, non latis à Papa: quia Papa non potest condere leges civiles ordinariè, ut supra probatum est: ergo Clerici tenentur vivere legibus civilibus latis ab Imperatore, aut Principe laico. Item Rex est Rex non solum laicorum, sed & Clericorum: ergo aliquo modo subijciuntur ei. Item Clerici quantum ad temporalia non administrantur potestate Ecclesiastica, ut dictum est: ergo habent Principem, cui tenentur obedire in temporalibus.

5 Quinta propositio: Quanquam * personæ Ecclesiasticæ non essent exemptæ jure divino, aut cæsareo, summus Pontifex potuit eas eximere à potestate civili. Probatur: Hoc est conveniens, imo videtur necessarium ad administrationem rerum spiritualium, quòd personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ à iudicio civili; & ut supra dictum est, Respublica Ecclesiastica est per-

fec-

fecta, & sibi sufficiens: ergo in ea est potestas ad ferendas leges convenientes administrationi Ecclesie: ergo si exemptio Clericorum est conveniens, potest ferre leges de tali exemptione. Quod autem sit necessaria talis exemptio, patet: quia si Ministri Ecclesie possent trahi ad iudicium seculare, possent avocari à ministerio Ecclesie, & non possent commodè vacare officio suo. Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus. (1) Et ita si implicarentur Ministri iudiciis secularibus non possent Deo militare. Item Papa posset propria authoritate deligere Ministros Ecclesiasticos, non obstante, quòd potestas civilis contradiceret: ergo eadem ratione potest subtrahere illos à iudicio seculari. Item cum pro causis Ecclesiasticis, ut dictum est, posset conveniri, imò non posset alibi appellari, nec in iudicio Ecclesiastico, si posset simul vocari ad iudicium seculare esset omnino perplexus aliquando, ut non posset satisfacere utrique iudicio. Item quia re vera nullo modo erat contentaneum, ut Ecclesiastici, qui sunt Pastores ipsorum etiam iudicum secularium, vexarentur in iudicio à subditis suis.

Sexta propositio: Exemptio * Clericorum, maxime quoad personas, ita scilicet quòd nec iudicari, nec puniri à seculari potestate possint, est multum conformis juri divino, & naturali. Hæc propositio primo probatur ex illo iudicio Magni Constantini, supra posito, cujus verba sunt: *Vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quaecumque sunt, ad divinum referentur examen: vos enim nobis à Deo dati estis dii, conveniens non est, ut homo iudicet deos.* Idem apparet ex facto Joseph, (2) qui reliquit terram sacerdotalem liberam. Item sunt distinctæ potestates, & respublicæ: ergo de se oportet ut habeant proprios Ministros, non subditos aliis. Item omnino sequeretur magna absurditas, ut Prætor diceret causam coram Episcopo, & Episcopus coram Prætoře, & esset scandalum. Qua etiam ratione Apostolus prohibet, nec apud ethnicos habeant causas. (3) *Audet aliquis vestrum ha-*

(1)
2. Thim. 2.

(2)
Genes. 47.

(3)
2. Corinth. 6.

bens

bens negotium contra alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? Eset aperte scandalum, si Prædicatores fidei haberent causas coram Rege Pagano.

7 Septima propositio: Sive * exemptio Clericorum sit de Jure Divino, sive non: tamen non potest à Principe seculari tolli talis libertas, vel exemptio. Hæc primum patet ex quinta, quia postquam hoc expedit ad ninistrationi rerum Ecclesiasticarum Papa potuit eximere Ministros Ecclesie etiam sine autoritate Principum. Secundò probatur: Quia potestas Principum est tota à republica, sed tota Respublica Christiana jam consensit in hanc libertatem Ecclesiasticorum: Ergo Principes non possunt illam auferre.

8 Octava propositio: Nihilominus * si libertas Clericorum esset in manifestam reip. perniciem, ita ut Ecclesiastici impune baccharentur in cædem Laicorum, & Pontifices nolent adhibere remedium, possent Principes consulere suis civibus, non obstante privilegio Clericorum. Probatur: Quia (ut supra dictum est) respublica civilis est perfecta, & sibi sufficiens: ergo potest se defendere, & servare ab injuria cujuscumque propria autoritate, & super hoc leges convenientes ferre. Et confirmatur: Nam possunt Principes servare proprias respublicas, ab injuria aliarum rerum publicarum, non solum per modum defensionis, sed autoritative, ut supra ostensum est: ergo etiam ab injuriis Clericorum.

9 Nona propositio: Prætores * tamen, & omnes magistratus citra Principem graviter errant, & peccant, judicia exercentes contra privilegia Clericorum, quamvis perniciosorum, & etiam criminosos ab Ecclesiis extrahentes extra casus in jure permisos. Probatur hoc: Quia non sunt subditi illorum, nec habent potestatem in illos, & stantibus legibus non licet eis agere contra leges, & ipsi non habent potestatem, vel tollendi legem, vel dispensandi in lege, sed solum Principes. Joannes vigesimus secundus in Extravagantibus damnavit errores Marsilii de Padua: & Joannis de Janduno, inter quos unus est, quòd cum Christus in Evangelio,

Matth. 17.

(1) solvit tributum, hoc fecit non liberalitate & condescensione, sed necessitate coactus. Secundus, quòd ad Imperatorem spectat corrigere Papam, ac instituere. Tertius, quòd unus Sacerdos habeat majorem auctoritatem, quam alius, hoc habet ab Imperatore, & sicut dedit, potest tollere. Quartus, quòd nec Papa, nec tota Ecclesia possit punire quemcunque hominem coactive, nisi Imperator dedisset auctoritatem, (2) Cajetanus de Potestate Papæ cap. 27. dicit: Quòd quamvis quilibet licitè possit occidere Papam in valorem, se defendendo: tamen nulli licet Papam propter homicidium punire pœna mortis: & credo quòd intelligit Jure Divino, aliàs nihil esset dictum.

(2)
Cajet. c. 27.



RELECTIO II.

DE POTESTATE Ecclesiastica.

SUMMA.

1. Potestas Ecclesiastica, an sit per se in tota Ecclesia.
2. Potestas Ecclesiastica, sive spiritualis quomodo possit esse in tota Ecclesia, ostenditur.
3. Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, quomodo primo, & solum in Tribu Levitica fuerit.
4. Potestas verè, & propriè spiritualis, qualis nunc est in Ecclesia, quæ vocatur potestas Ecclesiastica, nec primò nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota Ecclesia universali eo modo, quo potestas civilis est in republica.
5. Ecclesia ex quibus constet.
6. Potestas Ecclesiastica immediatè est in Concilio, & etiam ratione totius. Et multa de potestate Concilii.

Matth. 17.

(1) solvit tributum, hoc fecit non liberalitate & condescensione, sed necessitate coactus. Secundus, quòd ad Imperatorem spectat corrigere Papam, ac instituere. Tertius, quòd unus Sacerdos habeat majorem auctoritatem, quam alius, hoc habet ab Imperatore, & sicut dedit, potest tollere. Quartus, quòd nec Papa, nec tota Ecclesia possit punire quemcunque hominem coactive, nisi Imperator dedisset auctoritatem, (2) Cajetanus de Potestate Papæ cap. 27. dicit: Quòd quamvis quilibet licitè possit occidere Papam in valorem, se defendendo: tamen nulli licet Papam propter homicidium punire pœna mortis: & credo quòd intelligit Jure Divino, aliàs nihil esset dictum.

(2)
Cajet. c. 27.



RELECTIO II.

DE POTESTATE Ecclesiastica.

SUMMA.

1. Potestas Ecclesiastica, an sit per se in tota Ecclesia.
2. Potestas Ecclesiastica, sive spiritualis quomodo possit esse in tota Ecclesia, ostenditur.
3. Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, quomodo primo, & solum in Tribu Levitica fuerit.
4. Potestas verè, & propriè spiritualis, qualis nunc est in Ecclesia, quæ vocatur potestas Ecclesiastica, nec primò nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota Ecclesia universali eo modo, quo potestas civilis est in republica.
5. Ecclesia ex quibus constet.
6. Potestas Ecclesiastica immediatè est in Concilio, & etiam ratione totius. Et multa de potestate Concilii.

IN altera Relectione quam de hac materia anno superiori fecimus differuimus, de potestate Ecclesiastica ex parte. hoc est, quo jure, & quando instituta est, de distinctione ipsius à potestate civili, de comparatione utriusque inter se. In hac consequenter disputaturi sumus de subjecto hujus potestatis, & reliquas graviores Quæstiones Theologicas circa potestatem contingentes. Ante omnia ergo quæritur: * An potestas Ecclesiastica sit per se in tota Ecclesia, distinguendo Ecclesiam universalem à singularibus personis, eo modo quo concedunt tum Philosophi, tum Theologi, & verum est, quod civilis potestas est immediatè in tota republica. Et quidem possit videri, quod sic primò ex hoc ipso, quod exempli gratia attulimus nam potestas secularis est in tota republica, & ab illa derivatur in magistratus, & aliàs potestates, & ordo gratiæ non tollit ordinem naturæ, cum uterque sit à Deo. Ergo eadem ratione videtur quòd potestas Ecclesiastica sit in tota universali Ecclesia, quæ nihil aliud est, quàm Christianorum, quædam respublica. Et probatur consequentia: Quia utraque potestas est propter bonum reipublicæ: ergo si propter bonum, & in bonum reipublicæ constituta est, videtur quòd primò debet esse in republica. Et confirmatur secundò: Quia in Concilio ritè congregato est immediatè potestas Ecclesiastica, ut in præsentia suppono tanquam verum, & statim probaturus sum: sed Concilium non videtur vendicare sibi illam potestatem nisi in quantum gerit personam, & vices totius Ecclesiæ universalis: ergo.

Secundò arguitur principaliter: Quia Ecclesia eligit Summum Pontificem. Cardinales, namque non sua autoritate, sed Ecclesiæ eligunt Papam: ergo Ecclesia habet summam potestatem, non enim posset dare, quòd non habet. Confirmatur: Quia Concilium dicit in suis Decretis: *Universalem Ecclesiam representans*, &c. ergo.

Tertio arguitur ex illo: (1) *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiæ non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & Publicanus.* Ubi data est potestas Ecclesiæ.

Quæstio.

Argum. pro parte affirm.

(1)
Matth. 18.

Quartò arguitur: Prælati sunt Ministri Ecclesiæ: ergo potestas est Ecclesiæ. Ad solutionem hujus quæstionis oportet revocare in hanc disputationem distinctionem illam dudum à nobis positam in præxima Relectione, quæ talis est, potestas Ecclesiastica dupliciter accipi potest. Uno modo largè pro quacumque authoritate, aut potestate ordinata per se ad finem spiritualem, & ad Cultum Divinum, sive habeat aliquem effectum spiritualem, & supernaturalem, sive non habeat: qualis fuit potestas omnis Ecclesiastica ante, datas claves Ecclesiæ ante à Domino, cujusmodi fuit Sacerdotium totum in lege naturæ, & in lege scripta. Aliter capitur potestas Ecclesiastica pro potestate, & authoritate proprie spirituali, aperiendi scilicet, & claudendi Regnum Cælorum, quæ sola potestas vocatur clavis à Domino, (1) quæ solæ habent effectum spiritualem, ut in priori Relectioni declaratum est.

(1)
Matth. 16. &
18.

Resp. ad quæst.

(2)
Ad Rom. 13.

His præmissis sit prima propositio: Potestas * Ecclesiastica sive spiritualis, primò modo potest esse in tota Ecclesia, sive republica. Probatur hoc: Quia quælibet respublica justa constituta est à Deo patet: (2) *Non est potestas nisi à Deo.* Sequitur continuo corollarium, quòd in lege naturæ, respublica, habuit authoritatem constituendi Sacerdotes, & alios Ministros Divini Cultus. Hoc patet ex conclusione. Nam si in republica erat hujusmodi potestas, poterat eam mandare, & committere cuicumque vellet. Et confirmatur. Nam cum talis potestas jure naturæ non spectaret potius ad unum ex civibus, quàm ad alium, non poterat aliter provideri, nisi authoritate reipublicæ. Signum autem hujus est, quòd in historia, sive fidelium, sive gentilium in lege naturæ non legimus Sacerdotes aliter constitutos, quem vel Populi suffragiis, sicut apud Romanos, vel Regis authoritate apud quem est reipublicæ tota potestas. Si enim Melchisedech fuerit Sem, filius primogenitus Noe, (ut Hebræi putant) & hæc fuerit prærogativa omnium primogenitorum, hoc non est credendum fuisse aliquo speciali præcepto, aut instituto Divino, sed ipsius Noe, qui Princeps suo-

suorum fuit ordinatione, aut aliàs aliqua Populorum, aut nationum ordinatione, vel constitutione. Ut enim in priori Relectione ostendimus, nulla fuit ea ætate potestas, quæ indigeret peculiari authoritate divina. Et si Abel fuit Sacerdos, hoc fuit ipsius Adæ primi parentis ordinatione, quæ, & durare potuit usque ad tempora Noe. Secundum corollarium, Sacerdotes, & Pontifices Gentilium poterant leges, & decreta facere de cultu sacrorum. Patet, quia habebant authoritatem vel lumine Fidei, vel solum lumine naturali sine nova authoritate ordinati in finem spiritualem, & sunt capaces cultus divini, imò ad hoc tenentur præcepto juris naturalis, ut superius ostensum est. De hoc enim damnantur Gentiles: (1) *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed administratio hujus cultus, vel omnium admonitionum quæ ordinantur ad finem spiritualem, ut supra probatum est, non spectat ad potestatem civilem, sed ad aliud genus potestatis: ergo apud rempublicam residet hujusmodi potestas spiritualis.*

(1)
Ad Rom. 1.

3 Secunda propositio, Tota * potestas spiritualis, quæ fuit in veteri lege, erat primò, & solum in Tribu Levitica, nec licebat alicui ex alia Tribu ministrare in Templo. Hoc patet; Deut. 10. (2) ubi post mortem Aaron, qui & ipse erat de Tribu Levi: *Functus est Sacerdotio Eleazar filius ejus, & ex eo tempore separavit Tribum Levi, ut portaret Arcam fæderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine ejus usque in presentem diem: quamobrem non habuit Levi partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio ejus est.* Et idem habetur: Josue 13. (3) *Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed Sacerdotia, & victima Domini Dei Israel, ipsa est ejus hereditas.*

(2)
Deuter. 10.

(3)
Josue 13.

Et confirmatur ex Paul. ad Heb. 7. (4) ubi dicit, quòd Levi, qui decimas accepit, decimatus est in lumbis Patris ejus Abraham, & iterum: *Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere Sacerdotem?*

(4)
Ad Heb. 7.

Ex

Ex quo patet quod totum Sacerdotium veteris legis erat in Tribu Levitica. Et confirmatur secundo: Quia ibidem Paulus dicit de Domino: *Manifestum est enim quod de Juda ortus sit Dominus noster: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus loquutus est Moyses: & eadem ratio est de aliis Tribubus, de quibus etiam nihil loquutus est Moyses.*

Tertia conclusio: Potestas * secundo modo, id est, verè, 4
& propriè spiritualis, qualis nunc est in Ecclesia, quæ vocatur potestas Ecclesiastica, nec primo, nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota Ecclesia universali eo modo, quo potestas civilis est in Republica. Probatur conclusio: Quia vel convenit toti Ecclesiæ jure naturali, aut humano, aut divino; sed nullo tali jure convenit, ergo non est in illa. Antecedens patet, quia (ut disputatum abundè à nobis fuit in priori Relectione) Potestas Ecclesiastica excedit, & jus humanum, & naturale, tum ex parte finis, quia ordinatur in finem supernaturalem, tum ex parte effectus, quia omnino excedit omnem humanam facultatem, qualis est peccatorum remissio, collatio gratiæ, Eucharistiæ consecratio. Relinquitur ergo ut nec naturali, nec humano jure hæc potestas convenire possit Ecclesiæ universali. Quod autem non conveniat Jure Divino patet: quia tota hæc potestas authorem habet solum Christum Dominum nostrum ac Redemptorem, qui est caput omnis Principatus, & Potestatis: (1) *Ipse dedit Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem Corporis Christi.* (2) Ut ad Ephes. 4. dicitur: *Unicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* (3) Et Apocalyps. 13. & Apostolus; (4) ostendit quod Sacerdotium novi Testamenti est aliud à Sacerdotio veteris Legis, & quod Sacerdotium Ecclesiæ est secundum ordinem Melchisedec. Est enim translatum Sacerdotium cum Lege, ut Apostolus dicit, sed Christus habuit Sacerdotium non ab Ecclesia, sed à Deo, ut patet: (5) *Non vos me elegistis.* (6) *Ego autem constitutus sum Rex* ab

(1)
Ad Corint. 2.
Joan. 1. & ad
Phil. 4. & ad
Heb. 7.

(2)
Ephes. 4.

(3)
Et Apoc. 3.

(4)
Ad Heb. 7. 3.
& 9.

(5)
Joan. 15.

(6)
Psalm. 2.

ab eo super Sion Montem, &c. Et Apostolus hoc locis citatis ostendit: (1) Sicut, & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, quem admodum alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Et aperte cap. 7. Alii quidem sine iurejurando Sacerdotes facti sunt, hic autem cum iurejurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non poenitebit eum, tu es Sacerdos, &c. (2) Et Heb. 1. & Psalm. 44. Thronus tuus in seculum seculi, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis. Jamque dubitari non debet, nec potest, quin tota potestas Ecclesiastica sit à Christo, & quod ipse non habuerit eam ab Ecclesia, sed ipse dederit aliis juxta illud: (3) Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Quòd autem ipse non dederit immediatè, & primò Ecclesie, sed certis suppositis, & personis, patet; (4) ubi promisit Petro claves, & super eum se ædificaturum Ecclesiam est pollicitus: cui etiam Joan. ultimo dixit: Pasce oves meas. Et omnibus Apostolis: (5) Quorum remiseritis peccata, &c. Et nusquam invenitur dedisse Ecclesie in communi. Nam etiam Apostolis in Cœna dedit potestatem consecrandi Eucharistiam: (6) Hoc facite in meam commemorationem. Et ipse non totam communitatem, sed solos Apostolos duodecim dicit elegisse. (7) Item, quodcumque Christus dedit hanc potestatem, non erat tota Ecclesia, sed soli Apostoli, etiam non admissis 72. Discipulis. Præterea si potestas Ecclesiastica esset primò in Ecclesia, sequitur quòd omnes alii haberent potestatem ab Ecclesia, hoc est à communitate, & Republica Christianorum, sicut omnis potestas civilis est à communitate. Consequens patet falsum. Nec enim Apostoli, nec successores eorum habuerunt potestatem ab aliis hominibus, sed ipsi à Christo, & alii ab Apostolis, imò nullus unquam habuit ab Ecclesia universali. Præterea Paul. ad Galat. 1. Testatur se non ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem Apostolum constitutum. Et simile poterant dicere alii Apostoli. Præ-

rea

(1)
Ad Heb. 5.(2)
Heb. 1. &
Psalm. 44.(3)
Joan. 10.(4)
Matt. 16.(5)
Joan. 20.(6)
Luc. 22.(7)
Joan. 6.

rea in Scripturis nusquam legimus Sacerdotes ex auctoritate, & consensu plebis constitutos, sed à Pontificibus, & Prælatibus, ut Paulus ordinavit Timotheum, & Titum: (1) *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et idem repetit. 2. ad Timoth. 1. Idem ad Titum 1. *Hujus rei gratia, Reliqui te Creta, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros.* Item: (2) *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* A Deo dixit, non à Plebe, ut vult impius Lutherus. Aaron siquidem, non à Plebe constitutus legitur, sed à Deo, ut patet Exod. 28. Nec unquam auditum est in tota serie scripturarum Sacerdotes inter Fideles aut Plebis auctoritate, aut consensu institutos: etsi Ethnici Sacerdotes suffragiis Populi creabantur, quales erant, & Hamonis Sacerdotes, sed talis consecratio, quale Sacerdotium erat. Item, (3) admonet Paulus: *Manus citò nemini imposueris.* Non ergo à Plebe, sed ab Episcopo creabantur Sacerdotes. Igitur potestas Ecclesiastica non est primò, & immediatè in tota Ecclesia, sed in certis personis.

Probatum ratione: Quia in potestate Ecclesiastica continetur potestas Consecrandi Sacrosanctam Eucharistiam: sed hæc potestas non est immediatè in communitate, cum illa non detur sine Consecratione, nec potest Ecclesia immediatè Consecrare.

Et confirmatur: Potestas remittendi peccata in foro interiori, & poenitentiae non est in Ecclesia immediatè. Item eadem ratione potestas Episcopalis esset immediatè in Provincia Episcopi. Consequens nullus concedit. Nemo enim concedit, quòd totus Populus unius Provinciae habeat immediatè potestatem Episcopalem, vel quòd ab illo derivetur potestas in Episcopum: ergo similiter nec in tota Ecclesia.

Item confirmatur hæc ratio: In communitate domestica, id est, in familia, potestas, & auctoritas regendi non est immediatè penes familiam, sed penes Patrem Familias: Episcopus autem est tanquam Pater in Ecclesia, quia est tanquam vir, vel maritus ejus: ergo,

Item

(1)
1. Timoth. 4.

(2)
Heb. 5.

(3)
1. ad Tim. 5.

Item arguit Cajet. Certum est, ut supra diximus, quòd potestas Ecclesiastica primò fuit in Christo Domino totius Ecclesie, tanquam in Principe, non subdito Ecclesie, nec dependens ab illa; sed Christus adhuc est Caput, & Princeps Ecclesie, est enim adhuc nobiscum usque ad consumationem sæculi: (1) *Et Judex vivorum, & mortuorum.* (2) *Et vivit, & regnat in secula seculorum,* (3) Et Paulus, (4) de hoc Regno Domini loquens dicit: *Unusquisque autem in suo ordine. Primitia Christus: deinde hi, qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt: deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Virtutem, & Potestatem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Ergo ad Christum tanquam ad Principem spectat ordinare de Legato, & Vicario suo, & ab ipso derivatur potestas ejus, non ab Ecclesia, quæ ex natura sua non est domina in ordine ad spiritualia, sed serva Christi, quia redempta est ab eo. Et sic relinquitur, quòd sicut Princeps Ecclesie non habet authoritatem ab Ecclesia, ita nec Vicarius ejus. Item probatur quòd Christus maneat adhuc Caput Ecclesie: quia aliàs non esset Sacerdos in æternum. Non enim est Sacerdos nisi in Ecclesia.

(1)
Matth. 28.
(2)
Actor. 10.
(3)
Apoc. 1.
(4)
1. ad Cor. 15.

Et confirmatur hoc: Quia Doctores, & Sancti non vocant Summum Pontificem Vicarium Ecclesie, sed Vicarium Christi. Ita enim est Vicarius Christi Successor Petri, sicut Petrus: Petrum autem, & alios Apostolos Ecclesia vocat Vicarios Dei: ut patet in prælatione: *Ut eislem rectoribus gubernetur, quos operis tui voluisti esse Vicarios.* Et Gloss. super illud Matth. 16. *Tu es Petrus,* dicit Petrum fuisse Vicarium Christi.

Item arguit Cajet. Signum apertum est hanc potestatem non residere immediatè, & primò apud Ecclesiam, quòd Ecclesia non potest sibi retinere, nec duobus, aut tribus committere; quod tamen posset, si jus Principatus esset apud illam: sicut posset Respublica ad administrationem civilium, vel retinere sibi regimen vel creare Consules, vel Tribunos etiam supra potestatem

Regiam, sicut erant Ephori apud Lacedæmonios, & Senatores supra Principem apud Venetos: quod tamen Ecclesia nullo modo posset, ut infra ostendemus.

Præterea non potest potestas committi alicui communitati, cujus magna pars non est capax illius, sed in Ecclesia sunt complures, qui non sunt capaces hujus potestatis: ergo non est immediatè in Ecclesia. Minor infra probabitur de mulieribus, pueris, & nonnullis fortasse aliis. Item quando aliquid committitur immediatè alicui communitati, omnes illius communitatis æqualiter se habent ad illam, ut patet in Republica seculari respectu civilis potestatis absolutè; sed non omnes æqualiter se habent in Ecclesia ad claves, ut constat, & statim disputabo: ergo, &c. Ultimò: Potestas spiritualis, qualis erat in veteri lege, non erat commissa toti Plebi, sed solum uni Tribui, scilicet Leviticæ, multo certè minus videtur tam sublimis potestas, qualis est Evangelica, vulgatam toti Plebi.

Ad Primum argumentum factum in principio quæstionis respondetur, negando consequentiam: & differentia, ac ratio est aperta. Civilis enim potestas, ut declaratum est, non se extendit nisi ad finem, & effectum naturalem: & sic potestas illa communiter à natura datur, omne autem naturale est commune, & primò convenit vel speciei, vel communitati, ut esse mortale homini; sed potestas Ecclesiastica est supernaturalis, atque à Deo ad superiora data: nec Respublica est domina respectu hujus potestatis, sed serva, ut dictum est, & Christus est Rex, & Dominus non à communitate ipsa, sed à Deo: & ideo non oportet spectare quomodo se habeant particulares personæ ad totam communitatem. Licet enim in ordine ad naturalia communitas sit superior, & quilibet homo velut subjectus, & inferior, in ordine, tamen ad hanc potestatem totum pendet ex voluntate, & institutione Christi, qui fuit primus Author hujus potestatis. Et præterea Respublica spiritualis habet Regem Christum, & potestas in Ecclesia est **Vicaria.**

Et

Et si iustes quia Respublica Christiana etiam in oratione ad spiritualia est unum corpus, ut patet ex Paulo ad Roman. 12. & 1. Corinth. 12. sed in corpore naturali quicquid parti principalius, & primo convenit, convenit toti, ut homo potius videt quam oculus, & potestas audiendi potius est hominis, quam aurium: & sic de reliquis humanis viribus. Et oculus potius est hominis, quam suus: ergo similiter in corpore mystico Ecclesie, potestas spiritualis singularium hominum prius, & principalius erit in Ecclesia tota.

Obiectio quaedam.

Ad hanc objectionem.

Respondetur: Quod sicut Aristot. dicit, parabola, & analogia non oportet nec potest per omnia esse similis: alias jam non parabola, sed ipsa eadem res esset. Et ideo ut dicit S. Thom. 3. part. q. 8. Licet corpus naturale, & mysticum multa habeant similia, non tamen omnia, sed differunt non paucis, non solum quantum ad esse naturale, quia omnis potestas corporis naturalis oportet esse simul. Ecclesia * autem constat ex omnibus fidelibus ab Abel iusto, usque in finem seculi: sed multo magis quantum ad spiritualia. Unus enim homo ex capax gratiae, & alterius formae spiritualis, quae non potest convenire immediate toti. Item pars naturalis est praecise propter totum in corpore: in Ecclesia singuli homines sunt propter Deum, & propter se solum, nec bonum privatum ordinatur ad bonum totius, saltem praecise, nec principaliter, sicut nec gratia, nec fides, nec spes, nec aliae formae supernaturales sunt immediate in tota communitate: sic nec potestas spiritualis, quae est aequè, aut plus etiam supernaturalis.

Ad confirmationem respondetur ex Cajetano in Apolog. cap. 6. concedendo, quod * in Concilio est immediate potestas Ecclesiastica etiam ratione totius. Sic enim nomine Concilii fiunt absolutiones, & damnationes, & omnia decreta: ut etiam in primo Concilio Apostolorum, (1) habetur scilicet: *Placuit nobis collectis in unum, & visum est Spiritui Sancto, & nobis. Et sic est in tota Synodo quasi una potestas; & ideo*

De compat. potest. Papae, & Concilii.

(1) Actuum. 15.

quia etiam reclamantibus aliquibus ex Concilio, tamen nomine totius Concilii decernitur, & dicitur totum Concilium aliqua facere: sed hanc potestatem non habet, quod representet totam Ecclesiam universalem, ut falso imaginantur alii, nec ex commissione Christi facta immediatè, vel toti Ecclesie, vel Concilio, sed solum quia est unio, & congregatio ex potestatibus Ecclesiasticis.

Et ideò nihil aliud posset totum Concilium, nisi quod ex potestatibus ejus singulis, & illarum subjectis consurgere potest. Unde hæc potestas non est in Concilio immediatè Jure Divino, sed ex voluntate Prælatorum, qui volunt ex seipsis unam auctoritatem, & velut unum corpus constituere. Imò non solum in Synodo universali, sed etiam in Provinciali, vel etiam totius Orientis, sicut cum omnes conveniunt ad celebrandum illud Concilium, esset etiam una auctoritas in tota illa congregatione ratione suæ totalitatis. Cujus signum est, quod licet omnes Episcopi essent æquales, id est, quamvis nullus esset superior alio: tamen decreta Concilii obligarent omnes, nec possent rescindi ab aliquo illorum: & tamen notum est, quod non imaginantur etiam adversarii, quod illi habent potestatem à tota Plebe Provinciarum suarum, nec quod sit etiam aliqua potestas Ecclesiastica immediatè in tota una Provincia, quia eadem ratione ponetur in tota una Parochia: quod omnino esset absurdum sentire, vel dicere profectò. Ergo ita se habet totum Concilium universale ad Ecclesiam universalem, sicut Concilium Provinciale ad Provinciam: & fictitium omnino est aliud imaginari. Est itaque solum potestas immediatè in toto Concilio ex voluntate Prælatorum: qui instituunt unam potestatem, & auctoritatem, cui etiam seipsos subjiciunt, sicut partes toti: hoc enim significat, quod volunt congregare Concilium, quod volunt stare decretis ejus.

Ad secundam confirmationem respondetur primò: Hoc solum reperitur in recentioribus Conciliis, ut Basilienfi, Constantiensi, non autem in antiquis. Nec mirum est, si in modo loquendi erratum sit. Secundo

dò dico ut supra, quod representant Ecclesiam non tanquam Vicarii, vel Legati, sed tanquam Patres, & Pastores, & Tutores ejus. Ex quo sequitur contra sententiam, vel imaginationem aliquorum Scholasticorum, quod si casu omnes Episcopi Christianitatis convenirent in unum locum non animo celebrandi Concilium, nulla esset immediatè potestas Ecclesiastica in tota illa multitudine. Non enim locus, aut corporalis congregatio dat eis illam potestatem, sed voluntas eorum. Unde nulla erat potestas in omnibus simul, cum essent in suis Provinciis, nec etiam est cum sunt in eodem loco, & in eodem Templo: aliàs eadem ratione si Episcopi unius Regni convenirent ad Curiam causa visitandi Regem, jam esset ibi Concilium.

Et si objicias, quia jam hoc est determinare, quod Concilium non sit supra Papam, contra determinationem Parisiensem, (si enim nulla est potestas in Concilio nisi derivata à Patribus, sequitur manifestè non esse majoris potestatis quam Papa.)

Objctio.

Responderetur primò: In præsentia nihil constitui disputare de illa odiosa comparatione Papæ, & Concilii. Secundò, ea quæ dicta sunt, non pugnant cum aliqua sententia illorum circa illam comparationem. Undecunque enim Concilium habeat potestatem, etiam si derivetur ab ipsis Prælati: potest teneri quod est major in toto Concilio quàm in Papa, sicut in Concilio Provinciali, quam in quocumque Prælato Concilii. Si hoc non placet, posset teneri, quod potestas in Concilio est immediatè à Deo, sed non quia tenet locum totius Ecclesiæ universalis, sed quia est unio ex omnibus Prælati Ecclesiæ, etiam si omnes alii Christiani dissentirent. Et adhuc etiam cum ista opinione stat ntraque sententia de comparatione Papæ, & Concilii.

Ad objectionem.

Ad secundum argumentum principale: Disputaturus sum Paulo post, ad quem spectat electio Summi Pontificis. Sed in præsentia primò nego, quod Cardinales nomine Ecclesiæ universalis eligant, sed ex ordinatione Ecclesiastica, vel Summi Pontificis: ut postea dicam. Secundò dico, quod dato, quod ad universalem

Resp. ad 2. argumentum principale.

Ec-

Ecclesiam spectet electio, non valet consequentia, ergo in Ecclesia est potestas, vel authoritas Ecclesiastica immediatè. Antecedens enim est notum in jure, quod non oportet ut electores habeant authoritatem ad quam eligunt, sicut patet de electionibus Imperatoris: imò electores Abbatum nullam habent authoritatem, vel dignitatem, sed habent authoritatem, & potestatem applicandi dignitatem illi.

(1)
In Apoc. c. 2.

Ad tertium argumentum respondetur ex Domino Cajetano, (1) ad cujus evidentiam inquirendum est, quid nomine Ecclesie intelligatur in illo loco. Dicitur Ecclesie: Et cum sit sermo de Ecclesia ad quam spectat audire, & judicare, oportet ut Ecclesia accipiatur, vel pro Ecclesia universali, id est pro omni Ecclesia, vel pro aliqua particulari Ecclesia, vel indistinctè pro qualibet Ecclesia. Dico ergo primò, quod non potest accipi solum pro Ecclesia universali: quia clarum est, quod ad corrigendum fratrem non oportet me ire ad Concilium universale. Item etiam, quia cum eadem verba dixerit Beato Petro, sicut Ecclesie. Scilicet: (2) *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Negari non potest, quin etiam Petrus habeat illam potestatem, quam dicunt datam Ecclesie: ergo non solum potest intelligi Ecclesia universalis. Et aliàs perspicue patet, quod non intelligitur de aliqua Ecclesia particulari, puta Mediolanensi, quia non oportet nos recurrere ad illam ad correctionem fratris nec etiam de omni collectione propter Ecclesie admonitionem. Restat ergo quod accipiatur pro Ecclesia indistinctè, seu indefinitè: ita quod Ecclesie datum est iudicium fratris, non determinando hanc vel illam: & quoniam actor sequitur forum rei, determinatur ad Ecclesiam fratris peccantis, sive propriam, sive communem, & superiorem: & ille est apertus sensus illius præcepti.

(2)
Matth. 16.

Sed dubium est, quid significetur nomine Ecclesie in illo loco: & breviter dico, quod possunt intelligi convocatio, seu collectio fidelium. Sed dicunt adversarii, quod hoc loco Ecclesia significat communitatem fidelium, non in seipsis, sed in Prælatibus eorum, sive Pa-

pa intersit sive non. Sed quod ille non sit sensus literalis, ostenditur, quia utrobique oportet sumi eodem modo respectu cujuscumque peccantis. Certum est autem, quod si peccator sit de Ecclesia Mediolanensi, si ad correctionem ipsius procedendum est, non oportet dicere Ecclesie Mediolanensi, id est, communitati Mediolanensium, sive Episcopus sit, sive non. Unde dico, quod licet ex vi vocabuli Ecclesie non aliud intelligatur nisi communitas fidelium, tamen ex verbis sequentibus: *Si Ecclesiam non audierit.* Et, *Quaecumque solveritis super terram, &c.* Constat accipiendum esse pro Ecclesia habente autoritatem. Et cum hæc non sine Prælato, constat intelligi non posse Ecclesiam pro aliqua Congregatione sine Prælato, sed clauditur ipse Prælatus. Quod, & aliter probatur. Nam si in nomine Ecclesie non includitur Prælati illius, oportet dicere alterum duorum, vel quod Ecclesia particularis habet potestatem jurisdictionis etiam invito Episcopo, vel quia nomine Ecclesie non intelligitur ipsa communitas.

Certum est enim quod Ecclesia, de qua dicitur: *Dic Ecclesie*, habet potestatem excommunicandi: & certè ita est, quod nomine Ecclesie, In illo loco intelligitur Prælati. Hoc namque est dicere Ecclesie, sicut iudicium Episcopi dicitur iudicium Ecclesie: & excommunicatus ab Episcopo dicitur excommunicatus ab Ecclesia. Dicitur autem: *Dic Ecclesie*, & non Episcopo, quia intelligitur, quod debet dici Episcopo, non tamquam privato, sed in foro publico: & ideo dicitur, in foro, & iudicio Ecclesie. Et hoc apertè manifestatur: quia usus illius præcepti in Ecclesia talis est ut dicatur peccatum fratris Prælati, & tunc intelligimus dixisse Ecclesie. Dixit autem: *Amen dico vobis, quodcumque solveritis, &c.* in plurali numero, vel quia iudicium Ecclesie licet fiat autoritate unius Prælati, tamen non debet fieri nisi per multos: vel simpliciter quia erant futuri multi Prælati, & multe Ecclesie. Dico præterea cum Cajetano, quod in illo loco Matth. 18. (1) nulla potestas videtur data. Nam ex illo: *Dic Ecclesie*, non datur aliqua potestas sed præcipitur denuntiatio; per illa verò: *Si Ecclesiam*

non

(1)

Matth. 18.

non audierit, si tibi tanquam ethnicus, & Publicanus præcipitur evitatio. Per illa verò verba: *Quaecumque solveritis, &c.* patet nullam dari authoritatem, quia per eadem verba dictum est Petro: *Quodcumque solveris, &c.* (1) & non est data ei aliqua potestas, sed postea Joan. ultimo: *Pasce oves meas.* Sed significatur solum quantæ efficaciam esset futura sententia Ecclesiæ, quam illic non dat, sed solum vel promittit, vel supponit, & demum ad veritatem illorum verborum non oportet quod Ecclesia habeat immediatè authoritatem à Christo, sed satis est, quod habeat à suo Prælato: vel Prælati congregatis, vel ab ipso Papa; adhuc enim Ecclesia haberet potestatem, & quilibet teneretur audire Ecclesiam: ergo frustra comminiscuntur adversarii hanc potestatem.

Et sic ex omnibus patet, quod ex eo loco Matth. 18. nullo modo habetur, quod sit aliqua authoritas Jure Divino immediatè nec in Ecclesia universali, nec etiam in Concilio, quamvis hoc secundum possit probabiliter dici in sensu suprâ explicato. Hunc locum prolixius tractavi: quia adversarii nihil aliud ex scripturis afferunt ad probandum quod Jure Divino sit authoritas in Ecclesia universali immediatè, & in Concilio. Addit Cajetano, quod in die Coenæ fuit institutum Sacramentum Ordinis, & per consequens quando Dominus dixit ea verba Matth. 18. non erat potestas Episcoporum, nec Presbyterorum, & per consequens non dedit tunc potestatem Concilii, quod constat ex Episcopis, & Præbyteris.

Ad quartum non est opus multis, & primùm potius alii Prælati solent dici Ministri Ecclesiæ, quam Papa, & certum est; quod non dicuntur Ministri Ecclesiæ, quia acceperint authoritatem ab Ecclesia universali: sed vel quia ministrant Ecclesiæ: vel in Ecclesia, vel quia à Principe Ecclesiæ sunt instituti. Et clarum est, quod etiam si nihil authoritatis ponatur in Ecclesia universali, nihilominus dicerentur Ministri Ecclesiæ. Cæterum quòd potius debeant dici omnes tam Papa, quam alii Prælati Ministri Christi quam Ecclesiæ, patet ex Paulo: *Si quid donavi, in persona Christi, &c.*

2. Corinth. 2. & alibi: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi.* (1) Omnis enim potestas spiritualis & Ecclesiastica est quoddam donum Dei, & purè supernaturalè. Sicut ergo alia dona, ut gratia, charitas, fides, & prophetia non data sunt primò Ecclesiæ, sed primò conveniunt particularibus personis, & est fides in Ecclesia, quia aliqui particulares credunt: ita etiam potestas ecclesiastica data est certis personis primo, & per illas convenit Ecclesiæ. Et omnino est commentum sophisticum, imaginari potestatem ecclesiasticam in communitate, qua nunquam esset usura, sed omnia geruntur, & semper gesta sunt per Prælatos, qui derivati sunt ab Apostolis, sicut revera si à natura essent Principes in Republica civili, & omnes Magistratus sufficientes ad gubernationem Reipublicæ profectò frustra somniarem potestatem civilem in Republica immediatè.

(1)
1. Ad Cor. 4.



SECUNDA QUÆSTIO PRINCIPALIS.

AN POTESTAS ECCLESIASTICA sit in omnibus Christianis.

S U M M A.

1. Christiani omnes, nec sunt Sacerdotes, nec omnes aequales, sed est ordo in Ecclesia, & gradus Ecclesiastica potestatis.
2. Christiani, an sint aliqui, quibus convenire non possit potestas Ecclesiastica.
3. Mulieres, nec Sacerdotes esse possunt, nec aliquem ordinem, aut potestatem ecclesiasticam habere, qua sit de jure divino.
4. Abbatissæ, & alia Monasteriorum, & Virginum Matres, nullam habent potestatem, nec jurisdictionem spiritualem.

5. *Monachæ an teneantur obedire Abbatissæ.*
6. *Jure divino nullus alius de numero Christianorum præter fœminas excluditur à potestate ecclesiastica, sive ordinis, sive jurisdictionis.*
7. *Potestas ecclesiastica, sive ordinis, sive jurisdictionis, tota fuit in Petro Apostolo.*
8. *Apostoli omnes an habuerint potestatem immediate à Christo, an solus Petrus à Christo, & alii à Petro.*
9. *Potestatem omnem, quam Apostoli habuerunt, receperunt immediatè à Christo.*
10. *Apostoli an æqualem acceperint cum Petro potestatem.*
11. *Petrus inter Apostolos omnes fuit auctoritate, & potestate primus & princeps, cum summa supra totam Ecclesiam potestate.*
12. *Potestatem ecclesiasticam aliquam, nullus alius à Christo videtur accepisse præter sacros Apostolos.*
13. *Potestas Ecclesiastica non solum fuit in Apostolis, sed etiam in aliis.*
14. *Potestas omnis ordinis & jurisdictionis, quæ prius erat in Christi Apostolis, illis defunctis perseveravit in Ecclesia.*
15. *Gradus Ecclesie perseveraturi sunt in Ecclesia usque ad ultimum judicium, & mortuorum resurrectionem.*
16. *Potestas ordinis in Ecclesia tota derivata est, & pendet immediatè ab Episcopis.*
17. *Petro Apostolorum Principe defuncto, aliquis ei successit cum simili & auctoritate, & potestate jurisdictionis in totum orbem.*
18. *Petro mortuo, Ecclesia habet potestatem subrogandi, & instituendi alium loco illius, etiam si Petrus nihil de hoc prius constituisset.*
19. *Electio summi Pontificis ad quem spectaret Cardinalibus deficientibus, negligentibus, aut perniciosè inter se dissidentibus.*
20. *Electio summi Pontificis deficientibus Cardinalibus, &c. non videtur spectare ad totum Clerum.*
21. *Sedes Apostolica in quocunque casu vacaret, manendo*
in

in solo jure divino, ad quem spectaret electio.

22. *Beatus Petrus, vel solus, vel cum aliis Apostolis potuit constituere formam, & rationem, qua post obitum eligeretur ei successor.*
23. *Beatus Petrus potuit eligere, & designare successorem, qui, eo defuncto, sine alia electione esset summus Pontifex.*
24. *Ratio eligendi summum Pontificem, quæ nunc servatur in Ecclesia, non est de jure divino.*
25. *Ratio eligendi summum Pontificem ex constitutione, & auctoritate Ecclesiæ, aut summorum Pontificum est, quæ eadem est, & eadem auctoritate mutari posset.*
26. *Apostolis aliis successit nemo cum equali potestate, & auctoritate jurisdictionis.*
27. *Quilibet Apostolorum aliorum à Petro potuit relinquere successorem, licet non universalem, saltem in quacumque Provincia voluisset, qui esset verus Episcopus illius Provincia.*
28. *Apostoli non solum potuerunt relinquere sibi successores, sed etiam quilibet successorum eorum potuit similiter sibi relinquere successorem.*
29. *Episcopus quilibet in sua Provincia potuit condere legem, ut Presbyteri eligerent Episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiam sede Petri inconsulta.*
30. *Petri successores potuerunt & possunt pro suo arbitrio Episcopos creare in singulis provinciis, & quascumque leges de hac re prius latas tollere, & novas condere, Provincias distinguere, & omnia ad hoc spectantia pro suo iudicio, & potestate facere.*

Priusquam veniamus ad solidam, & germanam veritatem, oportet, ut adulterinas, & falsas sententias excludamus: quod ut commodius fiat rursus propono quæstionem. An potestas ecclesiastica sit in omnibus, aut singulis Christianis. In cujus quæstionis definitione licet omnes Catholici Authores satis conveniant, tamen Neoterici hæretici incredibili arrogantia à tota Ecclesia receptæ sententiæ adversantur, assèren-

Quæst. principalis.

res, & contendentes, omnes Christianos ex æquo esse Sacerdotes, nec esse aliquos gradus Ecclesiastici ordinis in Ecclesia. Nec tamen multis aut rationibus, aut testimoniis hoc probare laborant, sed suo more, uno, aut altero scripturarum loco in suam sententiam detorto, mordicus hæresim suam retinent, & factionem propugnant. Sed verba imprudentissimi in primis Lutheri ascribere satius est in libro de abroganda Missa priv. ita dicit: *Nos omnes eodem quo Christus Sacerdotio, Sacerdotes sumus, qui Christiani, id est, filii Christi Summi Sacerdotis sumus: nec ex ullo Scripturæ Sanctæ testimonio id habetur, quòd Sacerdotes rasi, & uncti aliqui in novo Testamento dicantur distincti à laicis.* Et paulò post: *Stat irrefragabilis sententia, Sacerdotes visibiles, & à laicis diversos in novo Testamento nullos esse, qui autem sunt, sine testimonio scripturarum, & sine vocatione Dei sunt: hoc autem quid est aliud, quàm ex diabolo esse?* Et alibi dicit: *Quòd puer, & mulier, & quilibet Christianus absolvere potest à peccatis.* Adducit illud 1. Petr. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquis. &c.* Et eodem loco: *Et ipsi tanquam lapides vivi superadificamini domus spiritualis in Sacerdotium sanctum.* Constat autem Petrum loqui generaliter omnibus fidelibus, & non solis ordinatis in Sacerdotes. Item Joan. (1) *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Et Apoc. 20. (2) *Sed erunt Sacerdotes Dei & Christi ejus.* Quæ omnia vult dicta esse de omnibus Christianis. Item illud Matth. 18. (3) *Quodcumque solveritis super terram, &c.* juratissimè affirmat dictum esse omnibus Christianis.

(1)
Apoc. cap. 5.

(2)
Apoc. cap. 20

(3)
Matth. 18.

Conclusio contra Lutherum.

Contra omnes hæreticos pono conclusionem: Non omnes Christiani sunt Sacerdotes, eo modo quo sunt Sacerdotes ab Ecclesia ordinati, id est, cum potestate consecrandi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis. Vel ponatur sub aliis verbis sic: *Nec * omnes Christiani sunt Sacerdotes, nec omnes sunt æquales, sed est ordo in Ecclesia, & gradus ecclesiasticæ potestatis.* Hanc quæstionem totamque hanc disputationem, quam poterò paucis absolvam. Postquam enim nulla cum Catho-

tholicis nobis concertatio est, sed solum cum hæreticis, nihil operepretium facturum me puto, si religiosam, & piam prorsus contionem hoc argumento diutius retinero. Et alioqui clarissimi viri Roffensis Episcopus, & Jodocus Clitoveus, de hoc capite adversus Lutherum doctissimè, & disertissimè scripserunt, quos scio vobis familiares esse.

Probo igitur conclusionem totam simul. Primò Paul. (1) totam Ecclesiam quasi quoddam corpus mysticum esse dicit, quòd variis organis, & membris sit compactum. *Sicut in uno, inquit, corpore multa sunt membra, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam: quæ data est nobis, differentes.* Et 1. Corinth. 12. (2) *Sicut corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Et infra: *Corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Et in principio illius cap. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & divisiones ministracionum sunt, idem autem dominus, & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, &c.* Rogo, & appello religiosas, & pias aures, si omnes in Ecclesia æquales sunt, quomodo fecit Deus, ut Paulus dicit varia membra, manus, pedes, oculos, aures, in corpore Ecclesiæ? Omnes sumus oculi Luthero, ubi ergo pedes? aut quomodo erit verum, quod Paulus in eadem epistola & cap. Subjungit: *Non potest autem dicere oculus manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.* Certè si Lutherum audiamus, pedes poterunt dicere capiti. Non es nobis necessarium: sic enim ipse docet, pedes hoc est plebem, non indigere capite, hoc est Sacer-

(1)
Roman. 12.

(2)
1. Cor. 12.

dote, sed omnes eos esse Sacerdotes.

Item in eodem loco Paulus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores, & alios item gradus Ecclesie recenset, ubi omnino videtur sanctus Apostolus ex instituto velle elidere arrogantiam eorum, qui omnes in Ecclesia æquare volebant: vel rursus superbiam reprimere aliquorum, qui in altiori gradu constituti, inferiores contemnebant: aut certè plebem admonere, ne se eo minus in corpore Christi contentos reputarent, quòd inter gradus Ecclesiasticos non censerentur.* In eandem sententiam scribit ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii in adificationem corporis Christi.* Item Joan. (1) *Ego Joannes vidi sanctam civitatem novam, descendentem de Cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Qua verò ratione erit Ecclesia civitas, in qua nulli sint Magistratus, nulli moderatores, & nullus ordo civium, sed æqualitas, vel confusio potius & turba pro suo cuiusque arbitrio, & libidine agentium? Nec enim est civitas, ut Orator ait, quæcumque in unum locum quorumcunque hominum multitudo consistit.* Idem Apostol. (2) *Monet ut nemini cito manus imponeret: certè ut Sacerdotem consecraret.* Idem 1. Timoth. 4. (3) *Noli negligere gratiam qua in te est, qua data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. Timoth. 1. *Ut resuscites gratiam, qua est in te, per impositionem manuum mearum.* Titum præterea admonet cap. 1. ut constituat per civitates Presbyteros. In Actibus item Apostolorum de Paulo, & ejus collegis legitur constituisse per diversas Ecclesias Presbyteros. Et idem Paulus ad Presbyteros Asiæ, Militum accersitos: *Vos, inquit, posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (4) Certè ipse Apostolus (5) aperte distinguit plebem à Sacerdotibus: *Dei enim sumus, inquit, adjutores, Dei agricultura estis.* Sed video vobis ingratham esse rationem hanc sanè, in qua re non du-

(1)
Apocal. 21.

(2)
1. Timoth. 5.

(3)
1. Timoth. 4.

(4)
Act. 20.

(5)
1. Corinth. 3.

dubia utar argumentis non necessariis: relinquam ergo primam hanc conclusionem tanquam certam, non omnes Christianos esse æquales in potestate ecclesiastica. Certè Tertullianus, cujus autoritas, quod ad antiquitatem spectat gravissima est, de præscriptionibus hæreticorum execratur, non solum quod novi hæretici dicunt omnes Christianos esse ex æquo Sacerdotes, sed ordinationes tam incertas. *Ordinationes*, inquit, *eorum leves, temeraria, inconstantes: itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam apud eos laicis sacerdotalia munera injunguntur.*

2 Sed ex hac quæstione emergere videtur dubium non contemnendum: An * sint aliqui Christiani, quibus convenire non possit potestas ecclesiastica. Et primò quidem dubitatur de mulieribus, an sint capaces ecclesiastici ordinis, & potestatis. Et quidem videri possit, quòd sint, ex eo quòd Paulus ad Galatas tertio dicit, quòd non est Judæus, nec Græcus, non est servus, nec liber, non est masculus, nec fœmina in Christo Jesu, quare non videtur quòd ad administrandum Christo in ordine ecclesiastico fœminæ rejici debeant in lege Christi. Item prophetia est (ut videtur) tantæ dignitatis, sicut potestas ecclesiastica, quæ tamen mulieribus aliquando communicatur, ut patet de Debora, ut patet 4. Regum.

3 Hoc non obstante, pono conclusionem: Mulieres * nec Sacerdotes esse possunt, nec aliquem ordinem, aut potestatem ecclesiasticam habere, quæ quidem sit de jure divino. Hanc conclusionem video placere omnibus Authoribus, atque adeo, quanquam defendi contrarium non absurdè fortasse possit, tamen ne more jureconsultorum novas conclusiones afferamus, ex sententia Doctorum probo hanc conclusionem. Primò: Nam ordines, & potestates ecclesiasticæ omnes ordinantur (ut latè à nobis disputatum est) ad gubernationem populi, & directionem in finem spiritualem, sed ex Sacris literis hæc non possunt convenire mulieri. Unde 1. Corinth. 14. (1) *Mulieres in Ecclesia*

Dubium.

Resp. dubia
hac conclusio-
ne.(1)
1. Cor. 14.

ta-

taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia. Et ne quis putet hoc esse Pauli præceptum, & non jure divino, adjunxit: Si quis videtur Prophetas esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Et 1. ad Timoth. 2. (1) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione, docere autem mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio.* Ita etiam fuit constitutum in Concilio Carthaginensi, ut refertur 23. dist. cap. *Mulieres.* Et Ambrosius est in eadem sententia, ut 33. quest. 5. cap. *Mulieres.* Philosophus etiam dicit, corruptionem esse Reipublicæ ut Principatus & administratio ad foeminam deveniant. Item Dominus nullam potestatem legitur commisisse mulieri, etiam sanctissimæ, simul & sapientissimæ Matri, ut patet in cœna, & post resurrectionem. Item non committitur eis, ut præsent viris, sed contra, ut sint subjectæ. Unde Genes. 3. (2) *Sub viri potestate eris.* Et quod profecto me plus movet est, quod in tam longa annorum serie, in tota copia optimarum, & sapientissimarum foeminarum, nunquam Ecclesia tentavit ad potestatem ministerium ecclesiasticum aliquam assumere. Hoc autem magnum argumentum apud me & in hac, & similibus causis est, ut quod nunquam factum est, cum fuerit magna occasio & copia faciendi, putem ideo non esse factum, quod fieri nec licuerit, nec potuerit. Itaque sic puto nec licere quidem foeminam quocumque divino ordine sacrate: quod si secus actum sit, nihil omnino agi.

Sed tamen etiam si hoc verum sit, dubitari tamen potest, an mulieres, quæ in Monasteriis virginibus præficiuntur, aliquam potestatem ecclesiasticam habeant, saltem jurisdictionis, si ordinis habere non possunt, qualem Abbatissæ usurpant, ferentes leges & præcepta ad formam & morem Episcoporum.

Respondeo: Nec de hac quæstione magnam video controversiam inter Theologos. Nam de jureconsultis videant ipsi quid sentiant. Itaque ex sententia S.

Thom.

(1)
1. ad Tim. 2:

(2)
Genes. 2.

Dubium alterum.

Ad hoc dub.

Thom. 4. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. & dist. 25. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. Et Paul. 4. dist. 19. q. 2. q. 3. Et Durand. ibid. Et Sylves. verb. *Abbatissa*, §. 3. Pono conclusionem: *Abbatissæ*, * & aliæ *Matres Monasteriorum*, & virginum nullam habent potestatem spiritua-
 4 lem, nec jurisdictionem spiritualem. Probatum: Quia tota potestas spiritualis ortum habet à clavibus, mulier autem non potest habere claves, quia sunt propriè Sacerdotum: ergo nec jurisdictionem spiritualem. Et licet aliqui habeant jurisdictionem spiritualem, qui non sunt Sacerdotes, nec habent claves; nullus tamen habet jurisdictionem spiritualem, qui non sit capax & Sacerdotii, & clavium. Et confirmatur hoc: Nam non sunt pejoris conditionis Religiosi professi, qui tamen non sunt Clerici quantum ad hoc quam Religiosæ foeminae: sed Religioso, non Clerico, ut omnes dicunt Doctores, non potest committi jurisdictio spiritualis: ergo multo minus foeminae cuicumque. Item non potest absolvere: ergo nec ligare. Certè enim ad eandem spectat potestatem. Item quicumque habet jurisdictionem extra forum poenitentia, potest excommunicare: omnis enim Judex habet vim coactivam: foemina hoc non potest: ergo. Item non habet scientiam spiritualem, nec ad eam spectat habere: ergo non potest judicare de spiritualibus. Esset enim periculosissimum committere salutem spiritualium animarum ei, qui judicare non possit quid expediat, aut noceat animarum incolumitati. Ex quo sequitur, quòd tales *Abbatissæ* non possunt aliquid mandare in forma præcepti, puta in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto: nec si faciat, tenet factum, ita quòd obliget tanquam præceptum Episcopi, aut Abbatis, aut Prioris. Esset enim absurdum committere eis hujusmodi potestatem, quæ magnam eruditionem exigit, ad discernendum quæ materia sit digna tali censura, vel qualis sit hujusmodi obligatio, imò nec intelligere possent, an quis transgressus esset hujusmodi præceptum.

Quæst. quædam.

Et si quærat quis fortasse, * an Monachæ teneantur obedire Abbatisſæ? Dico, quòd tenentur, primò, 5
quia tenentur ſervare regulam ſuam, ubi continetur obedientia Abbatisſæ. Secundò dico, quòd tenentur præceptis ejus ad modum, quòd filia, vel filii tenentur obedire patri: pecant enim traſgreſſores præceptorum patris, nec tamen pater habet jurisdictionem ſpiritualem: & tandem tenentur obedire Abbatisſæ, ſicut tenentur ad alia ſtatuta ſuæ regulæ: ubi non eſt ſpecialis præceptio. Vel dico, quòd abſolutè nolle obedire Abbatisſæ eſt mortale: ſed Abbatiſſa non poteſt facere nova præcepta. Hæc autem omnia dicta ſunt ratione juris poſitivi, non divini: quamvis enim mulier jure divino, non poſſit habere, vel ordinem, vel dignitatem ſpiritualem, & jurisdictionem, poſſe tamen habere poteſtatem aliquam jurisdictionis ſpiritu-
lis, ſicut & laici poſſent, niſi jura prohiberent: jura autem non plus concedunt in hac parte Abbatisſæ, quàm laicis.

Concluſio reſponſiva principalis quæſt.

Ultima concluſio circa hanc materiam: Nullus * 6
alius de numero Chriſtianorum, præter ſcæminas excluditur divino jure à poteſtate eccleſiaſtica, ſive ordinis, ſive jurisdictionis. Unde dico cum Doctoribus, quòd etiam puer poteſt fieri Sacerdos, & amentes, & in univverſum omnes Chriſtiani. Et differentiam aſſignant Doctores, quia illi pervenire poſſunt ad ſtatum, ubi poſſint commodè exercere poteſtatem. Eſt enim impedimentum contingens, ſecus in ſcæminis. Doctores tamen excludunt pueros à conſecratione Episcopali jure divino, ut ſi puer conſecretur in Episcopum, conſecratio non teneat, ſed certè non adeo gravi ratione permoti. Arque adeò ſi concedimus poſſe in Sacerdotem conſecrari, non ſatis video quid obſtet, quominus, & Episcopus poſſit ordinari, ſed in medium hoc relinqui poteſt, nec quicquid habeo certi aſſerere.

In quibus eſt poteſtas eccleſiaſtica.

Diximus hæcenus, in quibus non ſit, aut eſſe non poſſit eccleſiaſtica poteſtas. Reſtat, ut jam dicamus in quibus inveniat hujusmodi poteſtas. Et ut ad originem ſuam totam rem revocemus, ſit prima concluſio.

7 Tota * potestas ecclesiastica & ordinis & jurisdictionis fuit in Petro Apostolo. Hæc conclusio nota est ex Evangelio Matth. 16. (1) *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Joan. ult. (2) *Pasce oves meas.*

(1)
Matth. 16.
(2)
Joan. ult.

Secunda conclusio. In omnibus Apostolis fuit potestas ecclesiastica ordinis, & jurisdictionis. Hæc etiam nota est. Dicitur enim omnibus simul: *Hoc facite in meam commemorationem: & Quorum remisistis peccata: & Quocumque solveritis, &c.* (3)

(3)
Luc. 22.
Matth. 18. &
Joan. 20.

8 Sed circa conclusionem hanc primum dubium: * An omnes Apostoli habuerint potestatem immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alii à Petro. Et de potestate quidem ordinis, de qua minus dubitandum videbatur, non omnino videtur esse certum. Nam & Jacobus ordinatus fuit Episcopus Hierosolymitanus post Ascensionem Domini à Petro, Jacobo, & Joanne, ut habetur in cap. *Porro*, dist. 66. & Paulus, ac Barnabas ordinati etiam ab aliis fuerunt. Legitur enim Actor. 13. (4) *Segregate mihi Paulum & Barnabam.* Et subjungitur, *imponentes illis manus, dimiserunt.* Ubi Gloss. *In modum ordinatorum.* Et tamen non est dubitandum, quin Paulus tantam potestatem acceperit à Christo, quantam alii Apostoli acceperunt. Non ergo certum videtur, quod omnes Apostoli habuerint totam potestatem ordinis à Christo, quanquam de hac potestate satis Doctores conveniunt.

Dub. 1. circa
hanc quest.

(4)
Actor. 13.

Sed de potestate jurisdictionis bona pars Scriptorum, & quidem gravissimorum, contendunt, solum Petrum habuisse à Christo eam potestatem, cæteros autem omnes à Petro. Quod probant primò magnorum quidem virorum autoritate, ut Anacleti, Cypriani, August. Leonis, Alexand. Quorum ego verba recitare superfedeo eo quod revera non significant id, quod Authores hujus sententiæ volunt. Si quis cupit videre, legat apud Cardinalem Turrecrematam lib. 2. cap. 54. sed eorum Sanctorum testimonia eo tendunt, ut asseverent solum omnem autoritatem post Petrum, à Petro habuisse originem, ab eoque pendere, ipsumque Petrum

Principem fuisse tum aliorum Apostolorum, tum autem totius Ecclesiæ Christi: quod tantum abest, ut nos negemus, ut pro intollerando errore contrariam sententiam habeamus.

Sed si testimoniis non efficiunt, quod volunt, rationibus hoc evincere conantur. Et prima ratio eorum est: Nam Apostoli non habuerunt subditos ab ipso Christo: ergo nec jurisdictionem, quæ nisi in subditos esse non potest. Antecedens probatur: Quia vel omnes homines, vel certos. Non secundum: quia voluntariè diceremus hos potius quàm illos, cum in Evangelio non habeatur: nec omnes dedisse videtur, fuissent enim multi Pastores, & ex æquo habentes plenitudinem potestatis in Ecclesia, quod in omni Principatu vitiosum est: *Multitudo enim Principum est perniciosa*, ut Arist. etiam dicit (1) & *Omne regnum divisum desolabitur*. Præterea non esset unum ovile, & unus Pastor Gregis Christi, si essent multi Pastores ex æquo. Præterea non videtur quomodo Petrus fuisset Princeps, & caput supra alios Apostolos, si alii similem cum Petro à Christo potestatem accepissent.

Verum quia in contrarium videtur stare Evangelium, pono hanc conclusionem: Omnem * potestatem, quam Apostoli habuerunt, receperunt immediatè à Christo. Probatur primò. Omnibus dictum est Matth. 18. (2) *Quaecumque solveritis super terram, &c.* Item omnibus: *Hoc facite in meam commemorationem.* (3) Luc. 22. Item: *Quorum remiseritis peccata.* Joan. 20. (4) & Matth. ult. *Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creatura.* (5) Et Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* (6) Item: *Christus fecit eos omnes Apostolos*, ut patet Matth. 10. & Marc. 3. & Luc. 6. & 1. Cor. 12. & ad Ephes. 4. (7) Sed ad officium Apostolatus spectat potestas ordinis, & jurisdictionis: ergo utramque habuerunt Apostoli à Christo. Unde est considerandum, quod tria spectant ad dignitatem Apostolatus. Primum, autoritas gubernandi populum fidelem: secundum, facultas docendi: tertium, potestas miraculorum. Hæc ostenduntur. Primò Luc. 9. scribitur,

(1)
Metaph.

Conclusio qua
resp. dub. præ-
cedenti.

(2)
Matth. 18.
(3)
Luc. 22.
(4)
Joann. 20.
(5)
Matth. ult.
(6)
Joan. 20.
(7)
Matth. 10.
Marc. 3. Luc.
6. Cor. 12 &
Ad Ephes. 4.

tur, quòd convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit eis potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent, & misit eos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Matt. quoque ultimo. Dominus dixit eis: *Euntes in Mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes, & docentes servare omnia, quæ mandavi vobis.* In prima quoque Epistola ad (1) Corinth. cap. 12. *Ipse posuit quidem Apostolos.* Glos. dicit: *Omnium ordinatores, & judices.* Itaque si Christus eos Apostolos fecit, nec Apostoli esse poterant sine potestate ordinis & jurisdictionis; ergo utraque à Christo acceperunt.

(1)
1. Corinth.
cap. 12.

Item non videntur minorem potestatem alii Apostoli recepisse à Christo, quàm Paulus: sed Paulus omnem potestatem, quam habuit, habuit à Christo, ipse enim dicit ad Galat. 1. quòd non ab homine, nec per hominem habuit, potestatem. Et ad Galat. 2. disertè dicit: *Se nihil accepisse ab aliis Apostolis, & nominatim à Petro: Qui videbantur, inquit, aliquid esse, nihil mihi contulerunt. Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcissionis, operatus est & mihi inter gentes.* Pro certo ergo mihi videretur pronunciandum & tenendum Apostolos omnes accepisse utranque potestatem à Christo.

10 Sed super est dubium, An * æqualem acceperint cum Petro: nam hæc etiam quæstio in utramque partem habet assertores. Sed quia ad majora festinanti non vacat utriusque partis fundamenta tradere pro sententia, quam verioremi puto, pono conclusionem, Apostoli omnes habuerunt æqualem potestatem cum Petro. Quàm sic intelligo, quòd quilibet Apostolorum habuit potestatem Ecclesiasticam in toto orbe, & ad omnes actus ad quos Petrus habuit, non tamen loquor de illis actibus, qui spectant ad solum summum Pontificem, ut est congregatio generalis Concilii. Hæc probatur primò quoad primam partem ex loco jam citato: (2) *Euntes in mundum universum, &c.* Et sine exceptione: *Quæcumque solveritis, &c.* Et quorum remiseritis pec. &c. (3) Et Joan. 20. *Sicut misit me pater, &c.* Christus autem missus fuerat in totum orbem: ergo in totum orbem ipse misit Apostolos.

Dub. incidenti

(2)
Matth. ult.
(3)
Joann. 20.

Secunda verò pars quod ad omnes actus, hoc videtur posse probari ex eo, quod (ut dictum est) authoritas gubernandi est de ratione Apostolatus: & non videtur quod sit limitata, qua nulla ratione diceretur quod extendat se ad certos actus, & non ad alios. Sed potius probatur ex gestis Apostolorum ipsorum, qui ubique terrarum constituiebant Ecclesias, & Episcopos, & leges ferebant pro potestate: nec apparet quid Petrus posset, dimissis his, quæ ad solum Summum Pontificem attinent, quod non & alii. Et Paulus (1) satis defendit se parem potestatem cum Petro habere. Hæc est apertè sententia Cypriani in Epistola de unitate Ecclesie ad Novatianum, & habetur. 24. q. 1. *Ego dico tibi hoc, Utique erant ceteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio pradi, & honoris, & potestatis.* Nec audienda est Glos. dicens hoc debere intelligi in ordine & dignitate consecrationis, non in potestatis plenitudine: ut patere potest ipsam Epistolam Divi Cypriani legenti.

Et ne quisquam suspicetur me velle quicquam derogare de dignitati, aut prærogativæ, aut primatui Petri, quem non solum cum Catholica Ecclesia confitemur, sed etiam pro virili defendimus: pono aliam conclusionem, Petrus * inter omnes Apostolos fuit authoritate & potestate primus, & princeps cum summa supra totam Ecclesiam potestate. De hac conclusione à doctissimis viris non iusti solum, sed prægrandes libri confecti sunt, & editi, atque ideo ego brevi me hoc loco nunc expediam, paucis modo contentus Evangelii testimoniis. Primus locus est (2) Matth. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus.* (3) Et Luc. 6. *vocavit Dominus discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem eius, &c.* Et eodem ordine nominantur & numerantur à (4) Marc. c. 3. & tamen nulla ratione Petrus potuit dici primus nisi in dignitate Apostolatus, vel Pontificatus, nam ordine quidem vocationis, primus fuit Andreas frater Petri, ut patet ex primo, c. Joan. Imò Andreas jam vocatus à Christo, ut refert Joan. *Invenit*

(1)

(1)
Ad Gala. 1.
& 2.

(2)
Matth. 10.

(3)
Luc. 6.

(4)
Marc. cap. 3.

Simonem fratrem suum, & dixit ei: *Invenimus Messiam: & adduxit eum ad Jesum.* Est præterea insigne testimonium, & omnino non refractario & obstinato intellectui apertissimum, Matth. 16. ubi ad quæstionem Domini musantibus & cunctantibus aliis discipulis, respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cui Dominus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non, &c. sed Pater meus, &c. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Cælorum.* Certè vel cæco notum esse potest pro tam præclara confessione aliquid promissum Petro præ cæteris Apostolis. Item: *Ego orabo pro te, & tu aliquando conversus, confirma fratres, &c.* (1) Luc. 22. Nec obscurior locus est ille Joan. ultimo, ubi cum bis Dominus rogasset Petrum, an se diligeret plus aliis Apostolis, illo respondente se quidem amare, subjunxit bis. *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Prorsus est hominis præposteræ, & perversè alioqui apertum testimonium interpretantis, negare Christum eo loco voluisse Petro pro majori erga se amore majorem etiam auctoritatem præstare. Atque vel ex his duobus locis liquidò constat Petro integram auctoritatem in Ecclesia commissam. Cui enim data est, si Petro est negata? Unde licet etiam, ut dictum est, alii Apostoli habuerint æqualem potestatem cum Petro ad sensum supra positum, tamen potestas Petri erat eminentior. Primò quia potestas Petri fuit ordinaria, Apostolorum autem extraordinaria. Secundò potestas Petri erat perseverantia in Ecclesia, non autem aliorum. Tertio, quia aliorum potestas nec supra Petrum, nec supra se invicem, Petri autem supra omnes alios. Quarto, quia aliorum potestas subordinata fuit Petri auctoritati. Prævaluisset enim auctoritas Petri contra auctoritatem aliorum.

Sed ut aliquando illum locum, *Pasce agnos meos, absolvam* (nam difficilior alius restat) sit in hoc argumento hæc ultima conclusio: Præter * sacros Apostolos nullus alius à Christo potestatem Ecclesiasticam aliquam viderur accepisse. Hæc probatur: Nam si quisquam alius accepisset: maximè fuisset ex numero septuaginta duorum

(1)
Luc. 22

rum Discipulorum: sed illi non videntur accepisse: ergo de nullo est veri simile quod acceperit. De septuaginta duobus autem probatur, quia in omnibus locis, ubi data est potestas, non erant Discipuli isti: ergo. Et præterea quia Joseph, qui cognominatus est Barnabas, erat unus ex Discipulis, ut patet Act. 1. & tamen Actuum 4. dicitur post ascensionem Domini quod erat Levites. Non est autem credendum, si Christus potestatem aliquam Ecclesiasticam dedisset ei, quod fecisset solum Levitam, quia Dei perfecta sunt opera. Et Philippus, qui prædicavit Samaritanis, (1) Actuum 8. & baptizavit Eunuchum Candacis Reginae, non fuit Philippus Apostolus, ut multi putant, nec sine causa, quod ad Baptismum ipsius, Samaritani non receperant Spiritum Sanctum: sed dicunt esse Philippum unum ex septem Diaconis de quo Act. 6. & 21. Ita dicit S. Thom. 4. dist. 2. q. 2. art. 4. ad primum & quodlibet. 11. art. 7. Licet oppositum videatur dicere super Joan. c. 12. lect. 3. Hic igitur Philippus non videtur dubitandum, quin esset de numero septuaginta duorum cum post Apostolos non temere legatur alius præstantior Prædicator aut Minister Evangelii, ad quod opus delecti fuerunt 72. discipuli, & tamen non erat Presbyter, sed tantum Diaconus. Imo septem illi Diaconi, qui (2) Act. 6. electi fuerunt administrandum mensis, creduntur fuisse de numero Discipulorum. Non enim ex Neophytis fuissent assumpti ad tale ministerium, & tamen non erant Presbyteri, ut pro certo constat: imò re vera nullam habebant spiritualem potestatem. Ergo septuaginta duo Discipuli, nec fuerunt à Christo ordinati, nec habuerunt potestatem aliquam Ecclesiasticam, quæ sine ordine non est. Restat ergo conclusio vera, quod præter Apostolos nullus alius accepit à Christo potestatem Ecclesiasticam: atque ita habemus primam originem potestatis Ecclesiasticæ. Fuerunt enim & primi & soli, qui à Christo Domino & Redemptore nostro hanc potestatem acceperunt duodecim Apostoli.

Supereft nunc tractare, qua ratione hæc potestas derivata est usque ad nos, & perseverat in Ecclesia, & sic erit absolutum totum negotium, quod suscepimus de subiecto potestatis Ecclesiasticæ. Sit

(1)
Actum 8.

(2)
Act. 6.

Quæst. derivazione potestatis.

13 Sit ergo de hac quæstione prima propositio, Potestas * Ecclesiastica non solum fuit in Apostolis : sed etiam in aliis. Hæc est nota ex scripturis. Nam Paulus constituit Episcopum Titum, & Timotheum ut patet 1. Tim. 4. & 2. ad eundem 1. & ad Tit. 1. & ad Ephes. idem Apostolus dat præcepta & rationem instituendi, & creandi Presbyteros 1. Tim. 3. & ad Titum. 1. & Act. 20. Paulus loquitur ad Presbyteros Asiæ. Et Joan. in Apoc. meminit Episcopi Laodiceæ. Ergo præter Apostolos aliqui alii habuerunt potestatem Ecclesiasticam.

14 Secunda propositio : Defunctis * Apostolis Christi, perseveravit in Ecclesia omnis potestas Ordinis & jurisdictionis, quæ prius erat in Apostolis. Probarur, Gradus potestatis Ecclesiæ sunt instituti à Christo non solum pro tempore Apostolorum, sed in totum tempus, quo perseveratura erat Ecclesia : ergo perseveraverunt in Ecclesia post decessum Apostolorum. Antecedens patet ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores, & Doctores ad consumationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi.*

15 Ex quo loco patet, quòd * gradus Ecclesiæ sunt perseveraturi in Ecclesia usque ad ultimum iudicium, & resurrectionem mortuorum. Item ut Paul. dicit (1) ad Hebr. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.* Ergo amisso Sacerdotio, etiam necesse est ut lex amittatur. Ergo si in Ecclesia non esset Sacerdotium institutum à Christo, nec etiam esset lex Christi. Lex autem Christi est æterna, est enim Testamentum ejus æternum, ut Paul. ait (2) ad Heb. 13. & Baruch. 2. *Statuam eis Testamentum alterum sempiternum.* Et in eodem c. 4. vocat legem Christi legem sempiternam. Ergo necesse est ut perseveret Sacerdotium à Christo institutum. In Sacerdotio autem omnis spiritualis potestas intelligitur, & includitur. Item non esset Christus Sacerdos in æternum, ut Propheta & Paulus appellant, si ejus Sacerdotium cadere & perire debuisset : non enim est Christus

(1)
Ad Hebr. 7e

(2)
Ad Hebr. 13e

Sacerdos nisi in Ecclesia. Item est præceptum in Ecclesia, de sumptione Eucharistiæ, ut patet Joan. 6. *Nisi manducaueritis carnem, &c.* Sed sine Sacerdotio Eucharistiæ consecratio fieri non potest: ergo. Item saltem constat Apostolos reliquisse Episcopos, & Presbyteros, ut de Paulo non semel scriptum est: & potestas illorum non expiravit Apostolis defunctis: ergo potestas Ecclesiastica fuit in Ecclesia, etiam defunctis Apostolis.

Tertia propositio, Tota * potestas Ordinis in Eccle- 16
sia derivata est, & pendet immediate ab Episcopis. Volo dicere, quòd sicut Apostoli, & illi soli habuerunt jure divino ordinare, & consecrare Presbyteros, & alios inferiores Ministros, ita omnes, & soli Episcopi hoc habent etiam jure divino. Et quòd Episcopi habeant hanc potestatem, patet 1. Tim. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Quòd de ordinatione Presbyteri intelligendum omnes sancti docent, Et c. 5. instituit Timotheum, quales Presbyteros eligere debeat: *Oportet inquit Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c.* Quòd de Presbytero intelligendum patet, ex eo quòd statim subjicit quales oporteat esse Diaconos. Et ad Titum 1. *Hujus rei gratia reliqui te Creta, ut constituas per civitates Presbyteros, siquis sine crimine est.* Nec inter Catholicos est dubitatio, Episcopos hanc habere potestatem. Et quòd soli Episcopi habeant, videtur, quia numquam legimus ordinationes factas nisi ab Apostolis, vel ab Episcopis aliis. Unde etiam *Actorum* 14. de Paulo & Barnaba legitur, quòd constitutis Lystræ, & Iconio, & Antiochiæ per singulares Ecclesias Presbyteris, decesserunt. Et Dionysius Apostolorum Discipulus, & Synchtonus libro de Ecclesiastica Hierarchia, ubi formam Ecclesiasticam ab Apostolis traditam dissertè, & copiosè tractat, solis Pontificibus ordinationem ministrorum tribuit, imò nec Oleum Sanctum, quo sacrantur Presbyteri, ab alio, quam à Pontifice docet confici posse. Item potestas Ordinis est juris divini: ergo non est usurpanda nisi ab eis, quibus constat jure divino commissum, tales sunt soli Episcopi: ergo &c. Item consuetudo universalis Ecclesiæ hoc semper tenuit, ut soli Episcopi ordinationes

faciant: & est, ut supra dixi, gravissimum argumentum, quod numquam factum est, ideo non esse, quia non licuerit, aut certe non potuerit. Itaque impium, & hæreticum est dicere aut credere, quod novi hæretici putant, Sacerdotem vel plebis electione, vel quacumque alia ratione, quàm Episcopi consecratione constitui posse.

Verum, est quod qui teneret, ut sunt qui disputent Episcopum à Presbytero non differre consecratione, sed sola potestate jurisdictionis consequenter necessario haberet concedere quemlibet Presbyterum posse etiam Presbyteros consecrare: nam potestas jurisdictionis non facit potestatem consecrandi. Sed quia illam sententiam existimo falsam, ut suo loco patebit, persevero in conclusione posita, quòd omnibus, & solis Episcopis convenit ordinatio Ministrorum. Nec nunc disputo, an ex privilegio summorum Pontificum Abbates aliqui habeant conferre aliquos ordines, vel minores vel etiam majores. Si enim aliqui ordines non sunt juris divini, ut certò constat de minoribus, non est dubitandum, quin collatio illorum committi possit non Episcopo. Si verò majores omnes juris divini sunt quod in præsentia non puto, profecto videtur nec committi etiam posse nisi Episcopis, qui soli jure divino habent: quanquam non est eadem ratio de Presbyteratu, & Diaconatu, ut fateor, sed hoc omnino videtur probabilius, quod nec etiam Diaconi ordinari possent nisi ab Episcopis, siquidem juris divini ille ordo est.

- 17 Quarta propositio, Defuncto * Petro Principe Apostolorum, aliquis successit Petro cum simili autoritate, & potestate jurisdictionis in totum orbem. Probatur à (1) Sancto Thom. 4. contra Gent. cap. 76. Christus sic instituit Ecclesiam ut esset usque in seculum duratura. Unde Esai. 9. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia à modò, & usque in sempiternum.* Sed Christus ædificavit Ecclesiam super Petrum. Ut ipse dicit (2) Matth. 16. ergo opus fuit, ut eo è medio sublato, alius loco ipsius subrogaretur. Item in veteri lege à Deo ins-

(1)

Sanct. Thom.,
4. contr. Gent.
cap. 76.

(2)

Matth. 16.

(1)
August. 24.
quæst. 1. c.
quodcumque.

titura semper fuit unus summus Sacerdos, ut patet Deuter. 17. & aliis locis ergo. Hoc est quod August. (1) 24. q. 1. c. *Quodcumque* Dicit, quod cum Petrus accepit claves, accepit non tanquam privatus, sed nomine Ecclesie: hoc est, data est ei potestas, quæ esset duratura in Ecclesia, in cujus ædificationem Christus dedit. Unde sicut Adam quædam dona habuit personalia, quæ in posteros transfundere non potuit, ut plenitudinem omnium scientiarum, quædam autem communia statui innocentie, ut iustitiam, gratiam, immortalitatem: sic & Petrus privata dona habuit, quædam in quibus successorem non habuit (nec enim erat necesse) ut gratiam miraculorum, donum linguarum: quædam verò accepit, in posteros translaturus, ut potestatem clavium, quam non sibi, sed Ecclesie accepit.

Item ille ordo, à principio constitutus à Christo in Ecclesia, ut scilicet esset unum caput, & unus princeps super omnia in tota Ecclesia, erat convenientissimus ad administrationem Ecclesie. Quod constat non solum facto ipso Christi, cujus est summa sapientia, & providentia, sed etiam consensu meliorum Philosophorum, qui Monarchiam aliis principatibus præferunt, ut constat ex Arist. in Politicorum, & Ethicorum, & Metaphysicorum libris. Sed Christus non minus diligit nunc Ecclesiam suam quam tunc diligebat, cui etiam promisit se nobis ad futurum usque ad consummationem seculi, (2) Matth. ultim. Ergo nullo modo est verisimile, quod voluerit, defuncto Petro, mutare rationem & formam administrationis ab ipso Petro institutam, ut scilicet esset unus princeps totius potestatis Ecclesiasticæ. Nec enim Petrus principatum in suum commodum acceperat, sed in utilitatem, & ædificationem Ecclesie. Et re vera non minus perniciosus fuit error negantium perseverare in Ecclesia unum Pontificem, cui omnes Christiani subesse teneantur, quam eorum, qui omnes Christianos æquales volunt esse. Hic enim majorem orbis Christiani partem primò in schismata deduxit, deinde ab Ecclesia alienavit, postremò in impientissimam Mahumeti perfidiam impulit. Certè qui beato Petro principa-

(2)
Matth. ulte.

cipatum non negant, nulla ratione se tueri possunt, quin unum etiam nunc summum Monarcham in Ecclesia concedant.

In hanc sententiam sunt aperta testimonia Ignatii, Cyrilli, Chrysoft. & aliorum Doctorum Græcorum, imò & Conciliorum in ipsa Græcia celebratorum. Nam de Latinis Authoribus & Synodis dubitandum non est: quin omnes in unam hanc sententiam conspiraverint. Sed esto ut ita sit, sicut certò est, ut in Ecclesia semper sit unus successor Petri cum pari etiam dignitate, & authoritate, super est inquirendum, qua via, qua ratione ea dignitas, & potestas Petri, derivari, & pervenire possit ad alium. Nec enim ex morte Petri ad unum aliquem certum suprema illa potestas attinebit.

Sit pro hac quæstione in ordine quinta propositio: *Quest.*
 18 Petro * mortuo, Ecclesia habet potestatem subrogandi, & instituendi alium loco illius, etiam si Petrus nihil de hoc prius constituisset. Hæc probatur. Licet enim Ecclesia (ut in Relectione priori declaratum à nobis est) non posset potestatem spiritualem constituere, nec (ut ita dicam) formaliter in se habeat, ut supra explicavimus: tamen semel constituta à Christo potestate, non videtur, quòd Ecclesia sit peioris conditionis ad eligendum sibi Principem, quàm civilis Respublica, quæ quocumque casu, deficiente Principe, potest sibi alium constituere. Item, ut dictum est, hæc potestas oportebat, ut perseveraret in Ecclesia, sed defuncto Petro, & nihil de successore providente, nec statuente, ut contingere poterat, non restabat aliud medium, nisi per electionem Ecclesie. Ergo Ecclesia poterat alium eligere.

Et confirmatur: Quia nunc etiam si aut bellum, aut pestilentia, aut alia calamitas, aut casus absumeret Cardinales omnes, non est dubitandum quin Ecclesia posset providere sibi de Summo Pontifice: aliàs vacaret perpetuò illa Sedes, quæ tamen perpetuò debet durare. Item illa potestas est communis, & spectat ad totam Ecclesiam: ergo à tota Ecclesia debet provideri, & non ab aliqua peculiari Ecclesia, vel certo ordi-

ne, aut genere hominum: imò negligentibus Cardinalibus, aut perniciosè dissidentibus, Ecclesia posset tibi providere.

Sed an ab omnibus Christianis? Respondeo, & sit sexta propositio: Electio * Summi Pontificis in tali casu spectaret ad solum Clerum, & nullo modo ad populum. Probatum: Quia administratio rerum spiritualium nullo modo spectat ad laicos, ut aliàs à nobis probatum est: sed institutio Summi Pontificis maxime spectat ad gubernationem & administrationem rerum spiritualium: ergo nullo modo spectat ad laicos. Item electio Presbyterorum, aut Episcoporum non spectat ad plebem, ut supra latè probatum est. Ergo multò minus electio Summi Sacerdotis. Item populus non potest judicare merita & qualitates requisitas ad dignitatem Summi Pontificis, nec examinare, & discernere inter dignum, & indignum: ergo electio, vel institutio non spectat ad plebem. Esset enim absurdum, ut providentia Sacerdotii commissa esset illis, qui nisi fortè & casu non possent rectè providere. Item: Quia talis electio esset prorsus impossibilis, cum esset impossibile ut totus populus conveniret ad eligendum, nec postquam convenissent, posset contingere, ut major pars unum & eundem optaret.

Septima propositio: Imò * non videtur etiam talis electio spectare ad totum Clerum: quia licet ad omnes Clericos spectet administratio spiritualium, tamen non omnia spectant ad omnes, sed citra Episcopos omnes habent certa & limitata ministeria, extra quæ non extendit se eorum officium, ut Diaconi ministrant Presbyteris, Presbyteri autem ministrant Sacramenta: & eadem ratione vix convenire posset Clerus totius orbis ad talem electionem.

Unde sit octava propositio: In * quocumque casu vacaret Sedes Apostolica, manendo in solo jure divino, electio spectaret ad omnes Episcopos Christianitatis. Probatum: Quia ipsi sunt Pastores Gregis, & Curatores, & Tutores, & tota administratio ecclesiastica citra Summum Pontificem spectat ad eos, & omnia possunt per

per se, quæ inferiores omnes possunt. Dico ergo, quòd quomodocumque, siue instituto, siue casu omnes Episcopi Christiani convenirent, in tali casu Episcopi possent eligere unum Summum Pontificem tantæ auctoritatis, sicut fuit Beatus Petrus, etiam reclamantibus omnibus, vel majori parte laicorum, aut etiam Clericorum.

Sed quia hæc forma esset etiam vehementer difficilis, ac penè impossibilis: sit nona propositio: Beatus Petrus * vel solus, vel cum aliis Apostolis potuit constituere formam, & rationem, qua post obitum suum eligeretur ei successor. Probatür breviter & clarè, quia habebat plenitudinem potestatis & administrationis ad ferendas leges convenientes Ecclesie, sed hæc erat una lex etiam necessaria ad gubernationem Ecclesie de electione Summi Pontificis: ergo potuit eam condere. Secundò probatur: Tota Ecclesia posset hanc legem facere, imò facta est in Conciliis: ergo Petrus potuit quia aliàs non habuisset summam potestatem.

Et confirmatur: Quia omnis alia forma eligendi, seclusa lege lata à Petro erat vel impossibilis, si à tota Ecclesia, vel à toto Clero: vel saltem magna occasio schismatum, si per omnes Episcopos deberet fieri: ergo omnino hoc expediebat, ut lege daretur certa via, & ratio eligendi.

Verum circa has propositiones oritur dubium. Nam Episcopus Romanus est Summus Pontifex. Ergo dato quod Petrus decessisset, sufficiebat Romanus Clerus ad eligendum Episcopum Romanum, & per consequens Summum Pontificem. Et augetur dubium. Nam (ut ex historia habetur) aliquando vel Clerus Romanus, vel populus Summum Sacerdotem eligebant.

Respondeo primò: An Episcopus Romanus sit jure divino Summus Pontifex, inferius (si vacaverit) disputaturus sum.

Secundò dico, quod si Clerus, aut Populus Romanus aliquando hoc juris habuit, ut eligeret Summum Pontificem, hoc fuit cerrè, vel lege de hoc lata, vel consuetudine recepta, & non jure divino. Nam etiam

*Dubium circa
has propositio-
nes.*

eligente Romano Clero, si Episcopi Christiani, ratam habebant electionem, hoc satis esse potuit, ut illa forma electionis per aliquam ætatem servaretur.

Decima propositio: Beatus * Petrus potuit eligere 23 & designare sibi successorem, qui, defuncto Petro, sine alia electione esset Summus Pontifex. Hæc propositio non recipitur à Theologis recentioribus, quod ant Pontificiæ Dignitati aliquanto inferiores, quàm deceret alioqui pios, & Christianos Scriptores. Sed probatur primò ex facto Petri, qui (si fides habenda est vera narrantibus) Clementem vivens ipse viventem Pontificem nominavit, ut habetur 8. q. 1. cap. *Si Petrus*, ex auctoritate Joann. scilicet tertii, qui fuit temporibus Justiniani.

Item probatur manifesto & invicto argumento: Nam ut probatum supra est, poterat ferre legem de electione successoris: sed potuisset ferre legem, ut vivens Pontifex eligeret successorem, imò illa lex videtur futura convenientissima ad tollenda schismata, & ambitiones. Sicut apud Romanos durante adhuc Magistratu Consulium designabantur futuri Consules, quare non ita potuit fieri de Summo Pontifice? Item potuit ferre legem, ut Episcopus vivens nominaret sibi successorem, quare non potuit de Summo Pontifice? Sequitur consequenter, quod tantundem potuit facere quilibet successor Petri. Patet, quia habuit eandem potestatem.

Undecima propositio: Ratio * eligendi Summum 24 Pontificem, quæ nunc servatur in Ecclesia, non est de jure divino. Hæc nota est ex præcedentibus, quia exclusæ humana lege, spectat ad Episcopos. Item: Nusquam invenitur in toto jure divino. Item: Petri successores potuerunt eam mutare, ut dictum est. Item, non semper hoc modo facta. Et ultimo, quia ordo Cardinalium, qui nunc sunt Electores, non est ex jure divino.

Ultima propositio: Ratio * eligendi Summum Pon- 25 tificem, est ex constitutione & auctoritate Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum, quæ eadem est, & eadem auctoritate mutari posset. Hæc est ratio & origo qua auctoritas & dignitas Beati Petri ad nos usque perseveravit, duratura est in finem seculi.

Supereſt, ut agamus de ſucceſſoribus aliorum
 26 Apoſtolorum, de quo ſit prima propoſitio. Nemo * ſuc-
 ceſſit aliis Apoſtoliſ cum æquali poteſtate, & autho-
 ritate juridiſtionis: hoc eſt, ut in toto orbe haberet
 plenitudinem poteſtatis, ſicut quilibet Apoſtolorum ha-
 buiſſet, ut ſupra oſtenſum eſt. Hæc probatur primò
 ipſo factò. De nullo enim legimus; quòd ſe geſſerit
 pro Epifcopo univerſalis Eccleſiæ, præter Romanum
 Pontificem, ſed proximi quique Apoſtolorum, vel
 Hieroſolymitanus, vel Antiochenus, vel alterius ur-
 bis Epifcopus dictus eſt.

10. Secundò: Quia illa poteſtas univerſalis in aliis Apoſ-
 toliſ fuit extraordinaria, & perſonalis, ut dictum eſt (&
 ſic non potuerunt eam ſucceſſoribus relinquere) & ſo-
 la poteſtas Petri erat ordinaria, & in perpetuum du-
 ratura: ab Eccleſia autem nullus recipit tam amplam
 poteſtatem, quæ etiam ſine ſuo capite nihil poteſt:
 nec à Summo Sacerdote, hoc eſt, vel Petro, vel Cle-
 mente, legimus quemquam ſubrogatum cui quam
 Apoſtolorum cum illa poteſtatis amplitudine. Tertio:
 Fuiſſet, maxima occaſio ſchimatſ, & diſſenſionum in
 ſucceſſoribus, qui non erant in gratia confirmati, ſi
 8. Provincias non habuiſſent diſtinctas.

27. Secundà propoſitio: Quilibet * aliorum Apoſtolo-
 rum à Petro potuit relinquere ſucceſſorem, licet non
 univerſalem, ſaltem in quacumque Provincia voluiſſet,
 qui eſſet verus Epifcopus illius Provinciæ. Hanc pro-
 poſitionem ſcio non placituram omnibus Doctõribus,
 tum Theologiſ, tum juridiſconſultiſ, quæ nec ipſiſ Car-
 dinalibuſ Turrecremat. & Cajet. placeret. Omnes enim
 illa perſuaſio ſemel invaſit, omnem poteſtatem juridi-
 ctionis ita dependere à Romano Pontifice, ut nullus poſ-
 ſit habere nec minimam quidem ſpiritualem poteſtatem,
 niſi ex mandato, vel lege ipſiuſ poſt Apoſtoloſ qui-
 dem, qui ex ſingulari privilegio habuerunt à Chriſto,
 quòd nulluſ aliuſ poteſt habere niſi à Petro. Sed pro-
 bo primò hanc propoſitionem apertè. Quilibet Apoſ-
 tolorum potuit vivens creare Epifcopum in quacumque
 Provincia, & ille non amitteret poteſtatem deſuncto

Apostolo : ergo potuit relinquere successorem. Antecedens est notum , quia Paulus constituit Titum , & Timothæum , & idem juris habuerunt alii Apostoli : & in hoc sensu propositio à nemine negari potest.

Sed dico eam esse veram in sensu , in quo diximus Petrum potuisse nominare successorem : id est , qui revera non haberet potestatem nisi post obitum Apostoli : itaque potuit Joannes in Asia nominare Ignatium , ut post se Episcopus esset in ea Provincia. Hoc probatur : Nam ut supra abundè probatum est , nec alii dissentitur , cæteri Apostoli viventes æqualem habuerunt potestatem cum Petro : ergo potuerunt condere legem , ut vivens ipse Apostolus eligeret sibi successorem : ergo potuit illa lege ipse primus eligere. Certè de antecedente non videtur dubitandum eis , qui concedunt æqualem auctoritatem aliis Apostolis cum Petro. Et si Petrus poterat talem legem ferre in Provinciis , quare Paulus non potuisset ? Imò certum est non indigere alios Apostolos expectasse mandatum Petri ad omnia quæcumque opus erant in Provinciis. Atque adeo videtur mihi propositio non solum probabilis , sed de qua dubitari non potest.

Tertia propositio : Non * solum Apostoli hoc potuerunt , sed quilibet successorum similiter potuit relinquere sibi successorem. Hæc probatur apertè ex secunda. Nam lata lege à Joanne , vel Paulo , ut vivens Episcopus nominaret successorem , potuisset Titus nominare alium.

Sed ultrà addo (quod difficilius videtur , sed puto non minus verum) quòd etiam si de hoc nulla lex esset lata à Paulo , potuit Titus , & Timothæus nominare sibi successorem , inconsulto etiam successore Petri : & simile est de omnibus aliis Episcopis. Probatur : Quia Episcopus est Pastor , & Governator Provinciæ Jure Divino : ergo si à majore potestate non impediretur , potest facere omnia , quæ expediunt ad salutem suæ Provinciæ : sed hoc potuit maximè eo tempore esse expediens , ut vivens Episcopus nominaret successorem : ergo potuit hoc facere , imò & legem ferre , ut hoc

modo perpetuo fieret. Unde enim habemus, quod Episcopus possit legem condere de electione Abbatis, vel Parochi, vel de quacunq; alia re, & non de electione Episcopi?

Et confirmatur: Quia certè non solum hoc videbatur possibile, & conveniens, sed omnino eo tempore necessarium. Quomodo enim defuncto in ultima India Episcopo, potuissent expectare mandatum Petri ad sufficiendum novum Episcopum? Et hæc omnia dicta sunt quantum ad potestatem jurisdictionis. Nam quoad potestatem ordinis, si Episcopatus dicit ordinem, vel potestatem distinctam à Presbytero, & à jurisdictione, sicut video placere penè omnibus, oportuit præter electionem concurrere aliquam consecrationem, tam ad institutionem Papæ, quàm Episcoporum: sed illam potuit facere quilibet Episcopus vivens, faciendo successorem, vel etiam uno defuncto, Episcopus alterius Provinciæ potuit ordinare successorem prius electum, & nominatum.

29 Ultima propositio: Quilibet * Episcopus in sua Provincia potuit condere legem, ut Presbyteri eligerent Episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiam inconsulta sede Petri. Hæc sequitur ex aliis. Nam potuit leges convenientes Provinciæ facere de hac re, sicut de aliis. Ecce rationem quomodo auctoritas, & dignitas Episcopalis potuit derivari successive ab uno in alterum usque ad nos, & per Episcopos omnis alia potestas inferior. Sed his non obstantibus (ne quis putet me velle derogare Romanæ sedi, & dignitati.) Pono aliam conclusionem.

30 Successores * Petri potuerunt, & possunt pro suo arbitrio Episcopos creare in singulis Provinciis, & quacunq; leges de hac re prius latas tollere, & novas condere, & Provincias distinguere, & omnia ad hæc spectantia pro suo iudicio, & potestate facere. Omnia enim quæ dicta sunt intelligenda sunt, nisi à Sede Petri aliter provideatur. Hæc propositio probatur clare. Quia Petro dictum est absolute: *Pasce oves meas*, sine aliqua exceptione. Ergo ad Petrum

*hæc doctrina
videtur consona
cum dicto
papæ sedi*

spectat omnis administratio sine limitatione, & per consequens etiam creatio Episcoporum. Si enim quicumque aliorum Apostolorum hoc poterat, & fecerunt, ut constat, multo magis ad Petrum, & successores Petri. Ex quo patet corollarium, quod nunc non potest Episcopus fieri nisi secundum formam traditam à Summis Pontificibus, & si secus tentatum fuerit, nihil efficietur ratum, sed totum erit irritum, & inane. Dico verò quantum ad authoritatem jurisdictionis, nam quod à consecrationem spectat, secus est. Secundò sequitur, quod tota potestas Ecclesiastica, si-ve ordinis, si-ve jurisdictionis, mediatè, vel immediatè pendet à Sede Petri. Patet, quia ab illa Sede pendent Episcopi, & ab Episcopis Presbyteri, & omnes inferiores ordines, & potestates.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA.
RELECTIO DE POTESTATE CIVILI.

S U M M A.

1. *Potestas omnis seu publica, seu privata, qua Respublica secularis administratur, non solum justa, & legitima est, sed ita Deum actorem habet, ut nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari possit.*
2. *Potestas duplex, publica, & privata.*
3. *Potestatis Civilis finis quis sit.*
4. *Hominis miseria recensetur. Et quid faciendum oportuit, ut illius necessitatibus consuleretur.*
5. *Civitatum, rerumque publicarum fons, & origo non fuit inventum hominum, sed tanquam à natura profectum.*
6. *Potestatis Civilis causa efficiens quæ.*
7. *Respublica unde habeat potestatem Civilem. Et de causa materiali ejusdem potestatis. Et penes quem jure naturali, & divino resideat.*
8. *Monarchia, sive Regia potestas, non solum justa est, & legitima, sed Reges etiam à Jure Divino, & Naturali habent potestatem, & non ab ipsa Republica, aut prorsus ab hominibus.*
9. *Potestates, quibus Infidelium Respublicæ gubernantur, an sint legitime. Vel, an inter Paganos sint legitimi Principes, & Magistratus.*
10. *Potestatis publica secularis tres cause explicantur.*
11. *Libertas, non est minor in regali Principatu, quàm in Aristocratico, & Democratico.*
12. *Respublica, tota posset puniri licitè pro peccato Regis.*
13. *Bellum quando nullum esset justum.*
14. *Reipublicæ sicut major pars Regem supra totam Rem-*
pu-

- publicam, constituere potest, aliis invitis, ita pars major Christianorum, reliquis etiam renitentibus Monarcham unum creare jure posset, cui omnes Principes, & Provincia parere teneantur.*
15. *Principum leges, constitutiones quomodo obligent in foro conscientia. Et quid de praeceptis parentum in filios, & maritorum in uxores.*
16. *Lex Humana, & Divina in quo differant, & in quo etiam conveniant.*
17. *Lex Divina sicut habet vim obligandi ad culpam, ita & lex humana.*
18. *Legum humanorum transgressores, ad quam culpam obligentur, ad mortalem, an ad venialem solum.*
19. *Leges humanae quando obligent ad mortale, & quando ad veniale, qualiter dignosci poterit.*
20. *Rex si vellet non obligare ad culpam, an posset.*
21. *Leges Civiles, an obligent Legislatores, & maxime Reges.*
22. *Legis ratione cessante, an esset obligatio.*
23. *Tyrannorum leges an obligent.*
24. *Praecepta parentum, eodem modo obligant, sicut leges Civiles. Et idem de praeceptis maritorum in uxores.*

Officium, ac munus Theologi tam latè patet, ut nullum argumentum, nulla disputatio, nullus locus alienus videatur, à Theologica professione, & instituto. Et fortasse hoc etiam in causa est, sicut de oratore dicit Cicero, cum in omni disciplinarum genere, omnibusque artibus tam pauci inveniantur, & clari, & excellentes viri: tanta sit, ne plus exigam, Theologorum bonorum inopia, & solidorum. Est autem Theologia omnium disciplinarum, studiorumque orbis prima, quam Græci θεολογία vocant. Quare nihil mirum videri debet, si non tam multi in tam difficili re sanè absoluti inveniantur. In tam igitur magno solo, ac latè patenti scripturarum omnium Doctorum campo cùm infinita suppeterent, unum potissimum locum mihi delegi: certè si pro sua dignitate à me trac-

tractari valeat, dignum vestro conspectu, viri ornatissimi, & doctissimi. Locus itaque est de Republica: de qua re cum gravissimi, & eruditissimi viri multa disserverint, plura tamen super sunt. Et quoniam argumentum amplius est, quàm ut una disputatione expleri posset, de potestate publica, & privata, qua Respublicæ gubernantur, hodie negotium suscepi.

Locus relegendus ac tractandus est in Magistro Sententiarum, (1) & sumptus est ex Paul. (2) *Non est potestas nisi à Deo.* In quem locum licet per multa sint quæ afferri possent tamen in præsentiarum de Laica, seu Seculari potestate tota nostra disputatio erit nonnullis limitibus coercita, ne effusius quam opus sit, erret, & evagetur. Tota ergo præsens Relectio tribus terminabitur conclusionibus.

(1)

In 2. d. 44.

(2)

Ad Rom. 13.

- 1 Prima conclusio est. Omnis * seu publica, seu privata potestas, qua Respublica secularis administratur, non solum justa, & legitima est, sed ita Deum Auctorem habet, ut nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari possit. Priusquam ad probationem hujus conclusionis veniam, nonnulla mihi præmittenda sunt, ad ejus explanationem, & intelligentiam necessaria. Nec tamen omnia, quæ in hoc amplissimo argumento congeri possunt, persequi constitui, sed adstricto, & presso sermone Scholastico more, quantum, potero, paucissima verba, quæ solum instituto sunt necessaria, conferam.
- 2 Cùm * autem duplex sit potestas publica, seu privata, prius de publica, mox verò de privata agemus. Et quoniam (ut Aristot. admonet) sub finem 2. Phis. *Unumquodque tunc arbitramur scire, cum causas ejus cognoscimus*, opere pretium me facturum puto, si Civilis, & Laicæ potestatis, de qua tota futura est oratio, causas investigavero.

Quibus certè præceptis, & vis, & effectus ipsius potestatis facile patebunt. Illud igitur in primis notare oportet, quod ipse Aristot. in Phis. docet. Non in naturalibus tantum, sed in omnibus prorsus humanis rebus necessitatem considerandum ex fine, utpote causarum omnium, & prima, & potissima. Quod dogma,

seu

seu Arist. inventum fuerit, sive à Platone receptum, ingens Philosophiæ argumentum fuit, magnamque rebus omnibus attulit lucem. Anteriores homines non eruditionis expertes, sed primi etiam nominis Philosophi, necessitatem rerum materiæ tribuebant, ac si (ut ipsius Arist. exemplo utar) domum ita necessario constructam esse putarent: non quod humanis usibus ita expediret, sed quia gravia quædam deorsum suapte natura ferantur, idcirco lapides quidem ac fundamenta sunt infra terram, supra autem propter levitatem præminent ligna. Item homines inferius pedes habere non incessus gratia, sed quod ea pars maximè crassior sit. Ossaque similiter animantibus inesse, non quod ita necessaria fuerint, ut caro membraque corporis stabilitatem haberent, sed quod ea materia durior, & solidior sit.

Verum enim vero homines crassis opinionibus imbuti, toto (ut ajunt) Cœlo errabant, ut nec rerum aliquarum rationem secundum sententiam eorum reddere possent, certè optimarum maximarumque rerum fabricam artificio, philosophandi ratione nullo modo expedire possent. Quomodo enim illi, ut non inquam qua materiæ varietate terra ornatur in media Sede mundi locata, solida, & globosa, & undique circum se suis nutibus conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, ut non exigam unde fontium gelidæ perennitates, liquores perlucidi, unde riparum vestitus viridissimi, singularium partium membrorumque hominis compositionem uni materiæ acceptam, referrent? Quæ est illa materiæ vis, quæ inter animantia oculos homini sublimes dedit, Cœlumque videre jussit, & erectos ad sydera tollere vultus? Ita enim illi responderent fieri aliter non potuisse, quàm ut homo erectus esset, bruta verò prona, inclinataque: & non finis alicujus, aut utilitatis gratia; sed quod animantium materia, disparque conditio esset.

Atque ex hoc capite manavit Epicuri stolidissimum placitum, & ejus discipuli Lucretii. Dicebat enim nec oculos ad videndum esse natos, nec aures ad audiendum,

dum, sed omnia fortuito atque aded ex illo atomorum multifario concursu per infinitum, & inanem volitatum contigisse, quo nihil potest dici, vel fingi, aut stultius, aut ineptius, nec quicquam proclivius, quam tam apertam stultitiam arguere. Quod copiosissime Cicero de Natura Deorum, & Lactantius de Opificio Dei fecerunt. Sed nostro instituto, & presenti proposito satis erit, ut summam veritatem teneamus, qua omissa, semper necesse errare est. Credamusque non Coelum, nec terram, ac reliquas orbis partes hominemque ipsum orbis principium, sed omnia, quæ Cælo continentur, alicujus usus, & finis gratia stetisse, fierique omnia, atque ita fieri necesse propter finem, unde ratio, & necessitas rerum accipienda est.

3 Quærendum igitur, & investigandum nobis superest, quis * sit finis ille: cujus gratia potestas hæc, de qua tractaturi sumus, constituta sit. Pro quo considerari oportet, quod sicut homo cæteris animalibus præstat ratione, sapientia atque sermone, ita illi æterno, immortalis, sapientique animali, multa à providentia gubernatrice gubernata sunt, quæ reliquis animalibus sunt tributa, & concessa. Jam enim primùm ut communitati, & tutelæ animantium consultum esset, ab ipso statim principio omnia alia animalia suis tegumentis natura mater dotavit, quo facilius possent vim pruinarum, & frigora sustinere. Singulis autem quibus ad propulsandos impetus extraneos sua propria munimenta constituit, aut ut naturalibus telis repugnent feriora, aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernitate fugiendi, aut rostro veluti hasta se protegant, aut latibulis sepiant: & ita quædam illorum, aut plumis levibus in sublimè suspensa sint, aut suffulta unguibus, vel instructa cornibus: nullique sui præsidium deest.

4 Hominem * aut unum ratione, & virtute concessa reliquit fragilem, imbecillem, inopem, & infirmum, omnique auxilio destitutum, undique indigentem, & nudum, incrinemque contra se ex naufragio producit, in cujus vita miserias sparsit, quippe qui ab ipso sta-

(1)
Job 14.

tim ortu nihil aliud potest quàm fragilitatis suæ conditione plorata fletibus ominari. Juxta illud: (1) *Repletur multis miseris: & tantum ut restet* (ut Poeta refert) transire malorum. Ut ergo hujusmodi necessitatibus consulere, necessarium porrò fuit, ut homines non vagi errarent, & palantes instar ferarum in solitudine, sed in societate viventes, invicem sibi adjumento essent.

(2)
a. Echicor.

Vae enim soli (ait Sapiens) *quia si ceciderit, non habet sublevantem se: si autem fuerint multi, fovebuntur mutuo.* Atque adeo ex hoc capit. Arist. (2) admonet, non sine doctrina, & experientia, perfici posse ex parte intellectus, quæ in solitudine haberi minimè potest. Imò etiam hoc loco brutis animalibus ipsis inferiores esse videmur, quia illa necessaria sibi per se cognoscere possunt, homines autem nullatenus hoc possunt. Rursus etiam sermo intellectus est nuntius, & in hunc solum usum datum Arist. tradit, quo uno homo cæteris animalibus antecedit: qui extra hominum societatem nullus foret: atque adeo etiam, si fieri posset, si sapientia esset sine sermone ingrata, & insociabilis esset ipsa sapientia. Ita enim in Ecclesiastico habetur *sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utriusque?* (3) Quapropter, & in 1. Polit.

(3)
Eccles. 41.

Arist. ostendit hominem naturaliter esse Civilem, sociabilemque. Jam verò voluntas, cujus ornamenta sunt justitia, & amicitia, deformis verò omnino, ac velut manca, extra hominum consortia sit necesse est: justitia quidem nisi à multitudine exerceri non potest: amicitia verò, sine qua non aqua, non igne, non Sole (ut ait Cicero pluribus locis) utimur, & sine qua nulla virtus est secundum Arist. sententiam: sine vitæ communicatione omnis perit. Et si constaret humana vita, & sibi sufficeret, tamen in solitudine non nisi injocunda, & inamabilis esse posset. Nihil enim natura solitarium amat, omnesque, ut ait Arist. natura ferimur ad communicationem. *Si quis* (inquit Cicero) *in Cælum ascendisset, naturamque mundi, atque syderum inspexisset pulchritudinem, insuavis illi sine amico administratio foret.* Quare, & Timon ille Atheniensis, qui

qui se instituto ab hominum communitate segregabat, inhumana brutalique natura ab Arist. 1. Pol. censetur, & inter feras hujusmodi homines, ponuntur. Sicut enim ait August. (1) *Ego enim eos non tantum homines, quàm bestias dixerim, qui sic dicunt esse vivendum, ut nulli consolationi sint, nulli etiam oneri, vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua aliis perversitate inferant, amare nullum, amari à nullo curantes.* Cum itaque humanæ societates propter hunc finem constitutæ sint scilicet, ut alter alterius onera portaret, & inter omnes societates societas Civilis ea sit in qua commodius homines necessitatibus subveniant, sequitur, communitatem esse (ut ita dixerim) naturalissimam communicationem naturæ convenientissimam. Quanquam enim mutua officia sibi præstent, non tamen familia una sufficiens est sibi, & maximè adversus vim injuriamque propulsandam: quæ maximè causa videtur, & Cham, & Nemrod adduxisse, ut primi omnium homines in Civitatem cogent ut legitur Genes. 10.

5 - Patet ergo * fontem, & originem Civitatum rerumque publicarum, non inventum esse hominum, neque inter artificiatum numerandum, sed tanquam à natura profectum, quæ ad mortalium tutelam, & conservationem hanc rationem mortalibus suggessit, atque ex eodem capite statim consequitur eundem esse finem, eandemque necessitatem publicarum potestatum. Si enim ad mortalium incolumitatem necessaria sunt concilia, & coetus hominum, societas nulla consistere potest sine vi aliqua, & potestate gubernante, & providente, idem omnino usus utilitasque est, & publicæ potestatis & communitatis, societatisque. Nam si omnes æquales essent, & nulli potestati subditi, unoquoque ex sua sententia, & arbitrio in diversitatem tendente, necessario distraheretur Respublica, dissolveretur Civitas, nisi aliqua esset providentia, quæ in communi curaret consuleretque communi bono. *Omne enim Regnum in seipsum divisum, desolabitur.* Et ubi non est gubernator (ut ait Sapiens) dissipabitur Populus. Sicut

(1)
August. lib.
de Amicit.
cap. 8.

corpus hominum in sua integritate conservari, non posset, nisi esset aliqua vix ordinatrix, quæ singula membra in usus aliorum membrorum, maximè in commodum totius hominis componeret: fane ita in Civitate contingere necesse esset, si unusquisque pro suarum rerum utilitate, sollicitus esset, & unusquisque civis publicum bonum negligeret. Habemus igitur finalem, & potissimam causam potestatis Civili, & Secularis utilitatem, imò potius in gentem necessitatem, cui non nisi dii repugnant.

Efficientem * verò causam hujus potestatis ex dictis facile est intelligere. Si enim publicam potestatem ordinemus constitutam jure naturali, jus autem naturale Deum solum Auctorem cognoscit: manifestum evadit, potestatem publicam à Deo esse, nec hominum conditione, aut jure aliquo positivo contineri. Deus enim qui omnia in sapientia fecit, quique attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, & cujus opera omnia ordinata sunt, ut ait Apostolus: hujus naturæ, & conditionis homines constituit, ut nisi in societate vivere non valent. Imò (ut apud Ciceronem disserit Scipio) *nihil est illi Principi Deo, qui omnem mundum regit, & quicquid est in terris fecit acceptius, quam Concilia cujusque hominum jure societatis, quæ Civitates appellantur.* Et si Respublicæ societatesque Jure Divino, seu Naturali sunt constitutæ, potestates etiam, sine quibus Respublicæ stare non possent. Idem de Jure Divino etiam, ut nullum dubium superesse possit, rationibus, & testimoniis confirmabimus. Et primò quidem Arist. 8. Physicorum, gravia, & levia à generante moveri asserit, non ob aliam causam, quam ob naturalem istam inclinationem, quam habent à generante, necessitatem ad motum. Si ergo Deus necessitatem istam atque inclinationem hominibus dedit, ut in societate, & sub alia potestate regente degere non possent, hoc ipsum Deo Auctori acceptum referre necesse est. Quæ enim apud omnes naturalia sunt, à Deo naturaliter sine dubio sunt: qui enim
 dat

dat speciem, seu formam ut idem Arist. ait, dat ad speciem seu formam consequentia. Quamobrem etiam Paulus admonet: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

7 Constitutione * ergo Divina Respublica hanc potestatem habet: causa verò materialis, in qua hujusmodi potestas residet Jure Naturali, & Divino, est ipsa Respublica, cui de se competit gubernare seipsam, & administrare, & omnes potestates suas in commune bonum dirigere. Quòd sic probatur: Nam cum de Jure Naturali, & Divino sit aliqua potestas gubernandi Rempublicam, & sublato communi jure positivo, & humano, non sit major ratio, ut potestas illa sit in uno, quàm in altero, necesse est, ut ipsa communitas sit sibi sufficiens, & habeat potestatem gubernandi se. Si enim prius quàm in Civitatem homines convenirent, nemo erat aliis superior, non est aliqua ratio, cur in ipso coetu, seu Conventu Civili, quisque sibi super alios potestatem vendicaret: maxime cum quilibet homo jure naturali habeat potestatem, & jus defendendi se. Si quidem nihil magis naturale quàm vim vi repellere. Et certè non est aliqua ratio, cur hanc potestatem Respublica non objiciat circa suos cives tanquam in membra ad integritatem totius, & conservationem publici boni. Item hominem occidere, est Jure Divino prohibitum, ut patet in præceptis Decalogi: ergo autoritas occidendi oportet quod sit à Jure Divino, sed Respublica, ut ex usu, & consuetudine constat, habet autoritatem occidendi hominem: ergo habet à Jure Divino. Nec satis est dicere, quòd Jus Divinum non prohibet absolute occidere hominem, sed occidere innocentem: quia conclusio est, quòd homini privato non licet occidere hominem, quamvis criminofum: ergo aliquam autoritatem habet Respublica occidendi hominem, quam non habet privatus homo: & illa non potest esse jure positivo: ergo Jure Divino.

Et

Et quia hæc potestas principaliter est in regibus, quibus Respublica commisit vices suas, de regio Principatu & potestate disputandum est. De qua non desunt aliqui, etiam de numero Christianorum, qui non solum negant regiam potestatem esse à Deo, sed etiam omnes Reges, Duces, Principes, dicunt esse tyrannos, & hujus libertatis esse prædones, adeò infensi sunt omnibus dominationibus, & potestatibus, una dumtaxat Respublica excepta: quod etiam probare conantur auctoritatibus, & rationibus. Et primò quidem, quia homo conditus est in libertate. Non enim in illo foelici statu innocentiae quisquam dominus fuisset, nec quisquam servivisset. Secundò quia hominibus à principio dictum est: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cæli.* Et rursus: *Fecit Deus hominem, ut præesset piscibus maris, &c.* nec dixit, hominibus. Tertio, quia in lege naturæ inter cultores veri Dei nunquam legimus aliquem Principem fuisse. Quarto, quia Principatus ortum habuit à tyrannide: *Primum enim Nemrod, qui fuit ex posteritate reprobata à Noe, accepit tyrannidem, qui fuit filius Cham.*

(1) Nec Sancti Doctores hoc sub silentio præterierunt. Greg. enim contra naturam & magnum dicit esse, velle dominari unum hominem, cum naturali jure omnes homines sint æquales. Et Isidorus: *Communis (inquit) omnium possessio, & una libertas juris naturalis est, propria uti libertate.* Quòd si ante legem Evangelicam regius Potentatus prohibitus non esset, saltem Christianos dicunt libertate donatos à Christo. Patet ex illo loco, ubi dicit Dominus: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis?* Respondit Petrus: *Ab alienis.* Ex quo, inquiunt, certum est, Christianos tributum non debere nisi ratione scandali. Et confirmatur per illud Apostoli: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Item: *Nolite fieri servi hominum: empti enim estis pretio magno.* Et rursus ad Ephes. *Unus Dominus, inquit, una fides, unum baptismus.* Non ergo licet nos Christianos Principes superinducere. Unde homines factiosi, corrupti superbia, & ambitione, nihil mirum, si adversus Principes seditiones movent.

Ideò

(1)
Genes. 10.

3 Ideò * nos cum omnibus sapientibus melius dicimus : Monarchiam, sive regiam potestatem non solum justam esse, & legitimam, sed dico Reges etiam à jure divino & naturali habere potestatem, & non ab ipsa Republica, aut prorsus ab hominibus. Et probatur: Quia cum Respublica potestatem habeat in Reipublicæ partes, hæc autem potestas per ipsam multitudinem exerceri non potest (non enim commodè posset leges condere, atque edicta proponere, lites dirimere, & transgressores punire) nec esse ergo fuit, ut potestatis administratio alicui, aut aliquibus commendaretur, qui hujusmodi curam gererent: & nihil refert, uni an pluribus commendetur: ergo potuit commendari potestas, quæ eadem est, quæ Reipublicæ. Et auctoritatibus probatur. Constat enim regnum non esse contrarium juri naturali, ut isti putant. Jus enim naturale est immutabile, ut Arist. probat 5. Ethicor. & etiam habetur in decretis. Nam si regnum esset contra jus naturale, nullo seculo, aut ætate justum esse potuit. Cujus contrarium esse constat ex veteri Testamento, ubi laudatur Melchisedec Rex Salem, & Joseph Procurator Regni Pharaonis, & exactor tributorum, & Jacob vir justus regionem incolendam à Pharaone accepit, & Daniel cum sociis suis constitutus est à Nabuchodonosor Præfectus Provinciæ: quod utique viri sancti non admisissent, si Regnum pro tyrannide reputassent. Et Deuter. 10. ponuntur leges, & conditiones Regibus, quibus regnaturi erant apud filios Israël, nec prohibentur Regem sibi constituere, sed tantum ne sit alienigena, qui constituendus esset, & ibi præcipitur, ut stet Sacerdotis præcepto, & decreto sub capitis etiam poena: nihil autem interst an sit Sacerdos, an Rex, dummodo eandem habeat potestatem. Et Levitæ constituuntur iudices, qui potestatem haberent vitæ & mortis. Et in libris Regum quidam Reges ab ipso Deo constituti leguntur, alii ejus præcepto præpositi: quod utique nunquam Dominus fecisset, si contra jus naturale fuisset. Et Machabæi, viri fortissimi & sanctissimi ab omnibus reputantur, qui tamen suorum patrum Principatum,
aut

aut delatum susceperunt, aut justis de causis illud sibi vindicaverunt.

Est verò prorsus absurdum existimare aliquid esse contrarium juri naturali, aut divino, quod rerum humanarum administratione expedisset. Non itaque, ut sapienter ait Job: *Deus tanquam timidus abjicit potestatem, cum ipse sit potens.* Nec libertas Evangelica (ut seditiosi homines imperitæ plebis auribus suggerunt) regis potestati impedimento est. Ut enim alio loco ostenditur, nihil quod lege naturali licitum sit, Evangelio prohibetur: atque in hoc maximè libertas evangelica consistit. Quare si ante Evangelium civitatibus Reges sibi constituere licebat, non est æstimandum post Evangelium non licere. Et certè si Reges, legitimi Principes non essent, nunquam Apostoli Christi nobis ut illis parcamus, commendassent. Non enim Paulus (1) aliud agere videtur: *Omni inquit anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et iterum: *Non est potestas nisi à Deo.* Et *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et multa alia in hanc sententiam. Item ad Tit. 3. (2) *Admone, inquit, illos Principibus & potestatibus subditos esse.* Et 1. Timoth. 2. *Obsecro autem primùm omnium fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquilam vitam agamus.* Et 1. Petr. 2. cap. *Subjècti estote omni creaturæ propter Deum, sive regi, &c.* Videtur ergo quòd regia potestas sit non à Republica, sed ab ipso Deo, ut Catholici Doctores sentiunt. Quamvis enim à Republica constituatur (creat nanque Respublica regem) non potestatem, sed propriam authoritatem in regem transfert, nec sunt duæ potestates, una regia, altera communitatis. Atque ideo sicut potestatem Reipublicæ à Deo, & à jure naturali constitutam esse dicimus, idem prorsus de regia potestate dicamus necesse est (quod satis consonum scripturæ videtur) consuetudinique, quæ principes Dei, non Reipublicæ ministros appellat. Salomon enim ait: *Per me Reges regnant.* Et Dominus Pilato respondit: *Non haberes potestatem adversum me ullam nisi tradita tibi esset desuper, id est*

(1)
Roman. 13.

(2)
Ad Tit. 3.

est de Cœlo. Errare ergo videntur authores concedentes Reipublicæ potestatem esse de jure divino, non autem regiam potestatem. Quòd si homines, vel Respublica non haberent potestatem à Deo, sed ex condicção omnes convenirent, & pro bono publico vellent potestatem contra se constituere, illa quidem esset ab hominibus sicut est, quam Religiosi tribuunt Abbati. Non ita verò est. Constituta est enim in Republica omnibus etiam civibus invitis potestas seipsam administrandi, in quo officio civiles reges constituti sunt.

2 Sed dubitari potest, an * ita etiam sit de potestatibus quibus infidelium Respublicæ gubernantur: scilicet, an inter paganos sint legitimi Principes, & alii Magistratus. Et videtur quod non: quia si ex Christiano fieret quis infidelis, omni prorsus publica potestate, ut jura dicunt, privatur propter infidelitatem: ergo cum eadem ratio infidelitatis maneat ei, impedit legitimum principatum, aut potestatem. Et Richardus, vir aliqui præstantissimi ingenii, in libro de Paupertate Christi, non solum infidelitatem, sed quodcumque mortale peccatum putat impedire omnem potestatem, & dominium, jurisdictionemque tam publicam quam privatam, & titulum, & fundamentum cujuscunque potestatis credit esse gratiam: cujus rationes prætereo, quia infirmiores sunt, quàm ut declaratione indigeant. Nec omnino est dubitandum quin apud ethnicos sint legitimi Principes, & domini, cum Apostolus in locis supra dictis, obediendum potestatibus, & principibus, & toto tempore servire præcipiat, qui certè eo tempore omnes erant infideles. Et Joseph, & Daniel, paganorum Principes, procuratores, & ministri erant: nec aut Principes Christiani seculares aut Ecclesiastici hujusmodi potestate, & Principatu privari possent infideles, eo dumtaxat titulo, quia infideles sunt, nisi ab eis alia injuria profecta sit.

10 Et * tres quidem causæ publicæ potestatis secularis rectè explicantur per definitionem, quæ ab au-

thoribus talis ponitur. Potestas publica est facultas, authoritas, sive jus gubernandi rempublicam civilem. Ex dictis facile patet probatio illius.

Quatenus ad publicam potestatem spectat, ostendimus publicas potestates esse à Deo, atque adeo justas, & legitimas: ex quibus sequitur probatio ultimæ partis conclusionis supra positæ, in qua dicebamus, nullam hujusmodi potestatem hominum consensu abrogari posse. Si enim homo cedere non potest juri, & facultati se defendendi, propriisque membris ex commodo suo utendi: ergo nec etiam potestati, cum hoc illi naturali, & divino jure competat. Itidem etiam Respublica nullo modo potest privari hujusmodi potestate tuendi se, & administrandi adversus injuriam, & suorum, & exteriorum, quod sine publicis potestatibus facere non potest: atque ita si cives omnes in hoc convenirent, ut omnes has potestates amitterent, & ut nullis tenerentur legibus, nulli imperarent, pactum esset nullum, & invalidum, utpote contra jus naturale.

Ex superioribus infertur corollarium non contemnendum, his maximè, qui sub uno principatu, & regali degunt. Solent enim civitates, quæ sine rege sunt, & populari administratione reguntur jactare suam libertatem. Et corollarium est: Quod * non est mi-^{II}nor libertas in regali principatu, qui in Aristocratico, & Democratico. Sic enim distinguit Arist. 3. Ethic. principatus in Monarchiam, & Monarchiam in principatum unius Aristocratiam, id est optimatum principatum, & Democratiam, id est popularem seu multitudinis principatum. Dico ergo non esse minorem libertatem in regali principatu, quàm in aliis. Probatur: Quia cum eadem sit potestas, ut supra probatum est, sive in uno, sive in pluribus sit, & tantum uni melius sit subijci quam pluribus (tot enim sunt domini quot sunt superiores) ergo non est minor libertas, ubi omnes uni sunt subditi, quàm pluribus, maximè cum ubi sunt plures dominantes, plures sunt qui potestatem ambiant: & necesse est, ne
se-

seditionibus, & dissensionibus republicæ sæpe laboret propter illorum diversas sententias. Nulla enim fides regni sociis, ait Poeta. Et Dominus per Prophetam. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Optimum ergo regnum est unius, sicut totus orbis ab uno Principe, & domino sapientissimo gubernatur.

12 *Secundum corollarium quod ex superioribus potest inferri, est: Quod * tota Respublica potest puniri licitè pro peccato Regis.* Unde si Rex injustum bellum inferret alicui Principi, potest ille, qui injuriam accepit, prædari, & alia jure belli persequi, & occidere Regis subditos, etiam si omnes sint innocentes: quia postquam Rex à Republica constituitur, si quid ille insolenter committat, imputatur Reipublicæ: tenetur enim Respublica non committere hanc potestatem nisi ei, qui justè exerceat, & utatur potestate, alias periculo se committit.

13 *Tertium corollarium: Nullum * bellum est justum, si constat geri majori malo Reipublicæ, quàm bono, & utilitate, quantumvis aliunde suppetant tituli, & rationes ad bellum justum.* Probat: Quia si Respublica non habet potestatem inferendi bellum, nisi ad tuendum se, resque suas, atque se protegendum: ergo ubi ipso bello attenuatur potius, atque atteritur, quàm augetur, bellum erit injustum, sive à Rege inferatur, sive à Republica. Imò cum una Respublica sit pars totius orbis, & maximè Christiana Provincia pars totius Reipublicæ, si bellum utile sit uni Provinciæ, aut Reipublicæ cum damno orbis, aut Christianitatis, puto eo ipso bellum esse injustum, ut si bellum Hispaniarum esset adversus Gallos aliàs ex causis justis susceptum, & alioqui Regno Hispaniarum utile: tamen cum majori malo, & jactura geritur Christianitatis, puta quia Turcæ occupant interim Provincias Christianorum, cessandum estet à tali bello. Et hæc ad explicationem primæ conclusionis.

14 *Secunda conclusio: Sicut * major pars Reipublicæ Regem supra totam Rempublicam constituere potest, aliis invitis: ita pars major Christianorum reliquis*

etiam renitentibus, Monarcham unum creare jurē potest, cui omnes Principes, & Provinciæ parere teneantur. Prima pars hujus conclusionis satis ex superioribus patet. Si enim Respublica suam potestatem uni alicui mandare potest, & hoc propter utilitatem Reipublicæ, certum est non obstare dissensus unius aut paucorum, quominus cæteri providere possint bono Reipublicæ: aliàs non esset sufficienter consultum Reipublicæ, si consensus omnium exigetur, cùm ille in multitudine, aut vix, aut nunquam contingat. Satis ergo est ut major pars conveniat in unum, ut jure aliquid fiat. Item probatur efficaciter: Quia duabus partibus dissentientibus, oportet, ut prævaleat sententia alicujus partis necessariò. Postquam enim contradictoria volunt, & non debet prevalere sententia minoris partis: ergo sequenda est sententia majoris partis. Nam si ad creandum Regem requiritur consensus omnium, quare etiam non requiritur ad non creandum? Quare enim magis requiritur consensus omnium ad affirmativam, quàm ad negativam?

Secunda pars est, quòd hujusmodi Rex est super totam Rempublicam: volo dicere, quòd in regio Principatu Rex est non solum supra singulos, sed etiam supra totam Rempublicam, id est etiam supra omnes simul. De qua Republica quamquam sunt inter Philosophos variæ sententiæ, multaque disputentur, tamen ego probo illam partem conclusionis nostræ. Quia si Respublica esset supra Regem, ergo esset Principatus Democraticus, id est popularis, & sic non est Monarchia & Principatus unius: & hæc videtur esse sententia Aristot. 3. Polit. Item Respublica potest dare potestatem alicui, non solum supra singulos, sed etiam supra omnes simul, & ille haberet potestatem regiam, & non alia esset, quàm adhuc Principatus unius, non Democraticus, aut Aristocraticus: ergo Rex est supra omnes. Item non appellatur à Rege ad Rempublicam: ergo non est major Respublica, nec superior.

Tertia pars conclusionis est, quòd major pars Christiana-

tianorum posset Monarcham constituere. Probatur. Nam tota Ecclesia est quodammodo una Respublica, & unum corpus. Juxta illud Apostoli: *Ommes unus corpus sumus*. Ergo habet potestatem se conservandi, & tuendi, rationemque optimam constituendi, qua se melius ab hostibus defendere possit. Item cum finis temporalis, ut alio loco uberius tractavimus, sit sub spirituali, & ad illum dirigatur: si habere unum Monarcham, esset expediens ad defensionem, & propagationem Religionis Fidei Christianæ, non video cur non possint illi, ad quos spirituale spectat, cogere Christianos, ut unum Monarcham crearent, sicut in Fidei favorem Ecclesiastici Principes Hæreticos privant Principatu aliàs legitimo. Item, quia aliquando genus humanum habuit istam potestatem, scilicet eligendi Monarcham, ut patet à principio antequam fieret divisio: ergo, & nunc potest: cum enim illa potestas esset juris naturalis, non cessat. Ex hac conclusione infertur corollarium. Quod in liberis Civitatibus, ut sunt Venetiæ, Florentiæ, posset major pars eligere sibi Regem aliis contradicentibus. Et hoc verum videtur, non solum quia hoc manifestè expedit Reipublicæ: sed dato quod magis expediret Politia Aristocratica, aut Democratica. Nam postquam Respublica habet jus se administrandi, & id quod facit major pars, facit tota: ergo potest accipere politiam, quam voluerit, etiam si non sit optima, sicut Roma habuit Aristocraticam, quæ non est optima.

15 Tertia conclusio. Principum* Leges, & Constitutiones ita obligant, ut transgressores in foro conscientiæ culpæ rei sint: quam etiam vim parentum in filios, & maritorum in uxores habent præcepta. In hoc argumento, & pro materia hujus conclusionis multa afferri possent, nec dictu indigna nec inutilia, si tempus concederet. Sed ratione hujus oportunitatis totam rem quam paucis potero, expediam. Et primùm omnium, sunt qui putant leges nullam vim habere, ut earum transgressores culpa in foro conscientiæ teneantur, sed hanc solum obligationem indu-

ducere, ut Principes, & Magistratus legum violatores justè punire possint, negantque subditos ad aliquid aliud coram Deo teneri: sicut plerique Religiosi de suis Constitutionibus dicunt, quod obligant quidem ad pœnam, non ad culpam, nec sine ratione intant, sed probant rationibus, & argumentis non invalidis.

Primò. Quia aliàs sequeretur, secularem potestatem esse spiritualem, si obligat in foro conscientiae. Secundò. Quia finis Reipublicae, & potestatis Secularis est solum aliquid temporale, puta pacificus status, civiunque convictus: sed hoc nihil ad conscientiam: ergo. Tertio. Quia esset omnino potestas Secularis altera parte manca, nam obligaret, & non posset obsolvere. Quarto. Quia tunc puniretur quis vis pro peccato: nam in hoc mundo punirent Principes, in alio autem Deus. Quintò. Non potest imponere pœnam spiritualem: ergo nec obligare ad culpam, cum non videatur major ratio de uno, quam de alio. Sextò. Nam vel est in potestate Principis non obligare ad culpam, aut non. Si primum, contra. Quia Prælati spirituales possunt non obligare, ut patet in Religionibus. Si secundum, quomodo ergo constabit quando velint obligare, cum ipsi non explicant?

Sed his rationibus non obstantibus, quæ graves Doctores moverunt, non videtur mihi dubitandum quin Leges Civiles obligent in foro conscientiae, cum hoc apertè videatur Paulus testificari ad Romanos. 13. Potestate subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam. Et Petrus dicit: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti: quod etiam videtur nullo modo posse intelligi, si leges obligarent solum in foro contentioso, & non in foro conscientiae. Sed quoniam posset aliquis respondere, quod non sit idem obligare in foro conscientiae, & ad culpam, maximè cum Religiosi confiteantur se teneri suis legibus in foro conscientiae, quæ tamen ad culpam non inducunt. Ideò dico etiam, quod Leges Civiles obligant sub pœna peccati, & culpæ æquè ac leges Ecclesiasticæ. Hoc

pro-

probatur apertè ex dicto Pauli: (1) *Qui autem resistunt* inquit, *ipsi sibi damnationem acquirunt*, non autem incurritur damnatio, nisi propter culpam: ergo legum transgressores incurrunt coram Deo veram culpam.

(1)
Ad Rom. 13.

Ad majorem autem declarationem, & confirmationem istorum, est advertendum, quod * Lex Humana, & Divina in aliquo differunt, & in aliquo conveniunt. Differunt, quidem: nam Lex Divina sicut à solo Deo fertur, ita à nullo alio, aut tolli, aut abrogari potest. Lex autem humana sicut per hominem constituitur, ita ab homine tolli, aut annullari potest. Differunt etiam quia in Lege Divina ad hoc quod justa sit, & per hoc obligatoria, sufficit voluntas Legislatoris, cum sit pro ratione voluntas. Ut autem Lex Humana sit justa, & possit obligare, non sufficit voluntas Legislatoris: sed oportet quod sit utilis Reipublicæ, & moderata cum cæteris. Item etiam differunt, quia Divina firmitus, & intensius obligat. In multis enim casibus obligat Lex Divina, ubi non obligat Humana. Nec ego aliam differentiam satis videre possem. Conveniunt autem in hoc, quod Lex Divina constituit aliquid in esse & genere virtutis aut vitii, ita, quod eo ipso, quod aliquid Lege Divina præcipitur est bonum, & officiosum, quod aliàs non esset: & eo quod prohibetur, habet quod sit malum, & vitiosum: quod aliàs non esset, ut exemplo de Baptismo patet, & de Confessione, & de aliis Sacramentis, in quibus non est alia bonitas, quam quod sunt à Christo præcepta. Et usus carnum, & aliæ quidem legalia in veteri Lege non habebant aliquid aliud vitii, nisi quod erant prohibita in Lege. Unde constat, quod nullum sit vitium, nisi quia prohibitum in Lege, nec virtus nisi quia præceptum, vel laudatum in Lege. Tota enim bonitas voluntatis humanæ, ut Doctores firmiter probant, est ex conformitate ad voluntatem, & Legem Divinam; & omnis malitia ex deformitate ad Legem Divinam provenire, quæ est regula omnium actuum hu-

humanorum. Ita etiam Lex Humana habet vim constituendi aliquid in esse virtutis, & ejus contrarium in esse vitii. Sic ut enim quia ebrietas est prohibita in Lege Divina, est intemperantia: ita jejunium est opus virtutis, quia eadem lege commendatur, & abſtinentia à cibis quibusdam est virtus, quia præceptum est humana lege. Et ne exemplum afferamus solum de Ecclesiasticis Legibus, emere pecunia Magistratum est ambitiosum quia prohibitum Lege Humana, Item sericum induere, est luxuriosum solum, quia prohibitum, supra terminum legis erogare in convivio, erit in temperantia, quod ante legem potuit esse temperantia, & magnificentia. Nec quicquam interest quantum ad hoc inter Legem Humanam, & Divinam, sicut enim meritum est in opere virtutis, ita culpa in opere vitii.

Ideo * sicut Lex Divina habet vim obligandi ad 17. culpam, ita, & Lex Humana. Quod ne voluntate dictum videatur, probatur sic. Lex Humana est à Deo: ergo eodem modo obligat sicut Divina. Assumptum probatur. Nam non solum opus Dei dicitur, quod se solo producit, sed etiam quod mediantibus causis secundis efficit: ergo non solum dicitur Lex Divina, quam ipse solus sancivit, sed etiam quam Dei potestate homines tulerunt: sicut Leges Pontificum dicuntur, non solum quas Papa per se tulit, sed etiam quas Papæ autoritate alii inferiores tulerunt. Ita enim vocantur Papæ Constitutiones Universitatum, & Collegiorum quas constat Papam non fecisse per se, sed alii ejus autoritate condiderunt. Vel ut clarius probetur arguitur sic, supposito quod Papa habet auctoritatem condendi leges obligatorias in foro conscientiae. Si Papa committeret alicui, ut daret Leges alicui Communitati, præcipiens eis, ut obedirent, non ne præcepta Legati haberent vim obligandi in foro conscientiae? Ergo cum Deus dicat: *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt*, quare decreta illorum non obligabunt similiter in foro conscientiae? Et ut apertius constet, videtur omnino absurdum, concedere quod si Papa præcipiat, quod in hac Ci-

vitare omnes obediant Cardinali Legato, præcepta Legati obligarent ad culpam, ut omnes fatentur, & cum Christus præcipiat parere principibus, negare quod Principum leges obligent ad culpam. Et tandem qui concedunt Leges Pontificum obligare ad culpam, negare nullo modo possunt, quin etiam Leges Civiles obligent. Ita enim Dominus constituit Principes Seculares ad gubernandam Rempublicam Secularem, sicut Pontifices ad Spiritualem. Nec illud dictum Domini: *Qui vos spernit, me spernit*, solum ad Ecclesiasticos, sed etiam ad Civiles Magistratus spectat: nec minus diligenter in scriptura commendatur obedientia Principum Secularium, quam Ecclesiasticorum. Nihil ergo interest quantum ab obligationem, quod humanæ sint Leges, aut Divinæ, sicut æquè verum Sacramentum esset ab Apostolis, aut ab Ecclesia conditum, si eam potestatem habuissent, ac si à Christo constitutum esset: nec minus obligabat lex vetus, quæ tamen per Angelos fuit data, non à Deo per se, quàm obligat Evangelica ab ipso Christo per se ipsum data: & hoc pro certo tenendum.

88 Dubitari autem potest * ad quam culpam obligent, ad mortalem, an ad venialem solum. Et quod obligent ad mortalem, aliquando satis constare potest ex verbo Pauli jam allegato: *Qui autem resistunt sibi damnationem acquirunt.* Item Dathan, & Abirom devorati sunt, quia restiterunt Moyse, & Aaron: non autem punirentur pœna mortis pro culpa veniali.

*Dub. arg.
pro part. affirmat.*

In contrarium autem, quod nunquam obligent ad mortale, videtur. Nam si concurreret præceptum Divinum solum ad veniale obligans, cum quacumque lege humana, potius oportebit transgredi legem humanam, quam mentiri: si autem lex humana aliqua obligaret ad mortale, potius esset parendum illi, quam præcepto de veniali, cum mortale potius sit fugiendum.

Arg. cont.

Respondetur ad hoc dubium, grave ex paulò antè dictis. Dicitur enim quod quoad vim obligandi, idem est judicium de legibus humanis, & Divinis: ad considerandum autem quomodo, aut quantum obligant

Resp. ad hoc dub.

humanæ leges, oportet eas considerare, ac si essent Divinæ. Humana enim lex, quæ si esset Divina, obligaret ad veniale, obligat etiam ad veniale, & quæ si esset Divina, obligaret ad mortale, obligat etiam ad mortale. Dicitur est namque quod quantum ad hoc nihil refert. Nam eodem modo obligant, ac si essent latæ à Deo, licet non ita firmiter. Sicut ergo inter leges Divinas aliquæ obligant ad mortale, & aliquæ ad veniale: ita etiam humanæ aliquæ ad veniale, aliquæ autem ad mortale obligant.

Sed * qualiter dignosci poterit, quando obligent 19 leges humanæ ad veniale, & quando ad mortale, cum Lex ipsa Civilis hoc non significet, imo nec Legislator de hoc cogitabit, quando condidit legem. Respondetur, quod nec in lege quidem Divina, & maxime naturali, semper significatur, quod præceptum sit de mortali, & quod de veniali, & inter ipsa mortalia non significatur gravitas alterius ad alterum, id est quod illorum sit gravius. Sicut enim dicitur. Non occides, ita dicitur: Non furtum facies: Et, Non mentieris: Et, De omni verbo otioso reddenda est ratio: eadem ergo est regula, & ratio distinguendi gravitatem alicujus peccati. Totum siquidem relinquitur cogitandum ex parte materiæ. Sicut in lege naturali, & divina illud æstimatur mortale, quod est contra honorem Dei, vel charitatem proximi, ut est blasphemia, homicidium id autem veniale, quod est difforme rationi, & legi, non autem est contra honorem Dei, aut proximi charitatem, ut verbum otiosum, & alia id genus. Sic etiam erit in legibus humanis, si enim aliquid statuitur, quod multum expediat ad pacem civium ad incrementum boni publici, ad honestatem morum: transgressio illius videtur mortale peccatum. Si autem quod instituitur, non sit adeo necessarium, sed velut quoddam leve, erit veniale. Exempla non ita sunt in promptu, sicut in Legibus Divinis: sed potest accipi de tributo, quod videtur omnino necessarium ad defensionem Reipublicæ, & ad alia publica munia, & opera: & ideo si quis non solveret, esse mortale, quare si nul-

nulla lex data esset à Deo, sed totam curam legum ferendarum mandasset hominibus, & esset Lex Civilis: *Non occidis, & non mentieris*: prima obligaret ad mortale, secunda ad veniale. Sicut nunc cum sunt Divinæ Leges. Ita si quis contra Legem Civilem veniretur, aut indueretur bysso, non videtur mortale. Alia exempla commodiora poni possent: nec enim pendet hoc ex voluntate Legislatoris, sed ex natura, & qualitate rei, & materiæ.

Ex quo patet quantus est error juniorum quorundam Theologorum, dicentium gravitatem peccatorum sumendam esse, & considerandam ex quantitate obligationis, cum contra omnino faciendum sit. Nam quantitas obligationis sumenda est ex quantitate materiæ, nec naturaliter scimus majorem esse obligationem de non occidendo, quam de non furando, nisi ex ipsa materia, & non econtrario. Nec oportet respicere, an illud, quod præcipitur, aut prohibetur sit nunc, aut semel in magnum commodum, aut malum Reipublicæ, sed quale sit, si communiter, aut ab omnibus, aut multis fiat. Si enim prohibetur nequis pecunias extra Regnum portet, quicumque exportant, peccant mortaliter, quanvis una exportatio parum noceat Reipublicæ. Sed quia si communiter fieret, exhauriretur Regnum sat est, ut lex communis obliget ad mortale, sicut una fornicatio parum nocet, sed si passim fieret, multum noceret. Unde qualibet est mortalis. Sed contra dicta arguitur vehementer, quia si ex parte materiæ est attendenda gravitas peccari: ergo lex non facit culpam. Si enim illa transgressio est in damnum Reipublicæ, post legem, ergo ante legem: ergo prius erat peccatum, & tam grave, sicut post legem.

Respondetur primò, quod lex non solum obligat prohibendo, sed præcipiendo, & sic aliquid, quod ante legem erat bonum Reipublicæ, non tamen necessarium, lex potest præcipere, & sic post legem transgressio illius erit peccatum, quod prius non erat peccatum.

Secundò dico, quod, ut patet in exemplis propositis,

is, potest esse aliquid, quod sit ante legem malum in aliquo: & in aliquo non: post legem autem illuderit in omnibus malum: quia fuit ratio sufficiens prohibendi omnibus, verbi gratia, ne portarent sericum, vel auream vestem, quod erat quidem prius malum in paupere nobili: post legem autem in omnibus, quia fuit sufficiens ratio prohibendi omnibus, licet nullum esset antea de se inconveniens, quod aliquis de magnatibus haberet vestem auream, aut sericam.

Sed adhuc superest dubium: * Si Rex vellet non obligare ad culpam, an posset?

Respondetur, quod non est dubium, quod possit, sicut potest Ecclesiasticus Legislator, qui quodcumque facit aliqua statuta, sine quacumque obligatione, ut Prælatus Religiosorum inter fratres suos. Esset enim contra rationem dicere, quod constitutiones Prælati Ecclesiastici non semper obligent ad culpam, & secularium non possint non obligare. Aliquando enim Legislator, sive Ecclesiasticus, sive secularis non vult in suis legibus exigere obedientiam debitam à subditis, sed simpliciter ordinat quid faciendum sit, dicens, & dirigens potius, quam præcipiens: qualiter multa videntur esse in legibus & pragmaticis civilibus, & Ecclesiasticis, sicut non semper cum petit pecuniam creditor, exigit tanquam volens obligare.

Quest.

Quæritur tandem: * An leges civiles obligent Legislatores, & maximè Reges. Videtur enim aliquibus quon non, cum sint supra totam Rempublicam, & nullus possit obligari, nisi à superiore: sed certius, & probabilius est, quod obligentur. Quod probatur primo: Quia huiusmodi Legislator facit injuriam Reipublicæ, & reliquis civibus, si cum ipse sit pars Reipublicæ, non habeat partem oneris, juxta personam tamen suam & qualitatem, & dignitatem. Sed ista obligatio est indirecta, ideo aliter probatur. Nam eandem vim habent lætæ leges à Rege, ac si ferrentur à tota Republica, ut supra declaratum est. Sed leges lætæ à Republica obligant omnes: ergo etiam si ferantur à

à Rege, obligant ipsum Regem. Et confirmatur: Quia in Aristocratico Principatu senatusconsulta obligant ipsos Senatores auctores illorum, & in populari regimine plebiscita obligant ipsum populum: ergo similiter leges regie obligant ipsum Regem: & licet sit voluntarium Regi condere legem, tamen non est in voluntate sua non obligari, aut obligari. Sicut in pactis. Liberè enim quisquis paciscitur, pactis tamen tenetur.

Ex omnibus dictis infertur corollarium, quod jus gentium non solum habet vim ex pacto & condicito inter homines, sed etiam habet vim legis, habet enim totus orbis, qui aliquo modo est una respublica, potestate ferendi leges, æquas, & convenientes omnibus, quales sunt in jure gentium. Ex quo patet, quod mortaliter pecant violantes jura gentium, sive in pace, sive in bello, in rebus tamen gravioribus, ut est de incolumitate legatorum, neque licet uni regno nolle teneri jure gentium, est non latum totius orbis auctoritate.

22. Circa tertiam conclusionem dubitatur: Utrum * cessante ratione legis, cesset obligatio, ut (exempli gratia) prohibetur lege, nequis noctu telum portet, & ratio ejus est propter nocturna pericula, ego autem scio nullum esse propter me periculum, an sim in culpa arma ferendo.

Dubium.

Respondetur: Dupliciter potest ratio legis cessare uno modo: quia in universali cessat ratio, propter quam lex lata est: ut si tempore belli prohibeantur arma ad Gallos deferri, tempore pacis lex non obligat: nam eadem ratione requiritur ut lex obliget, ut & duret, & ad hoc quod feratur, si deficit, ergo ratio ad ferendum: ergo etiam ad conservandum illam. Et confirmatur: Quia per easdem causas res corrumpitur, per quas generatur. Item si lex non est utilis Reipublicæ, jam non est lex. Secundo potest cessare ratio in particulari quo ad aliquem. Non tamen quo ad omnes absolutè, vel quoad plures, ut in casu posito, & tunc nihilominus etiam talis obligatur lege. Quia enim sequuntur sæpe pericula ex armis nocturnis, est sufficiens

ciens ratio, ut omnibus prohibeatur, alias lex nullius esset efficaciam, cum unusquisque putaret legem non pro se esse positam, sed propter alios: & ita in aliis præceptis non ratio particularis, sed universalis est attendenda.

Dubium.

Dubitatur * de tyrannorum legibus, an obligent, 23
& videtur quod non habeant potestatem aliquam.

In contrarium est: Quia cum Respublica opprimatur à tyranno, & non sit sui juris, nec possit ipse ferre leges, nec jam ante datas exequi, si non pareret tyranno, jam Respublica interiret.

Certè videtur, quod leges, quæ sunt convenientes Reipublicæ obligent, etiam si ferantur à tyranno, non quidem quia à tyranno, latæ, sed ex consensu Reipublicæ, cum sanctius sit ut serventur leges à tyranno latæ, quam quòd nullæ serventur. Et profectò esset in apertam perniciem Reipublicæ, si Principes, qui non habent justum titulum, occuparent regnum, quòd nulla essent judicia, nec aliquo modo possent malefactores puniri, aut coerceri, cum non sit tyrannus Judex legitimus, si leges ejus non obligant.

Ultima pars conclusionis est: Quod * præcepta pa- 24
rentum eodem modo obligant, sicut leges civiles, & præcepta maritorum in uxores. Probat, de filiis. Nam sicut præcipitur obedire præpositis ita commendatur obedire parentibus: ut patet ex illo: *Filii obedite parentibus.* Ephes. 6. & Colos. 3. (1) Ergo si est culpa non parere præpositis, etiam erit peccatum non obedire parentibus. Et ad Roman. 1. inter crimina & peccata, in quæ Deus dicit permisisse gentes incidere, annumeratur, & hoc: *Parentibus non obedientes.* Item, quia leges præcipiunt obedientiam parentum: ergo si leges obligant ad culpam etiam erit culpa, non obedire parentibus. Et certè hoc videtur inclusum in illo præcepto de honoratione parentum, & sic ut supra dictum est, quod leges aliquando quidem obligant ad mortale, aliquando verò ad veniale, ita videtur dicendum de præceptis parentum. Unde certè si pater aliquid præciperet, quod multum refert ad administrationem familiæ, trans-

(1)
Ad Ephes. 6.

transgressio illius videtur mortalis, imo etiam in iis, quæ spectant ad dispositionem ipsius filii. Sed sicut dictum est, quod non omnis lex obligat ad culpam, puta illa, in qua Rex plus dirigit, quàm præcipit, multo magis hoc habet vim de parentibus, qui non semper volunt exigere debitum obedientiæ, sed solum præcipientes aliquid, volunt significare voluntatem suam.

Advertendum tamen est, cum familia sit pars reipublicæ, quod leges possunt determinare, in quibus filii teneantur obedire parentibus, & in quibus non oporteat, sicut determinaverunt usque ad quam ætatem, & sic in aliis non erit culpa non obedire parentibus: sic etiam ad leges spectat determinare qua poena possit castigare pater filium inobedientem & coercere ne ultra liceat patri progredi. De præceptis autem virorum circa uxores hrobari potest. Nam aliàs non poterit constare familia, nisi sit unum caput, cui cæteri parere teneantur: hoc autem est vir, qui est caput domus & uxoris, ad Ephes. 5. Et ibidem: *Mulieres suis viris subdita sint sicut Domino.* Et postea dicit: *Uxor autem timeat virum suum.* Item quia leges hoc jubent, ergo tenentur obedire, & etiam ad leges spectat quomodo, & quousque uxor teneatur obedire viro, & an possit vir uxorem verberibus castigare, sicut de filiis diximus determinate.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA.

DE POTESTATE PAPÆ,
& Concilii Relectio cum quæstione: Utrum
Concilium Generale possit facere decreta,
& leges condere, quas nec Summus Pon-
tifex possit immutare, vel per dispensa-
tionem, vel prorsus per abro-
gationem.

Locus relegendus est apud Joann. Pasce
oves meas. Joan. cap. ult.

S U M M A.

1. Papa in quo genere decretorum aut canonum nihil pos-
sit immutare dispensando, & multo minus abrogan-
do.
2. Concilium si declarat aliquid esse de fide, aut de ju-
re divino: Papa in hoc nihil potest declarare, aut
immutare maxime si tale jus spectet ad fidem, vel ad
mores Ecclesie universalis.
3. Papa posset dispensare in legibus, & statutis Concilii
generalis.
4. Summus Pontifex potest non solum dispensare institu-
tis Conciliorum, sed in totum aliquando abrogare ta-
lem legem, vel statutum.
5. Papa non obstante decreto irritante Concilii, posset
dispensare in statutis ejus.

6. Papa dispensando in legibus, & decretis, tam Conciliorum, quam aliorum Pontificum, posset errare, & graviter peccare.
7. Papæ non licet dispensare in legibus, & decretis Conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiam ubi nihil continent juris divini.
8. Papa multo minus potest abrogare sine causa rationabili decreta Concilii, quam in eis dispensare.
9. Lex aliqua etiam positiva, posset esse in Ecclesia, & forte aliquæ tales sunt, in quibus expediret, ut nunquam dispensaretur.
10. Concilium quando, & in quo casu posset declarare, & determinare, & etiam statuere, ut in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur.
11. Concilium videtur non posse errare in determinatione, quod in aliqua lege Ecclesiastica nunquam dispensetur.
12. Concilii facta determinatione, quod nunquam in aliqua lege Ecclesiastica dispensetur, an liceret unquam Papæ dispensare in tali lege, & utrum dispensando ex quacunque causa, peccaret mortaliter.
13. Decretum si fieret à Concilio, quod in aliquibus legibus ecclesiasticis nunquam dispensaretur, non deberet apponi in multis legibus, sed solum in paucis, hisque gravissimis, & valde necessariis.
14. Decreto facto, per Concilium, quod in aliqua lege Ecclesiastica nunquam dispensetur. Si illo non obstante Papæ dispensaret, utrum teneret factum licet male faceret.
15. Sicut Papæ peccaret dispensans contra decretum Concilii, ita etiam peccaret, qui petit dispensationem, & utens illa.
16. Pontificis dispensationes, sunt in duplici differentia, & quæ sint.
17. Papæ quid possit, aut quid non possit, non spectat ad subditos determinare, aut examinare.
18. Papæ mandatum, non semper obligat subditos ad parendum.

19. Papa si dispensaret, in quo casu subditi non tenerentur parere dispensationi.
20. Papa non deberet agreferre, sed potius gaudere, quod fieret aliquod decretum à Concilio, quo caveretur, ut in aliqua lege Ecclesiastica nunquam dispensaretur.
21. Papæ mandatis, an liceat resistere per appellationem ad futurum Concilium.
22. Pontificis mandatis resistere, & non parere, non videtur permittendum cuicumque privato sua auctoritate, etiam si hujusmodi mandata essent contra determinationem Concilii.
23. Papa si facta declaratione, & decreto à Concilio, contrarium mandaret, quid agendum.
24. Concilium, quando, & in quo casu posset convocari, & congregari contra voluntatem Papæ.
25. Concilium quæ maximè debeat cavere, si quando decretum aliquod esset faciendum, ut Papæ auctoritas illibata conservetur.

Argumenta
pro parte af-
firmativa.

PRO parte affirmativa quæstionis arguitur: Quia Concilium est supra Papam, ergo Papa non potest immutare decreta illius. Consequentia patet, quia par in parem non habet imperium, cap. *Innotuit*, de Election. Ergo multo minus inferior in superiorem. Antecedens est communis sententia Parisiensium, & multorum Doctorum. Et confirmatur consequentia: Quia aliàs eadem ratione posset defendi, quòd Episcopus posset dispensare in legibus Papæ, imò & in legibus Conciliorum. Si enim Papa cum sit inferior, nihilominus potest dispensare, aut abrogare legem Concilii: ergo non obstabit etiam, quòd Episcopus licet sit inferior, possit etiam dispensare. Et confirmatur iterum, saltem recepta illa opinione de superioritate Concilii, videtur omnino sequenda pars affirmativa: sed illa opinio est probabilis, ergo etiam hæc. Confirmatur: Quia dato quod sint pares potestates, par in parem non habet imperium, ut in dicto cap. *Innotuit*. Ergo non potest tollere quod Con-

Concilium sancivit. Unde videtur, quòd Concilium in hac causa posset dicere Pontifici, quòd Hebræi responderunt Moyfi: *Quis te constituit Principem, & Judicem super nos?* (1) Et summus Pontifex debet meminisse illius responsi Domini nostri: *Quis me constituit Judicem super vos?* (2)

In contrarium est: Quia dispensatio & abrogatio legis tempore & loco opportuno est pascere gregem. Omnis enim actus jurisdictionis est actus Pastoris. Sed summus Pontifex est universalis Pastor, juxta verba proposita Joan. 21. (3) *Pasce oves meas.* Et in Concilio Calcedonensi acclamatum est Pontifici Leoni: *Apostolico œcumenico in universali.* Et Matth. 18. (4) *Quodcumque solveritis super terram, &c.* Sed dispensare est solvere obligationem: ergo.

Notandum primò quòd (ut ponit Herveus d. 47.) prim. sent. differentia est inter abrogare, & dispensare, & interpretari, pro quo vide Sylvestrum, in verbo *Papæ*, §. 16.

Notandum secundò quòd omnes Doctores distinguunt, specialiter S. Thom. quodlibet. 4. art. 13. & multis aliis locis, quòd duplex est genus canonum & decretorum, sive sint Conciliorum, sive sint Sanctorum Patrum, & est unum genus canonum revera de jure divino, sicut qui pertinent ad Articulos Fidei, & ad substantiam Sacramentorum, aut qui necessariam & manifestam habent connexionem ad legem divinam, seu naturalem, & pertinentia ad bonos mores.

Et ut certo ordine, ac more theologico procedamus, sit prima propositio. In * hoc genere decretorum, aut canonum Papæ nihil potest immutare dispensando, & multo minus abrogando. Conclusio est omnium Theologorum absque controversia, quicquid Canonistæ disputent. Et ponit eam S. Thom. in multis locis, ut in quodlib. ubi supr. & in primo Sentent. d. 47. & in 3. Sentent. d. 37. vide verba ejus 1. 2. q. 97. art. 4. ad tertium, & q. 100. art. 8. & potest breviter probari, quia jus naturale est immutabile, & ut habetur in Decretis, d. 5. cap. 1. naturale jus semper permanet. Et

(1)
Exod. 17.

(2)
Luc. 12.

Argumenta
pro parte ne-
gativa.

(3)
Joann. 21.

(4)
Matth. 18.

Esai. 24. contra eos qui temere tentaverunt immutare jus naturale, dicitur: *Quod transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, &c.* Sed jus divinum etiam positivum habet eandem vim sicut naturale, quia jus naturale non habet vim, nisi quia latum est autoritate divina: aliàs non esset obligatorium, quicquid dicat Gregorius: cum obligatio esse non possit nisi à superiore: ergo simpliciter in jure divino non cadit dispensatio humana.

Argumenta
contra hanc
propositionem.

Pro majori tamen & breviori declaratione arguo contra istam propositionem. Primò, Papa potest dispensare in matrimonio rato non consummato, & insolubilitas matrimonii est de jure divino: ergo potest dispensare in jure divino. Major probatur: Quia votum solemne dirimit matrimonium ratum, ut patet in cap. *Ex publico*, de conversione conjugatorum. Sed votum solemne est de jure positivo, ut patet in cap. *unico de Voto* in 6. Ergo jus positivum tollit jus divinum. Minor patet ex illo: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* (1)

(1)
Matth. 19.
& 1. Cor. 7.

Secundo argumento: Papa dispensat in gradibus prohibitis jure divino: ergo. Antecedens patet. Quia accipere relictam fratris est prohibitum jure divino, ut patet Levit. 18. *Uxorem fratris sui nullus accipiat.* (2) Et eodem modo accipere amitam, vel materteram ibidem expressè prohibetur: & tamen Papa dispensat in istis: ergo.

(2)
Levit. 18.

Tertiò: Papa dispensat in voto saltem simplici, ut patet ex usu, & in titulo de voto & voti redemptione: & tamen servare votum est de jure divino: *Si quid vovisti, ne moreris reddere, displicet enim Deo infidelis & stulta promissio.* Ecclesiast. 5. Idem expressè Deuter. 23. (3)

(3)
Eccles. 5. &
Deut. 23.

Quartò: Papa dispensat cum bigamo & homicida, sed tales sunt irregulares de jure divino, ut patet 1. Timot. 3. *Oportet Episcopum unius esse uxoris virum, non percussorem.* (4) Quod Glossa, & omnes Doctores intelligunt de Presbyteris: quod patet, quia statim subdit, *Diaconos similiter pudicos, nulla alia mentione*

(4)
1. Timoth. 3.

fac-

facta de Presbyteris. Confirmatur. Quis talis irregularitas non tollitur per Baptismum, sicut aliæ irregularitates, ut Doctores dicunt *in 4. dist. 27.* Ex autoritate Augustini, Ambrosii, & omnium Doctorum Theologorum, & Canonistarum. Et quod possit dispensare cum bigamo, tenet S. Thom. *in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. & in quodlib. 4. q. 13.* Et Doctores, *extra de bigamis cap. Nuper, & cap. final. & d. 34. cap. Lector.* Glof. dicit Lucium, Papam dispensasse cum Archiepiscopo Panormitano bigamo. Et cum homicida posse etiam dispensari, tenet Abbas *in cap. Sicut dignum, de homicid.* Dicens Communiter hoc teneri per Doctores: nec de hoc dubitant Theologi.

Quintò. Papæ est Vicarius Christi ex themate: *Pasce oves meas.* Et ex illo: *Quodcumque solveris super terram, &c.* Et habetur in cap. *Inter corporalia, de translatione Episcopi,* & in cap. 1. *de homicidio in 6.* Imò Paulus de omnibus Apostolis ait: (1) *Pro Christo fungimur legatione, &c.* Et Dominus expressè: *Qui vos audit, me audit, &c. Et sicut misit me Pater, ita, & ego mitto vos.* Sed Vicarius, & Delegatus potest quicquid potest principalis, nisi sit ei prohibitum specialiter, ut Extrav. de Officio Delegati, & de Officio Vicarii, per totum. Sed non invenitur ubi sit prohibita hæc dispensatio Papæ: ergo. Confirmatur. Quia Apostoli dispensaverunt in Lege Divina, aut in Baptismo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* ipsi enim baptizabant *in nomine Jesu.* Et Petrus occidit Ananiam, & Sapphiram. Act. 5.

(1)
2. Ad Cor. 6.

Ad primum igitur argumentum communis Scholæ Theologorum *in 4. dist. 27.* negat majorem, scilicet quod Papa possit dispensare: sed in contrarium sunt multi Doctores Canonistarum, *in d. cap. Ex public.* Et cum illis Cardinalis Cajetanus in particulari Opusculo super hoc: & nostris temporibus dicitur factum à Clemente VII. sed nihil refert quam opinionem teneamus, si enim Canonistarum, consequenter oportet dicere, quod insolubilitas Matrimonii ante consummationem

(1)
Matth. 12.

non est de Jure Divino: & illa verba Salvatoris, (1) exponuntur de Matrimonio jam consummato: quamvis aliter posset responderi, ut dicemus in solutione ad quartum. Si verò opinionem Theologorum teneamus, quæ probabilior videtur, quia aliàs partes per se possent dirimere Matrimonium, & Matrimonium sequens teneret, etiam inter Fideles, &c. Tunc ad rationem de ingressu Religionis dicimus, quod hoc est de Jure Divino, quod professio dirimat Matrimonium, quod Jus Divinum constat ex auctoritate Dei, & usu Ecclesiæ. Votum autem solemne est de jure positivo quantum ad determinationem, & modum, puta qua etate, & quo ordine, quo tempore, &c. sed non quantum ad substantiam suam.

Ad secundum argumentum aliqui, ut Archiepiscopus Florent. 3.p. tit.1. cap.14. & Palud. in 4. dist.40. videntur tenere, quod in omnibus gradibus prohibitis in Levitico Papa non possit dispensare. Et hoc reputat Sylvester probabilius. Sed oppositum est longe probabilius, ut tenet Cajet. 22. quest.154. art.9. & determinatum fuit Romæ his diebus in causa Regis Angliæ. Et ideo hanc opinionem tenendo, respondetur ad argumenta, quòd præcepta veteris legis, quæ non sunt de jure naturali, omnia cessaverunt, nec plus habent vim obligatoriam præcepta judicialia, quam cæremonialia, ut omnes Doctores tenent, & necessarium est tenere, quia Paulus ita determinat ad Heb.7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut traslatio Legis fiat*, quod habetur in cap. *Translato de Constitutionibus*, & tenet S. Thom. in 12. quest.103. art.3. Probat enim ibi Paulus, quòd Sacerdotium Christi est aliud à Sacerdotio veteris legis, & per consequens quod lex vetus expiravit: & idem probat ad Heb.8. per hoc quod Dominus vocat Testamentum novum: ex quo arguit Paulus, quod antiquum Testamentum interit. Dico ergo, quod aliqui gradus prohibiti in Levitico, non sunt de jure naturali. Imo Cajetanus tenet, quod nullus præter primum in linea recta.

Ad tertium, nota quod propter argumentum hoc mul-

multi tenent, quod Papa propriè non potest dispensare in votis. Quia dispensatio propriè, ut suprà diximus, est relaxatio juris, & obligationem voti certum est non esse de jure positivo: ergo dispensatio voti est relaxatio Juris Divini: quod videtur durum. Unde dicunt, quod nunquam potest dispensare in voto, nisi vel votum ipsum fiat, aut sit illicitum vel inutile, aut majoris boni impedimentum: hoc autem non est relaxare Jus Divinum, sep interpretari, quod non est propriè dispensare. In illis enim casibus re vera tale votum non est obligatorium Jure Divino. Imò si constat, quilibet potest proprio arbitrio non implere tale votum. Et hujus Sententiæ videtur fuisse S. Thom. *in 2. 2. q. 88. art. 10. ad 3.* Ubi discrete determinat, quod non cadit dispensatio in voto, nisi quia est simpliciter malum aut inutile, aut majoris boni impedimentum. Imò hoc dicit esse propriè dispensationem. Et utinam hæc opinio non sit vera.

Nota

In contrarium tamen est communis opinio, scilicet quod potest etiam tollere obligationem. Et probatur. Irritatio voti est de jure positivo, & non divino, jus enim positivum dat licentiam parentibus usque ad certam ætatem: & tamen irritatio non interpretatur, sed verè tollit obligationem voti. Et tunc ad argumentum respondent aliqui, quod duplex ex Jus Divinum, quoddam absolutum, & independens, quod scilicet, non supponit actum humanum, ut præceptum de Baptismo, de Eucharistia, quo omnes obligantur, nec ejus obligatio pendet ex humano actu, aut judicio. Aliud est dependens ex humano actu, quod scilicet non obligat nisi mediante actu humano. Nullum enim Jus Divinum obligat ad ingrediendum Religionem, sed si quis promittat eam, obligatur Jure Divino implere promissum.

Ex qua distinctione respondetur ad argumentum, quod in Jure Divino non dependenti non potest Papa dispensare, sed bene in Jure Divino dependenti. Quia habet potestatem tollendi id quod per hominis voluntatem inductum est. Probabilis est iste modus

dus respondendi, sed qui possit tamen impugnari.
 Melius tamen videtur respondere, ut respondet S.
 Thom. in 22. *quest. 88. art. 10. ad 2.* ubi sic arguit.
In iis, quæ sunt in lege natura, & in præceptis divi-
nis non potest per hominem dispensari, & præcipuè in
præceptis primæ Tabulæ. Sed implere votum est de Lege
Natura, & Lege Divina, ut supra probatum est. Ergo
in voto dispensari non potest. Respondetur quod sicut de
jure natura tenetur homo implere votum, ita, & ex his-
dem tenetur obedire superioris legi, & mandato. Et ta-
men cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit ut
legi humana non obediatur, quod est contra legem
natura, & mandatum Divinum: sed fit, ut hoc
quod erat lex, non sit lex in hoc casu: ita etiam autho-
ritate superioris dispensantis fit ut hoc quod continebatur
sub voto, non contineatur in quantum determinatur
in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et
ideo Prælati sic dispensans, non dispensat in præcepto ju-
ris naturalis vel divini, sed determinat id quod cadebat
sub obligatione deliberationis humana: quæ non potuit
omnia circumspicere. Unde patet, quod Sanct. Thom.
facit idem judicium de voto, & de lege humana, ita
ut talis obligatio sit quasi peculiari legi iste obligare-
tur: & ita dispensatio in voto est dispensatio in actu
humano. Itaque videtur quod duplex sit obligatio Di-
vina, & humana. Humana etiam est duplex, ex lege,
& ex voto.

Aliter potest dici, quod cum votum non sit nisi pro-
 missio quædam. Idem videtur dicendum de hac promissio-
 ne, & de aliis. Qui enim promissit aliquid tenetur
 servare promissum de jure naturali, ut S. Thom. dicit
 in 22. *q. 88. art. 3. ad 1.* In promissione autem humana
 potest ille, cujus interest, remittere, & liberare pro-
 mittentem à redditione promissi. Hoc autem non est
 abrogare, vel dispensare in Lege Divina, & per conse-
 quens nec si superior in hoc dispensat, est dispensare in
 Lege Divina, & si Deus ipse remitteret votum, non
 esset dispensatio in Lege Divina de impletionem voti.
 Ita ergo quia Papa habet Vices Dei, potest remitte-

si Papa possit facere
 quod lex divina non esset
 lex, vel tollere legem
 divinam, sicut huma-
 nam, esset bona com-
 paratio.

difficilissima profecto
 res, si bene pensetur.

si hoc ita est ut quod
 de hac re disputare.
 vide in responsione ad
 5^m argumentum.

re debitum ex rationabili causa, nec ex hoc dispensat in Lege Divina. Confirmatur. Episcopus potest dispensare in voto, ut certum est, & sic dato, quod disputetur de Papa, non dubitatur quod Episcopus non possit dispensare in Lege Divina. Et sic propter dispensationem voti non oportet dicere, quod Papa possit dispensare in Lege Divina.

Ad quartum breviter, & faciliter respondetur, quod in Scriptura Sacra sunt aliqua decreta, & mandata Juris Divini, id est autoritate Divina lata, quamvis ab Apostolis, sicut de Extrema Unctione dicunt Doctores, quod est Sacramentum Juris Divini, sed promulgatum Jacobi 5. Et Apostolus: (1) *Iis qui Matrimonio sunt juncti, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Alia sunt statuta ab Apostolis ipsis, ut Paulus statim ubi supra: *Nam cæteris dico ego, non Dominus, si quis habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et non est dubitandum, quod Apostoli multa disposuerint sua autoritate, sicut nunc Pontifices faciunt. Et Paul. (2) *Cum venero, cætera disponam.* Et in his non est dubitandum quin successores Apostolorum habeant autoritatem dispensandi hujusmodi, ergo sunt statuta de bigamia, & homicidio. Et de utroque paret primò. Quia irregularitas illorum non est de jure naturali absolutè, ut constat: in nova eutem lege non sunt præcepta negativa, aut prohibitiva, nisi juris naturalis, ut docet S. Thom. 12. q. 108. art. 1. & ideo dicitur lex libertatis Jacobi 1. & 2. Et irregularitas homicidii tollitur per Baptismum, *dist. 5. cap. Si quis per Baptismum.* Secundum Innocentium, Godfredum, & Guilielmum, & omnes Theologos, *in 4. d.* Si verò esset de jure naturali aut Divino, tolli non posset ergo. Et præterea si homicida, aut bigamus ordinaretur etiam absque dispensatione, manet ordinatus, & reciperet characterem, ut Doctores determinant *in 4.* Ergo illa irregularitas non est de Jure Divino, alias non teneret factum. Sicut si mulier ordinaretur, non teneret ordinatio, nec valeret; & sic Papa potest dispensare, cum sit de jure positivo. Confirmatur. Illa quæ

(1)
1. Ad Cor. 7^o

(2)
1. ad Cor. 13^a

constituta sunt ab Apostolis, non sunt de Jure Divino: quia etiam in Concilio Apostolorum Actorum 15. dicitur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis, quam hæc necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Jam vero hæc lex nulla est: non potuisset autem cessare fuisset de Jure Divino: ergo.

Ad quintum responderetur, quòd verum est, quod Papa est Vicarius, & Legatus Christi. Et nego consequentiam: non enim inferitur. Est Vicarius Christi, ergo potest quicquid potest Christus: nec unquam aliquis tribuit hanc licentiam Papæ. Et ad probationem responderetur, quod è contrario Vicarius non habet quod non prohibetur, sed solum quod conceditur. Christus autem non concessit solutionem, aut relaxationem mandatorum suorum, sed solum ministerium, & dispensationem illorum, ut ait Apostolus: (1) *Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* Et cap. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores, &c.* Et officium Apostolorum Paulus semper vocat ministerium, & 2. ad Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei Ministros.* Certè si quis mandata ejus relaxaret, non se haberet sicut Dei Minister, sed sicut æqualis, aut potius superior. Item commissum est Pontifici remittere peccata contra præcepta admissa, non autem relaxatio mandatorum. Et 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Id est Fides, & Lex. Illud oportet, ut maneat immutatum, & illibatum, Prælati autem possunt ædificare, aurum, argentum, lapides pretiosos. Et tunc diceretur rectè: *Obedire oportet plus Deo quam hominibus.* Item: Nunquam fuit talis authoritas dispensandi in minimo præcepto cæremoniali, tamen erant Pontifices, & Governatores Ecclesiæ, & hoc facit illud: *Unum jota, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Item ratione. Quia dispensatio in lege spectat solum ad Legislatorem, vel Superiorem, vel ad illum cui specialiter commiserint ipsi, ut asserit Sanctus Thom. 12. q. 97. art. 10. ad 3. Ma-
net

(1)

1. Ad Cor. 3.

net ergo conclusio tanquam certa, & firma, quod in primo genere præceptorum Concilii, scilicet quæ sunt Juris Divini, Papa non potest dispensare, & totum confirmatur, ex cap. *Contrat. 25. q. 1.* Ubi Zozimus Papa dicit: *Contra Statuta Sanctorum Patrum condere aliquid, aut immutare nec hujus quidem Sedis potest auctoritas.* Idem habetur in cap. *Cum ad Monasterium*, de Statu Monachorum.

Sed dato quod ita sit, quod Papa non potest aliquid immutare in iis, quæ sunt Juris Divini, tamen ad Papam, vel Concilium spectet interpretari, & declarare tale jus, adhuc posset dubitari. Et item, an si Concilium aliquod determinet aliquid esse de Fide, aut de Jure Divino, Papa possit hoc aliter declarare; sed in hoc priori nulla est contentio, & ideo breviter sit secunda propositio. Si * Concilium declarat aliquid esse de Fide, aut de Jure Divino, Papa in hoc nihil potest aliter declarare, aut immutare, maximè si tale jus spectet ad Fidem, vel ad mores Ecclesiæ universalis. Probat. Quia in illis Concilium errare non potest, juxta promissum: (1) *Ego oravi pro te, &c.* (2) *Ubicumque fuerint duo, vel tres, &c.* Et non minus est Spiritus Sanctus in quocumque Concilio Generali, quam in Concilio Apostolorum, ubi Spiritus Sanctus assistebat juxta illud, Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, &c.*

Confirmatur. Quia si in illis Concilium errare posset, & Papa errare posset, etsi utrumque errare posset, standum esse potius Concilio. Sicut ergo postquam determinatum fuit in Concilio Apostolorum, quod legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter definire: ita in quocumque Concilio Generali. Et patet. Quia si errare posset, non esset Ecclesia fundata supra firmam petram, cum semper maneret dubia, & vacillaret, nec Evangelium esset certum, cui Augustinus dicit se non crediturum nisi propter auctoritatem Ecclesiæ: & non posset Petrus Confirmare Fratres suos, nec essent lux mundi, Matth. 5. Nec esset vera promissio Spiritus Sancti: *Quem ego, inquit, mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia.*

(1)
Luc. 22.

(2)
Matth. 18.

Aliud genus Canonum, & Decretorum est, quæ omnino sunt extra jus naturale, & Divinum, sed spectant, & sunt utilia ad conservationem juris naturalis, & Divini. Suppono enim, quod Prælati in Ecclesia possunt condere leges etiam obligatorias multo magis quam Principes Seculares, qui hoc possunt, ut patet apud Paulum ad Rom. 13. Et ex Beato Petro 1. Petri 2. Et patet ex illo: *Qui vos audit, me audit* (1) *Et super Cathedram Moysi.* (2) Et Paul. (3) *Obedite præpositis vestris.* Nec de hoc est aliqua contentio inter Catholicos, quanquam sit cum novis Hæreticis hujus temporis, & licet sit solus unus Doctor Theologus, scilicet Gerson inter recentiores, qui videtur dicere, quod Papa non possit ferre leges obligatorias, nisi sequantur ex Jure Divino, vel naturali, sed ille non auditur à Theologis in hac parte, & quædam alia tenet profectò male sonantia in Doctrina Theologica: quod si Prælati hoc possunt, multo magis Concilia.

De hoc ergo genere vertitur maximè in dubium, utrum Papa possit immutare, aut dispensando, aut abrogando, ut de jejuniis Quadragesimæ, de Horis Canonicis, & similibus: de quibus sit tertia propositio. Papa potest dispensare in Legibus, & statutis Concilii Generalis. Pro hujus conclusionis probatione est notandum, quod de comparatione potestatis Papæ & Concilii est duplex sententia, altera est S. Thom. & sequacium multorum: & aliorum, tam in Theologia, quam in Jure Canonico, quod Papa est supra Concilium, & altera est communis sententia Parisiensium, & multorum etiam Doctorum in Theologia, & Canonibus, ut Panorm. & aliorum, contraria, quod Concilium est supra Papam: non tamen est locus nunc disputandi quæ illarum sit verior, quia non de hoc agitur. Puto utranque esse probabilem opinionem: & quia quælibet habet magnos assertores, non oportet in quæstione proposita procedere solum ex altera opinione, sed statuere quid dicendum, quamcumque sententiam sequamur.

Et ideo dico conclusionem positam esse veram, non solum tenendo primam opinionem, sed etiam

(1)

Luc. 10.

(2)

Matth. 23.

(3)

Ad Heb. 13.

secundam. Et probatur primò: Quia leges humanæ sunt de humanis actibus, qui sunt pro temporum & personarum conditione variabiles, & quod in communi expedit uni personæ, vel in aliquo casu non convenit, vel in alio tempore, ut ait Augustin. 1. de libero arbitrio. Et hæc est causa, quare Aristot. dicit 7. Ethicorum: Necessè est in Principe *ἀρετῆς* esse, sive æquitatem, cujus officium est in casibus, ubi tenor legis vergit in detrimentum Reipublicæ, discedere à verbis legis: eadem inquam ratione est necessè in Ecclesia esse auctoritatem dispensandi pro loco & tempore, & ita tenet S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10. aliàs multa, quæ pro bono publico sunt ordinata, verterentur in perniciem Reipublicæ, ut in cap. *Regul.* d. 29. dicitur: *Quod regula Sanctorum Patrum pro varietate temporum & locorum temperatur.* Si ergo hujusmodi dispensatio est necessaria in Republica, dicere quod solum resideret in Concilio, absurdum est, cum dispensationes sint necessariae ordinarie propter variationem casuum & temporum. Concilium autem non saepe potest congregari, nec Apostolos legimus nisi bis coegisse Concilium, semel Actor. 1. ad electionem Matiae, & iterum Actor. 15. super contentione legalium. Ergo oportet quod resideat in Papa. Et universaliter S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4 dicit, quod in omni lege humana potest dispensari per Rectores Reipublicæ.

Item dato, quòd Concilium esset supra Papam, hoc tamen non est intelligendum extensivè, id est, quòd aliquem actum possit Concilium, in quem Papa non possit, hoc enim nullo pacto est probabile, sed solum intensivè, puta si contrarium determinaretur, esset standum potius Concilio, vel quod Papa teneretur parere Concilio, & non è contrario. Cum igitur Concilium posse dispensare in suis decretis, ergo etiam Papa poterit.

Item aliàs non esset Papa. Hoc namque omnes intelligunt per Papam, in quo omnis potestas ecclesiastica residet, si enim dispensatio in legibus ecclesiasticis eximeretur à Papa, jam potestas Papæ est parti-

cularis, & non universalis. Item est Vicarius Christi (ut supra probatum est) ergo habet generalem administrationem ad omnia. Item Papa est generalis Commissarius Dei, assumptus in plenitudinem potestatis, 2. q. 6. qui se legit, & 24. q. 5. quodcumque ergo potest in omnem actum jurisdictionis.

Item cum Concilium possit dispensare in suis legibus, saltem Concilium posset hanc potestatem committere suo Legato, seu Vicario. Si ergo summus Pontifex non posset dispensare, & ille Legatus posset, jam daretur in Ecclesia aliquis Prælati major Papa: & sic Papa non esset supremus, & omnino esset sacrilegium dicere, quod Concilium possit constituere in Ecclesia aliquam potestatem superiorem Papa, quem Christus constituit.

Item conclusio firmiter probatur testimoniis supra inductis, Joan. 21. (1) *Pasce oves meas.* Et Matth. 18. (2) *Quodcumque solveris super terram.* Dispensare autem pascere est, & solvere. Ultimò probatur: Quia impedimenta, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium de jure positivo, ut aliqui gradus consanguinitatis, & affinitatis, sunt ex autoritate Conciliorum, ut patet extra de consanguin. & affin. cap. *Non debet*, & 35. quæst. 3. de affinitate, & in multis capit. eadem causa & quæstione. Et tamen quotidie Papa dispensat, saltem in 3. gradu & 4. nec quisquam dubitat, quin factum teneat, & est sententia omnium Doctorum. Et habetur expressè in cap. *Quod dilectio*, & in cap. *Quia circa*, de consang. & affin. & 35. q. 3. quædam lex, §. *Quod scripsi.* Hanc conclusionem ponit S. Thom. in opusculo contra impugnantes Religionem: *Omnia, inquit, statuta Sanctorum Patrum sunt relicta dispensationi Papæ, ut possit ea mutare, vel dispensare secundum opportunitatem temporum, & negotiorum.* Et illud Zozini 25. quæst. 7. contra statuta Patrum, ut supra dicitur intelligendum de statutis spectantibus ad jus divinum. Et hæc est sententia expressa domini Archiepiscopi Rhemensis lib. de Synodis, cap. 39. *Facultatem, inquit, temperandorum, sive mutandorum canonum potest*

(1)
Joan. 21.

(2)
Matth. 18.

testati Romani Pontificis adjacere non dubitamus.

4 Quarta propositio: Summus * Pontifex non solum potest dispensare in statutis Conciliorum, sed in totum etiam aliquando abrogare aliquam talem legem, vel statutum. Hæc patet ex præcedenti & ejus probatione. Quia aliquando expedit abrogatio alicujus legis ad rectam gubernationem Ecclesiæ, ut in cap. *Non debet*, de consanguin. & affin. & in cap. *Alma mater*, de sent. excommunic. Unde cum Concilium generale congregari ex toto orbe difficile possit, oportet quod sit in Ecclesia aliqua potestas, quæ hæc possit. Et confirmatur tertia & quarta conclusio. Non enim videtur, quin summus Pontifex possit, quod potest sola consuetudo, sed consuetudo rationabilis potest tolle statuta etiam Conciliorum, ergo summus Pontifex. Minor probatur, quia in Concilio Apostolorum, ut patet Act. 15. constitutum fuit, ut Christiani abstinerent à suffocato, ab immolato, & sanguine: *Visum est*, inquit, *Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Et hoc fuit observatum in Ecclesia, non solum à conversis ex Judæis, sed etiam à Gentilibus per multos annos, non solum tempore Apostolorum, sed multo post, ut patet ex Tertulliano in Apolog. cap. 9. imò expresse in Concilio Gangrensi, quod fuit post Nicenum (ut habetur d. 70. cap. *Si quis carnem*) habetur inquam quod non licet vesci sanguine, aut suffocato: tamen sola consuetudo abrogavit illud præceptum, nusquam enim legitur revocatum. Unde apud Græcos, apud quos perseverat consuetudo, fortasse adhuc durat obligatio. Quid ergo obstat, quin aliquis summorum Pontificum advertens jam illud præceptum non esse necessarium, abrogare illud, quantumcunque esset latum à Concilio Apostolorum? Hanc conclusionem tenent non solum Doctores, qui sequuntur sententiam, quod Papa est supra Concilium, sed etiam tenentes contrariam opinionem. Unde Panor. in cap. *Significasti*, de electione, ita tenet, & est sententia uni-

nota

universalis Joan. Andr. quod potest tollere, & mutare statuta Concilii, in cap. *Statutum*, de rescript. in 6. Nec certè de his duabus conclusionibus posset quis rationabiliter dubitare, nec posset quis nisi magna temeritate affirmare, quòd si Papa ex rationabili causa dispenses in jejuniis Quadragesimæ, vel abstinence carni, non teneat dispensatio: tamen illa sunt ex statutis Conciliorum.

Dubium.

Sed dato quòd absolute ita sit, tamen restat magnum dubium. Utrum saltem si Concilium prohiberet dispensationem, & addat decretum irritans, si secus fieret, utrum saltem in tali lege possit dispensare Papa. De qua, primò tenendo quòd Papa est supra Concilium, videretur quòd non possit dubitari, quin hoc possit: quia si par in parem non habet imperium, multo minus inferior in superiorem. Sed tenendo alteram partem, prima facie etiam videtur, quòd sequatur, si Concilium hoc prohibet, quòd Papa non possit. Ista quæstio fuit agitata in Concilio Basiliensi. in quo fuerunt quidam Theologi, & Jurisperiti, qui contendebant, quòd si in aliquo statuto Concilii addatur decretum irritans, Papa in tali statuto non possit dispensare: & si tentaret hoc facere, nihil faceret. Contra quos Cardin. de Turrecrem. fecit opusculum, quòd vocavit: *De Decreto irritante*, in quo contrarium illius sententiæ contendebat ostendere. Sed illum librum ego invenire non potui. Ego vero pro nostra sententia respondeo ad hoc dubium, secundum utramque opinionem siue teneamus quòd Concilium est supra Papam, siue contrarium.

Et sit quinta propositio. Non * obstante decreto irritante Concilii, Papa posset dispensare in statutis ejus. Hoc probatur primò: Quia cessante tali decreto, Papa habet potestatem ex officio suo ad dispensandum in statutis Conciliorum: sed Concilium non potest limitare potestatem Papæ, vel officium Papæ: ergo non obstat tali decreto potest. Et confirmatur: Quia Papa non habet potestatem dispensandi ab ipso Concilio. Totam enim potestatem habet ab ipso jure divino: er-

go Concilium non potest auferre ei illam potestatem. Item: cum Concilium possit illam auctoritatem dispensandi committere alicui Episcopo, si posset auferre à Papa, jam esset in Ecclesia aliqua potestas major Papa, ut supra arguebamus. Et confirmatur: Quia Papa jam non esset universalis Pastor, si esset aliquis actus jurisdictionis, in quem Papa non posset, scilicet talis dispensatio, quæ fieri quidem posset, sed non à Papa. Item eadem ratione Concilium posse prohibere, ne Papa posset dare Indulgentias, vel absolvere ab excommunicatione pro tali crimine, vel tali, vel aliam quamcumque partem jurisdictionis adimere: quod esset absurdum. Jam enim non esset Papa. Consequentia autem patet: Quia si possit adimere istum actum jurisdictionis, quare non quemcumque alium? Itaque puto falsum & periculosum dicere, quòd ratione decreti irritantis tolleretur à Papa potestas dispensandi. Gerson autem Cancellarius Parisiensis 1. part. tract. 3. determinat, quòd Concilium generale potest limitare usum potestatis Papalis certis legibus, ut non possit vel dispensare, vel abrogare decretum Conciliorum, imò aliquem ex rationabili causa auferre ab obedientia Papæ, & multa in hanc sententiam tradit. Sed ille Doctor per omnia fuit infestus auctoritati summorum Pontificum, & multos alios infecit suo veneno: parum enim differt à schismate ejus sententia de auctoritate Papæ. Item potest argui: Vel enim leges Concilii exemptæ sunt à Papa, vel non. Si non sunt, ergo non obstante quocumque decreto, Papa poterit dispensare. Si sunt exemptæ, ergo etiam si non adjecerit decretum tale, erunt exemptæ, & Papa non poterit dispensare. Probat, quia leges divinæ sunt exemptæ ab humana jurisdictione: etiam si numquam sit prohibita dispensatio, tamen nulla potestas humana potest in illis dispensare: & Episcopus non potest dispensare in legibus Papæ, quia est inferior, nec opus est alia prohibitione. Et profecto si ita est Concilium supra Papam, sicut supra Episcopos oportet dare aliquam rationem, quare Episcopus non potest dispensare in statutis Conciliorum,

& potest Papa. Panorm. tamen in tractatu de Concil. Basilen. num. 18. contendit, quod Papa in iis quæ pertinent ad salutem, & generalem statum Ecclesiæ, non potest contra statuta Conciliorum venire. Citat ad hoc Archidiac. in cap. *Sic* 40. d. in quo cap. dicit Gregorius se suscipere quatuor Concilia principalia, sicut Sancti Evangelii quatuor libros: ex quo arguit, quod sicut Papa nihil potest immutare circa contenta in Evangelio, ita nec circa decreta Conciliorum.

Sed quia ex sententia, & conclusionibus supra dictis videntur omnia relicta in arbitrium unius hominis non confirmati in gratia, sed qui potest & errare, & peccare: ideo oportet invenire aliquod remedium ad obviandum huic tanto periculo, & ideo sit sexta propositio: Papa * dispensando in legibus, & decretis tam Conciliorum, quàm aliorum Pontificum, potest errare, & graviter peccare. Utinam liceret dubitare de hac conclusione, sed videmus quotidie à Romana Curia tam largas imò omnino dissolutas dispensationes profectas, ut orbis ferre non possit, nec solum in scandalum pusillorum, sed majorum. Sed hæc patebit clarius ex conclusionibus sequentibus.

Et ideo sit septima propositio: Non * licet Papæ dispensare in legibus & decretis Conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiam ubi nihil continen juris divini. Probat: Quia leges humanæ & Conciliorum maximè sunt necessariæ ad gubernationem, & administrationem Ecclesiæ: ita ut sine illis, nec jus quidem divinum servari possit. Ergo si Papa per irrationabiles, & temerarias dispensationes tollat vel omnino, vel ex magna parte legum observationem: hoc necesse est, ut vergat in detrimentum magnum Ecclesiæ. Ergo non potest hoc Papa facere sine gravi peccato. Antecedens autem patet: Si quis imaginetur Ecclesiam sine legibus humanis, intelliget profecto non solum magnam confusionem, & inordinationem, sed videbit nullo pacto constare, nec fidem, nec Religionem Christianam. Cum enim dejure divino non sit determinatum tempus ad susceptionem Sacramen-

torum, ut de confessione, & Eucharistia, imo Baptismo, item nec ratio sacrificii, & totius cultus divini: nulla ratio administrationis teneri posset in Ecclesia sublatiis legibus humanis, & esset intollerabilis deformitas, si quilibet viveret suo arbitrio, etiam intra terminos juris divini. Et confirmatur: Quia non sunt minus necessariæ leges ad administrationem Ecclesiæ, quàm civitatis: sed respublica, sive civitas, non potest esse sine legibus humanis, ut constat: ergo nec Ecclesia. Nec sine causa Paulus (1) inquit, quod qui legibus humanis resistunt, damnationem sibi acquirunt. Et sic ut Isidorus dicit: *Facta sunt leges, ut earum metu humana coerceretur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia.* Et Aristot. (2) etiam dicit, quod *melius est omnia ordinari à lege, quàm dimittere Judicium arbitrio.*

(1)
Ad Rom. 11.

(2)
1. Rhetor.

Secundò probatur: Quia sicut leges debent fieri pro bono communi (debet enim lex nullo privato commodo, sed pro utilitate omnium conscribi, cap. *Erit autem lex*, 4. d. ut ait Isidorus) ita etiam dispensatio, quæ est quasi lex quædam, debet habere rationem boni communis, aliàs erit dissipatio & non dispensatio.

Tertiò talis dispensatio esset in injuriam aliorum: ergo non est licita. Antecedens patet, quia una conditio legis est, quòd sit æqualis, non autem esset æqualis, si sine causa rationabili aliquis eximeretur à lege, alii autem lege premerentur: quòd sit per temerarias & voluntarias dispensationes, ergo illud est illicitum. Confirmatur: Quia lex vel est ipsum jus, vel jus est effectus legis: unde & secundum diversas leges dicitur jus naturale, civile, canonicum, sed jus, & æquum, sive æquale, idem est. Ergo oportet omnino, quòd lex sit æqualis. Et confirmatur hoc: Quia si in principio legis sine causa rationabili cæteris omnibus paribus legislator imponeret legem aliquibus, alios autem eximeret, faceret illis injuriam: ergo eadem ratione, imò multo magis post legem latam.

Quartò: Non licet Papæ dispensare in propriis le-

gibus sine rationabili causa, ergo nec in legibus Concilii. Antecedens patet: Quia non potest ipse eximere se sine causa rationabili, ergo multo minus potest eximere alios. Assumptum probatur: Quia dato, quod Princeps non sit subditus suis legibus quantum ad pœnam, vel quantum ad vim coactivam, tamen quantum ad vim directivam, & in foro conscientiæ tenetur vivere secundum illas, quia (ut dicitur extra de Const. cap. *Cum omnes*) *quod quisque juris in altum statuit, ipse debet uti eo.* Et Sapientis dicit autoritas. *Patere legem, quam ipse tuleris.* Unde Matth. 23. (1) *improperantur Scribæ à Domino, quod dicunt, & non faciunt; & quod aliis onera gravia imponunt, ipsi autem nolunt digito movere.* Unde & S. Thom. 12. q. 96. art. 5. ad 3. dicit quod quantum ad Dei iudicium Princeps non est à lege solutus. Et hoc non solum est verum ratione scandali, vel quia esset causa infirmitatis legum: sed de per se. Faceret enim injuriam aliis, cum ipse Princeps sit membrum Reipublicæ. Facit injuriam non ferendo partem oneris sine justa causa. Lex autem digna vox, C. de Leg. ubi dicitur, quod Princeps non tenetur suis legibus, intelligitur quantum ad vim coactivam, ut dicit S. Thom. loco citato.

Octava propositio: Multo * minus poterit abrogare & sine rationabili causa decreta Concilii. Ista patet, quia magis est abrogare, quam dispensare: imò ex hoc iterum surgit argumentum pro septima conclusione. Quia non licet Papæ abrogare, ergo nec ita passim & sine rationabili causa licet dispensare. Antecedens est notum apud omnes, maximè de illis decretis, quæ spectant ad universalem statum Ecclesiæ, vel ad bonam administrationem Religionis, & morum in Ecclesia. Nullus enim concederet, quin Papa graviter delinqueret, si abrogaret omnino leges de gradibus prohibitis ad matrimonium. Item de irregularitatibus, ut de bigamia, & de homicidio. Probatur autem consequentia clarè. Quia si passim cum omnibus petentibus dispenseret, jam nullus esset effectus legis, & frustra lata esset lex. Quid enim juvasset prohibuisse bigamos à

(1)
Matth. 23.

Sacerdotio, si omnes bigami, qui volunt, promoverentur? Et similiter homicidæ? Lex enim lata est, ut ista non fierent, non ut fierent cum licentia, & ideo si quis advertat, intelliget esse perversissimam licentiam istarum dispensationum. Nam legum natura hæc est, ut regulariter, quidem, & ut plurimum lex observetur: dispensatio autem fiat rarò, & in casibus peculiaribus. Est enim, ut Doctores omnes dicunt, dispensatio quasi quædam interpretatio juris in casibus, quos Legislator videre non potuit. Per istas autem dispensationes fit omnino contrario modo, ut lex quidem quam rarissimè servetur; dispensatio autem fiat regularis, ut plurimum. Nullus enim est, qui velit contrahere cum consanguinea, qui non obtineat dispensationem: nec bigamus vult promoveri, qui non promoveatur, nec etiam homicida, aut saltem mutilator. Et ita de aliis pendè legibus omnibus positivis. Itaque si quis non contrahit cum consanguinea, non est ratione legis, sed quia non cupit, vel non placet. Et si quis consideret, intelliget, quod si tollatur lex de impedimentis Matrimonii, vel irregularitatis, non plures tales contrahent, aut promovebuntur, quam nunc faciunt per dispensationem. Nunc enim solum servant legem, qui volunt, vel fortè pauper aliquis, qui non habet unde possit dispensationem procurare, quod iterum est alia species injuriæ, ut pauperes excludantur, divites admittantur, nulla alia causa posita. Atque adeo sunt veræ 7. & 8. conclusiones, ut Cajet. in Apologia de Potestate Papæ, dicat: Quod non solum Decreta Concilii Generalis, sed nec Provincialis, Papa potest licitè abrogare, aut super eis dispensare, sine rationabili causa. Ubi etiam tenet, quod Decreta Concilii obligant Papam in foro conscientiae, cui in hac parte eo magis credendum est, quia fuit semper fautor, & studiosus potestatis Pontificiæ, quam etiam in eo opere supra Concilium defendit. Et istæ conclusiones sunt communiter Doctorum, & expresse tenet Sylvest. in verbo *Papa*, §. 15. & in verbo *Concilium*, §. 2. & est expresse hoc ex mente S. Thom. 12. & 22. & contra Impugnantes Religionem, & Panor-

mitan. in cap. *Non debet*, de consanguin. & affinitat.

Nona propositio. Aliqua * lex etiam positiva posset esse in Ecclesia, & forte aliquæ tales sunt in quibus 9 expediret, ut nunquam dispensaretur. Probat. Quia (ut dictum est) Jus Divinum aut nullo modo, aut vix observari potest sine aliquibus legibus humanis, ergo aliquæ leges humanæ sunt tam utiles, imò pœnè necessariæ ad observationem Christianæ Religionis, ut universalis observatio illarum sit valdè utilis Ecclesiæ, & è contrario etiam si aliquando videatur dispensatio rationabilis, tamen multo utilior esset inviolabilis observatio legis, quam ut aperiatur janua ad dispensationes. Exemplum est de statuto, cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœnitentia, & remissione. Quod licet sit de Jure Divino, quantum ad Confessionem, & Communionem, tamen quantum ad tempus est de jure positivo: non est dubium quin melius sit, quod nunquam in eo dispensetur. Quia si semel detur locus dispensationi, & relinquatur arbitrio humano judicare an sit causa rationalis dispensandi, per ambitionem Principum, aut gratiam, aut improbitatem hominum multiplicabuntur dispensationes cum magno periculo, non solum juris humani, sed etiam Divini. Multæ aliæ leges possent dari tales.

Confirmatur. Quia etiam communiter se offerunt casus, in quibus, videretur etiam conveniens, ut in Lege Divina dispensaretur, ut quod aliquis relinqueret primam uxorem, & transfiret ad secundam ad pacem Regni, vel Familiæ, vel haberet duas, vel mentiretur pro aliqua magna utilitate, & tamen nec Deus dispensat unquam, nec reliquit in Ecclesia potestatem dispensandi (ut suprâ dictum est.) nimirum Summa Sapientia cum intelligeret multo majus detrimentum sequuturum, semel data licentia dispensandi, quam bonum, quod provenire possit ex tali dispensatione etiam aliàs rationabili.

Nec solum hoc est verum ex Jure Divino naturali, sed etiam de jure positivo. Nunquam enim in veteri Testamento dispensatum est, ut quis comederet carnes suis-

suillas, nec alia vetita in lege, nec in quocunque mandato totius legis: nec in nova lege, ut aliquis non baptizaretur, aut confiteretur, cum tamen possunt prætendi causæ longe apparentiores ad dispensandum, quam sæpe fiat pro legibus humanis. Certè nisi Christus optimè prævidisset expedire Ecclesiæ suæ, ut nunquam in talibus legibus dispensaretur, reliquisset potestatem dispensandi. Nescio quis reprehendat, tamen viri sapientes laudant Chartusenses, qui in sua abstinencia carnum nunquam dispensant, non obstante quacunque occasione, aut periculo. Si enim semel inciperet dispensari, major esset, seu latius se extenderet dispensatio quam observatio. Similiter profectò est in aliquibus legibus humanis, in quibus farius esset nunquam dispensare, quam illarum rigorem flectere per dispensationem.

Sed dicunt, quod contingunt aliquando casus magnæ necessitatis, ubi sequatur magnum periculum nisi dispensetur.

Respondetur primò. Aliquæ sunt leges, ex quibus nunquam sequi potest tale inconveniens, ut patet consideranti, sicut nec in Legibus Divinis. Mala enim non sequuntur ex observatione bonarum legum; sed ex dispensatione illarum.

Secundò. Etiam minus malum esset illud, quam dare occasionem ad infirmandas, & violandas leges necessarias ad conservationem Religionis. Et præterea cum dicimus nunquam esse dispensandum, non excludimus unum casum qui fortè posset contingere in mille annis, quando scilicet sequeretur aliquod magnum scandalum: tunc enim merito posset dispensari dummodo hoc esset lege cautum, nec relinqueretur arbitrio humano. Utinam eligerentur aliquæ leges graviores, & concernentes universalem statum Ecclesiæ, & magis necessariae ad gubernationem ejus, & reformationes morum, in quibus nullus esset locus dispensationi. In quocunque enim casu præferendum est bonum commune bono privato, quod per dispensationem prætenditur: sed manerent inviolabiles sicut divinæ, sic ut nec per Papam, nec per Concilium in eis dispensaretur.

Decima propositio. Si ex usu, & experientia, aut¹⁰ providentia intelligeretur, * quod si dispensaretur in aliqua lege ex Ecclesiastica, vergeret in perniciem, aut grave damnum Ecclesiæ, & Religionis: Concilium posset hoc declarare, & determinare, & etiam statuere, ut in tali lege nunquam dispensaretur. Hæc probatur. Quia declarare quidem certum est quod spectat ad Concilium, statuere autem probatur quod possit, quia sicut dictum est in nona propositione, hoc expediret, ergo Concilium posset facere tale statutum. Item, quia Papa potest facere tale statutum, ergo etiam Concilium.

Undecima propositio. Videtur * quod in tali deter-¹¹ minatione Concilium errare non possit. Probatur. Quia est de iis, quæ spectant ad mores universalis Ecclesiæ, ut supponimus, sed in illis dictum est suprâ quod Concilium errare non potest: ergo non potest errare in hujusmodi determinatione, & statuto.

²⁰ Duodecima propositio. Facta * tali determinatione, nunquam liceret Papæ dispensare in tali lege, & pec-¹² caret mortaliter, dispensando ex quacumque causa. Probatur. Quia si Concilium determinasset, quod dispensatio est perniciosa per decimam propositionem, & non potest errare per undecimam: ergo ita est, quod est perniciosa dispensatio, ergo est illicita. Item, si Papa dispensat sine rationabili causa, peccat, ut in septima propositione dictum est: sed nulla potest esse rationabilis causa dispensandi contra mandatum Concilii Generalis, ergo malè faceret dispensando: quia gravius est, & melius, observare sententiam Concilii, quod errare non potest, quàm observare, vel capere causas, vel casus particulares. Item, si Concilium determinat, quod dispensatio in tali lege est perniciosa toti Ecclesiæ, hoc maximè esset, quando talis dispensatio vergeret in detrimentum, non solum legis humanæ, sed etiam Juris Divini: quia (ut dictum est) Jus Divinum servari non potest sine legibus humanis. Et si Concilium deberet facere aliquod tale statutum, in quo nunquam esset dispensatio: ideo esset, quia ex talibus dispensationibus
sc-

sequeretur, aut pernicies, aut periculum etiam contra Jus Divinum. Non enim deberet esse pro decimis, aut bonis Ecclesiasticis, sed pro majoribus rebus. Ut si ex dispensatione puerorum sequeretur mala administratio in Ecclesia, & ex consequenti vitiosa administratio Sacramentorum, morum corruptela, & nullum bonum ex tali administratione posset nasci: merito Concilium determinaret, ut nunquam fieret dispensatio in illa lege. Et tunc arguitur sic. Papa non potest dispensare in Jure Divino, ut dictum est supra in prima propositione: ergo si aliqua lex humana est necessaria ad observationem Juris Divini, non poterit Papa dispensare licite in illa.

Sed tota difficultas est, quia licet dispensatio temeraria, & vulgata, & irrationabilis possit esse perniciofa, tamen dispensatio particularis ex rationabili causa, & raro, non esset perniciofa, ut cum isto puero, vel juvene optimæ indolis, & morum optimorum, erudito, & nobili, & qui re vera plus proderit quàm quicumque alius, dispenseretur quòd fiat Episcopus: ergo Concilium non potest determinare quòd universaliter omnis talis dispensatio in tali lege est perniciofa, sed temeraria, & passim facta: & per consequens non potest prohibere Summum Pontificem ne in aliquo casu emergenti possit dispensare.

Respondeo ad hoc dubium. Primò. Quòd leges non respiciunt casus particulares: sed ad hoc quòd lex universaliter feratur, satis est quòd quasi semper sit expediens, vel ut plurimum. Exempla sunt clara, si per se consideremus aliquando expedire, ut vir relinqueret uxorem, & aliam duceret, vel quia sterilis, vel quia intolerabilis, vel quia malis moribus inficit fortassè maritum: sed quia ut plurimum non expedit, ideo lata est universaliter lex, ne aliquis dimittat uxorem, etiam si fuerit hæretica, & conaretur maritum subvertere, vel in quocumque alio casu. Idem de pluralitate uxorum etiam pro pace, imò conversione totius Regni.

Item nullum inconueniens videtur aliquando sequi

ex concubitu fornicario, si per se consideretur. Ratio enim quare est malus, & prohibitus, est, quia est contra bonum prolis, ut nasceretur sine certo patre, & per consequens malè educaretur. Hoc autem cessare potest in casu ubi mulier est sterilis, & jam ætatis provectæ: & tamen universaliter est prohibita fornicatio, cum quibusvis circumstantiis, quia in prolibus sequeretur mala educatio, & procreatio prolis. Ita profectò Legislatores humani possunt habere rationem, & respectum ad illud. Quòd penè semper accidit, etiam si aliquando deficiat, & ferre leges universaliter etiam in quocumque casu: & si non esset lata lex de insolubilitate Matrimonii à Deo, Ecclesia posset condere illam legem ita universalem, sicut fecit ipse Deus; & indispensabilem in quocumque casu: quia si nunc lata à Deo ita universalis est rationabilis, & utilis, etiam esset talis lata ad Concilio, vel Papa. Nil enim facit à quo sit lata lex ac hoc, quod sit rationabilis: nec Deus faceret leges ita indispensables, nisi ita expediret: *Disponit* namque *omnia suaviter.* (1) Et ut convenit rebus. Et in legibus humanis prohibetur universaliter aliquid omnibus, ubi tamen ratio legis non invenitur in omnibus. Verbi gratia: Prohibetur ne nocturno tempore aliquis armatus incedat: certè ratio legis est, quia illo tempore solent insidiæ fieri, & cædes, & est major licentia peccandi. Si quis autem certus, quòd nihil mali facturus est ex hoc, sed ex aliqua alia occasione portat arma illo tempore, est reus legis, & peccat contra legem, & meritò punitur: & si esset lata excommunicatio, incurreret sententiam, quia propter pericula frequenter accidentia rationabiliter fuit facta prohibitio omnibus. Sic ergo, licet aliquando aliquis junior rationabiliter possit assumi in Episcopum, tamen quia hoc esset rarò, & contrarium plurimùm contingit, posset Concilium ordinare, quod cum nullo dispensaretur: & hoc est profectò verum, etiam si nulla ratio esset, & optimè faceret.

Sed præter hoc est notandum, quod non solum oportet spectare in condendis legibus quid boni sequatur

tur ex casibus particularibus, & ex observatione legis, vel quid mali in casibus singulis in transgressione illius, sed quid sequatur, si tollatur talis lex universalis. Verbi gratia: Si consideremus quid mali sequatur ex ista fornicatione, aut illa, non videtur quod sequatur magnum inconveniens, & si aliquid est, posset etiam facile adhiberi remedium: sed si consideremus quid mali sequeretur, si tollatur illa prohibitio, intelligeremus quàm necessaria est illa lex. Si enim liceret fornicari, non solum sequeretur prava educatio proles, sed etiam quod non sit procreatio liberorum, & periret genus humanum. Nam si hoc liceret, multi non ducerent uxores, & mallent uti libertate: & per consequens cum ex hujusmodi vago concubitu non multiplicentur liberi, sed raro eveniant, sequitur defectus, & inopia filiorum in Republica, & inde sequitur quod non sint familiæ, & per consequens Civitates, nec Respublicæ, & multa alia inconvenientia. Idem patebit de insolubilitate Matrimonii. Non enim oportet respicere ad hoc, quid mali sequatur, si Petrus uxorem suam reliquerit, sed oportet videre quid mali sequatur, si passim liceat dimittere uxores. Cùm enim inter conjuges sæpe incidant jurgia, & capiat eos invicem satietas, rara essent Matrimonia firma. Et cum relicta ab uno non reciperetur ab alio, esset magnum periculum incontinentiæ. Et præterea esset in magnam jacturam, & detrimentum liberorum, qui relinquerentur, aut sine matre apud novercam, aut sine patre apud matrem, & multa alia mala, unde justissimè est adempta illa facultas. Ita in legibus Ecclesiasticis non oportet considerare quid boni, aut quid mali sequatur, si iste juvenis fiat Episcopus, vel si quis emat hoc beneficium, quia non videtur magnum malum, sed oportet considerare quid sequeretur, si hoc passim liceret fieri sive per dispensationem, sive alia quacumque via, sequeretur enim confusio, & perniciës rerum Ecclesiasticarum, & bonorum morum, ut constat. Et ideo si hoc alia ratione impediri non potest, nisi ista, ut omnino tollatur facultas dispensandi, hæc accipienda est.

Præterea considerandum est, quod ratio legis potest esse certa, & determinata, quia est in communi, & universali. Sed ratio legitima dispensandi in lege non potest esse determinata, quia est ex singularibus conjecturis, & circumstantiis, de quibus non potest haberi scientia, nec certitudo, ut Philosophus dicit: quia variantur in infinitum, & ideo oportet si dispensandum est, quod relinquatur arbitrio humano, quando, & quomodo: & cum sint tot rerum varietates, sæpe proponuntur circumstantiæ, quæ licet non sint sufficientes, sunt apparentes, vel verisimiles, & per consequens trahunt hominem ad dispensandum frequenter in lege, cujus tamen observatio est necessaria, & sic defraudatur intentio legis. Et præterea est magna improbitas hominum, qui nituntur in vetitum semper, cupiuntque negata, & concupiscunt: quia lex dicit: *Non concupisces*. Et Prælati, etiam Summus Pontifex errare potest in hujusmodi dispensationibus, ut in sexta propositione dictum est, & sunt infirmi ad resistendum ambitioni, & importunitatibus. Ideo si maneat licentia dispensandi in legibus pro suo arbitrio, periculum est manifestum, ne dispensationes fiant sæpius irrationabiliter, quam cum causa rationabili, cum magno detrimento Ecclesiæ, ergo si aliud remedium adhiberi non potest, quam hoc, hoc accipiendum est.

Præterea considerandum est, quod in moralibus non oportet multum considerare quid possit fieri: sed quid in rerum statu, & natura inveniatur, & contingat, & potius experientia tot annorum, quam argumentationibus standum est. Possent Judices esse fortes viri, ac ita justi, ut nullis muneribus corrumperentur, aut retraherentur à justitia: sed quia usu, & experientia compertum est, quod Judices accipientes munera, non rectè solent judicare, ideo generaliter prohibitum est munera accipere. Ita in proposito nos bene possumus philosophari, & imaginari, quod Summi Pontifices possent esse sapientissimi, & sanctissimi viri: & quod nunquam dispensabunt sine legitima causa: sed clamat experientia in contrarium; & videmus, quod nul-
lus

ius quarit dispensationem: quin obtineat: ergo desperandum est, si relinquuntur dispensationes arbitrio humano, quod solum fiet ex legitima causa, & quamvis sint multi summi Pontifices sapientes & sancti, unus potest omnia perdere & maximè quia summus Pontifex non potest examinare omnes causas obrutus gravissimis occupationibus spiritualibus, & temporalibus, & necesse habet mandare aliis curam, à quibus sæpe falli potest, etiam si fuerit B. Gregorius.

Et præterea dicit Aristot. 1. Rhetoric. & S. Thom. 12. q. 95. art. 1. ad 2. Quod omnia quæ possunt, debent lege determinari, & disponi, & quam paucissima relinquere arbitrio Judicis, cujus præcepti multas ponit rationes: sed potissima est, quia Legislatores fert leges in universali, & de futuris, nec tunc innititur, aut gratia amicorum, aut improbitate hominum, aut prece, aut pretio, sed solum respicit bonum reipublicæ, cui omnes favent. In casibus autem particularibus concurrunt multa, quæ possunt hominem ab æquo, & bono avertere. Et ideo multo liberior est ad ferendas leges, quàm ad judicandum. Item facilius est invenire paucos sapientes ad ferendas leges, quàm tot Judices. Item leges ponuntur ex magna consideratione, in particulari autem non vacat ita considerare. Ita est in proposito, leges Ecclesiæ feruntur cum assensu omnium, & à nemine impugnantur, aut contradicuntur, & sic sunt optimæ. Sed in dispensationibus concurrunt multa, quæ inducere possunt ad non rectè dispensandum: & ideo, optimum esset rescindere occasiones. Et adhuc ita loquimur, quasi cum magna difficultate fiant dispensationes, & oporteat adhibere magnas machinas ad extorquendam unam dispensationem, & non sint Romæ spectantes, an quis velit petere dispensationem omnium, quæ legibus sancita sunt.

Sed dicet aliquis: Videmus semper quod in literis Apostolicis dispensationum, semper profertur causa justa dispensationis: ergo si ita sit, quid opus est ista nova cautela?

Respondetur: Ego nullam dispensationem in particulari condemno, nec meum est, non judico alienum servum. Fortasse ita est, ut dicitur. Sed video duo: Primum, quod in fine anni sunt tot dispensationes factæ, ut nescio, an sint tot, qui legem servant. Quod, ut supra dictum est, etiam contra rationem dispensationis, quæ debet fieri, ut in paucioribus. Secundo video, quod omnes, qui petunt, afferunt dispensationes, quos omnes mirum est habere legitimas causas, ut cum eis dispensetur in impedimentis matrimonii, ætatis ad ordines, & irregularitatis, & pluralitatis beneficiorum. Itaque omnibus pensatis, videretur certè conducibile, ut hac ratione iretur obviam huic dispensationi legum optimarum, ut prohiberetur dispensatio absolutè. Quod si omnino videatur durum, & necessarium esse, ut omnis lex habeat aliquam exceptionem, nec aliqua lex humana sit omnino indispensabilis, hoc statuatur lege, in quo casu possit Papa dispensare, & terminetur in tali, & in tali, & non alias, & sic poterit fieri dispensatio sine violatione, & dissipatione legis. Sed tutius & justius videretur, ut fieret absolutè de aliquibus legibus.

Est præterea considerandum, quod (ut dictum est) bonum commune est præferendum bono particulari, & ideo cum lex lata sit propter bonum publicum, dato, quod ita esset, quod ex illa in casu particulari sequeretur detrimentum alicujus particularis, etiam ubi aliàs esset irrationabile non dispensare, tamen ferendum est propter conservationem boni communis, nec statim oportet occurrere ad dispensationes, quia dispensando in causis justis, aperitur janua ad dispensationes injustas. Circa quod optimè S. Thom. 12. q. 97. art. 4. ad 1. & q. 100. art. 8. dicit, quod nunquam dispensatio est facienda cum detrimento boni communis. Et 22. q. 88. art. 12. dicit, quod omnis dispensatio à Prælato debet fieri ad honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ. Et 12. q. 97. art. 4. ait quod qui dispensat, non habens intentionem ad bonum commune infidelis est. Ex quo patet, quod in dispensationibus non est legi-

tima causa, quæ solum respicit privatam utilitatem, & specialiter personæ privatae, sed debet potius habere respectum, an talis dispensatio vergat in bonum commune, vel è contrario. Unde cum aliqua leges sint ita graves, ita necessariae ad bonam gubernationem, & statum Ecclesiæ: si tamen contingat casus, ubi dispensatio videatur rationabilis, melius esset ut non dispensaretur, etiam ubi non esset dispensatio prohibita, ut præsuponimus in ista propositione 12. Exemplum est clarum, si ista lex, quod filii Clericorum non succedant parentibus in beneficiis, iudicatur esse necessaria in Ecclesia: dato quod sit aliquis talis filius, ita præditus omni virtute, & doctrina, ut omnino expediret ut succederet patri, & nullus alius sit ita idoneus, & possit hoc fieri non solum sine ullo scandalo, sed etiam ad gratiam totius populi: melius esset adhuc, ut non dispensaretur cum tali, ut tollatur spes aliis procurandi tales dispensationes.

Et demum cum ex duobus malis minus sit eligendum, ut in decretis 13. d. *Duo mala*. Et ut etiam ait Aristot. lib. 6. Top. Dato quod non dispensare in aliquibus casibus esset malum, tamen cum necesse sit, vel incidere in hoc malum, vel per hanc occasionem venire in majus malum, scilicet desolationem, & corruptionem legum necessariarum: melius est tolerare hoc primum malum, ut etiam cum aliquo detrimento numquam dispensetur, quam ut præmissa licentia dispensandi: fiat perniciēs morum & legum.

Si quis objiciat, quod hujusmodi decretum esset omnino novum, & numquam simile factum in aliquo Concilio œcumenico, ubi tamen fuerunt patres sapientissimi, sicque nullo modo deberet præsumi hoc inceptum in novo Concilio, quod certè ut sit celeberrimum, nunquam superabit auctoritatem & majestatem illorum antiquorum Patrum.

Ad hoc respondetur distinguendo tempora, ut dicunt Juristæ, & concordando jura. Tempore Conciliorum antiquorum erant Pontifices similes Patribus Conciliorum, quod ad retinendum, & revocandum

ab immoderata & effusa licentia dispensandi, non erat opus hujusmodi decreto: imò si bene revolvuntur jura & historiæ apud antiquos Patres, non præsumebant Pontifices decreta Conciliorum, ita faciliter & passim dispensare, sed tanquam oracula divina observabant: nec solùm non ita temerè, sed fortasse nec semel dispensabant contra statuta Conciliorum, maxime circa leges graviores, & paulatim ad hanc intemperantiam dispensationum deventum est, & ad hunc talem statum, ubi nec mala nostra, nec remedia pati possumus, & ideo necesse est aliam rationem excogitare ad conservandas leges. Da mihi Clementem, Linos, Sylvestros, & omnia permittam arbitrio eorum. Sed ut nihil gravius dicatur in recentiores Pontifices, certè multis partibus sunt priscis illis inferiores. Et hoc de 12. propositione.

Decimatertia propositio: * Tale decretum non debet apponi in multis legibus, sed solùm in paucis, hisque gravissimis & valde necessariis. Hæc patet: Primò, quia cùm Papa sit Pastor universalis, non debet limitari ejus autoritas sine urgenti necessitate aliàs fieret ei injuria. Item si hoc extenderetur ad multas leges, hoc iterum posset vergere in impedimentum administrationis Ecclesiæ, quia dispensationes aliquando sunt necessariae, ut dictum est. Item esset occasio, ut sub illo prætextu Papa contemneretur tanquam haberet manus ligatas, & sumerent licentiam aliqui ad rebellandum contra eum. Et tandem hoc non debet fieri, nisi solum in aliqua lege ita necessaria, ut ex ejus dispensatione immineret magna pernicies Ecclesiæ.

Sed restat magnum dubium, factò * tali decreto, 14 utrum si illo non obstante Papa dispensaret, teneret factum, dato quod malè faceret.

Sit decimaquarta propositio: Tale decretum non facit de per se, quod Papa non possit dispensare, sed solùm quod non liceat. Probatum primò, ut probatum fuit supra conclusione 3. 4. & 5. cùm potestas Papæ non sit à Concilio, sed à Christo, Concilium non potest

test coarctare auctoritatem papalem, aut limitare: ergo si posset dispensare sine tali decreto, posset etiam illoposito. Item quia (ut supra probatum est) Concilium nihil potest, quod Papa non possit, sed Concilium posset dispensare, non obstante proprio decreto: ergo etiam Papa. Item si illud decretum fieret ab uno summo Pontifice, alius sequens posset dispensare, quia par in parem non habet imperium: sed non habet majorem auctoritatem à Concilio, quàm à Papa, ut supra probatum est. Et Sylvestr. in verbo *Papæ*, §. 15. dicit secundum mentem S. Thom. quod Papa potest etiam sine causa dispensare in omni jure positivo, & etiam illud irritare. Itaque si irritaret, de facto nulla essent, & irrita: sed in hoc peccaret de quocumque statuto Concilii loquamur, ut probat Gloss. 1. cap. *Ubi periculum*, §. *Hoc sancto Concilio*, de Electione, de quo Panorm. in cap. *Significasti*, de Electione, & Joan. Andreas & alii.

Suppono autem, quod non valeat ista consequentia. Si Papa malè dispensat, ergo non valet illa dispensatio. Si enim sine causa dispensaret in gradibus prohibitis ad matrimonium de jure positivo, dispensatio teneret, & matrimonium sic contractum esset validum. Nec tamen volo dicere quod omnis dispensatio Papæ etiam in jure positivo valeat: sed dico, quod si non valet, hoc aliunde est, & non solum ratione juris positivi, ut infra dicemus.

Et si dicas, supra supponebamus, quod hæc questio procederet secundum utramque opinionem, scilicet si Papa sit supra Concilium, siue è contrario: ergo si non obstante tali decreto Concilii adhuc Papa possit dispensare, in quo salvatur ista superioritas Concilii supra Papam?

Respondeo: Satis est ad hoc, quod Papa teneretur, & male faceret contraveniendo decreto Concilii. Vel fortè diceretur, quod non potest tollere talem legem, & irritare, si Concilium prohibeat, sed potest dispensare: quia manente tali lege, spectat ad eum omnis actus jurisdictionis in Ecclesia, itaque si

Papa contra decretum Concilii institueret puerum in Episcopum, talis revera esset Episcopus, & haberet jurisdictionem.

Decimaquinta propositio: Eodem * modo sicut 15 Papa peccaret dispensans contra tale decretum etiam peccaret petens dispensationem, aut utens illa. Probatum primo: Quia consentit, imo eo ipso cooperatur peccato alterius: Et *non solum qui male faciunt, digni sunt morte, sed qui consentiunt facientibus.* (1) Item ille est occasio tantorum malorum, quæ ex hujusmodi dispensationibus sequuntur, ut supra ostensum est. Item isti etiam faciunt injuriam aliis, si eximant se à lege, aliis manentibus sub lege. Quemadmodum si rex exigeret tributum ab aliquibus civitatibus, & eximeret alias sine causa, non solum rex peccaret, sed etiam civitas illa, quod non subiret partem oneris. Non tamen volo dicere, quod si Papa mortaliter peccat dispensando irrationabiliter, quod etiam dispensatus utens dispensatione, nec etiam quod semper si Papa male dispensat, semper utens dispensatione etiam peccet: sed nolo etiam recipere universaliter opinionem Panor. & aliorum in cap. *Non est*, de Voto, quod dispensatus à Papa in quocunque jure positivo, etiam sine causa est tutus in conscientia. Quæ tamen potest esse vera, si intelligatur, quod est tutus, hoc est, quod factum per illam tenet etiam in conscientia. Non est autem universaliter vera, si intelligatur, quod semper talis sine peccato potest illa uti, ut si dispensetur cum Sacerdote, ut ducat uxorem.

Et probatur quia (ut supra arguebam) Papa peccaret dispensans secum sine causa legitima, quia in foro conscientiæ tenetur suis legibus, ergo non potest eximere alium plusquam seipsum quin peccet. Unde, & ipsemet Panor. confitetur, quod dispensatus ad plura beneficia sine causa non est tutus in conscientia. Et ita Joan. Andr. tenet in cap. *De multa*, de Præben. conformiter ad S. Thom. quotlib. 9. q. 7. licet hoc etiam non solum videatur contra jus positivum, sed contra jus naturale.

(1)
Ad Rom. 1.

Tamen contra conclusionem arguitur: Quia si Papa omnino irritaret aliquod jus positivum, etiam sine causa, & irrationabiliter faceret, non peccaret qui postea non servaret tale jus: ergo etiam si dispensat in illo, quia dispensatio est relaxatio juris circa istum, sicut irritatio circa omnes. Antecedens patet, quia certè si Papa tolleret abstinentiam carni in feria sexta, nullus peccaret, si vesceretur carnibus illis diebus, nec si tollat jura de impedimentis matrimonii.

Respondeo concedendo antecedens: quia revera nullus manet titulus obligationis, quia nec jure divino, nec positivo. Et nego consequentiam: & ratio est, quia manente jure in ordine ad alios, irrationabiliter facit, qui non vivit æquali jure cum aliis, atque ideo non omnino caret culpa, licet sæpe excusetur à mortali.

Sed restat grave dubium: Summus Pontifex dispensat in tali statuto, non obstante tali decreto prohibente, utrum subditi, ad quos spectat recipere, & parere tali dispensationi, teneantur, verbi gratia, si statuitur in Concilio, quod nullus ante ætatem viginti annorum possit habere beneficium curatum, & in hoc nunquam dispensetur, dispensat Papa cum puero, non solum contra decretum Concilii, sed etiam sine alia rationabili causa, an Parochia teneatur recipere illum, & dare illi decimas.

Dubium.

¶ Pro examinatione dubii est notandum, quod * dispensationes Pontificis sunt in duplici differentia. Quædam sunt omnino gratiosæ, gratiosas voco, quæ spectant solum ad gratiam, id est, beneficium dispensati, nec faciunt ad commodum, vel incommodum aliorum, ut dispensatio in jejuniis, & abstinentiis, & ætate ordinandorum, in impedimentis matrimonii, & similibus. Et in hujusmodi non est locus dubii: quia solum spectat ad ipsum dispensatio. Et tenet factum. Aliæ sunt dispensationes, quæ possunt spectare ad commodum, vel ad detrimentum aliorum, ut in exemplo posito, quod aliquis puer sit Parochus istorum, quod habeat beneficium & decimas sine residentia,

quod recipiat fructus præbendæ non serviens, quòd unctis habeat viginti beneficia. Ista enim sunt hujusmodi, quæ multum spectant ad jura communia, commoda, vel incommoda aliorum, & de hujusmodi vertitur in dubium, nec est facilis disputatio. Sed dicam, nihil omnino asserendo, sed proponendo solùm, quæ videntur probabiliora esse.

Decimasexta propositio: Non * spectat ad subdi- 17
tos determinare, aut examinare, quid possit Papa, aut quid non possit, & quomodo teneantur parere, vel non. Probatur: Quia sacrilegium est disputare de potentia Principis, & præcipuè Papæ 17. quæst. 4. §. *Committitur*, & sequent. Secundo: Quia hoc ipsum scilicet, determinare quæ sit potestas spiritualis alicujus, est jurisdic-
tio, & est pars gubernationis, quæ non spectat ad subditos, saltem erga superiores: ergo hoc non convenit illis. Tertio: Quia profectò hoc esset in turbationem & dissolutionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & authoritatis, si quilibet posset dicere, Papa non potest: & hoc modo eximeret se à mandatis Papæ, & esset manifestum nutrimentum inobedientiæ, & schismatum, & hæresum. Imò hinc natæ sunt hæreses, ut ait Cyprian. quod Sacerdoti Dei, vel Papæ non obedi-
tur, sed quilibet audet dicere, quòd Papa malefacit, & quod non potest facere: & ideo etiamsi Papa erraret, melius est ut in omnibus illi pareatur, quam per hoc, quòd unus habeat licentiam non parendi Papæ in uno casu forsam rationabili; dare occasionem, ut alii non pareant etiam in justis & honestis.

Decimasextima propositio: Non * semper manda- 18
tum Papæ, aut dispensatio obligat subditos ad parendum. Nec loquor hic in casu, quòd Papa aliquid præcipiat manifestè contra jus divinum: hoc enim fortè nunquam continget, nec contingit, nec esset dubium quòd non esset tunc parendum, sed extra talem casum. Probatur primò: Papa non habet majorem potestatem ad dispensandum, quàm ad ferendum leges: sed si ferret legem iniquam, & injustam, vel aliàs intolerabilem, & valde gravem, subditi non tenerentur parere: ergo
nec

nec etiam si dispensatio sit hujusmodi. Antecedens patet: Quia, sicut Sanctus Thomas optimè determinat 12. q. 96. art. 4. Lex non obligat subditos in foro conscientie nisi sit justa: ad hoc autem quòd sit justa, requiruntur tria, primum potestas in ferente, deinde finis, scilicet propter bonum commune, postremò forma, ut scilicet secundum æqualitatem proportionis imponat subditis leges onerosas. Et è contrariò sunt injustæ, vel ubi deest auctoritas, vel cum præses imponit onera subditis non pertinentia ad utilitatem communem, sed magis pro propria commoditate, vel cupiditate, vel gloria, vel etiam aliorum privatorum, vel etiam ex forma, cum inæqualiter onera dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune, vel etiam si faciat contra jus divinum. *Et ex quacunque causa lex sit injusta, non obligat*, inquit Sanct. Thom. *in foro conscientie, nisi fortè propter scandalum vitandum.* Quia sicut August. in lib. de Libero arbitrio ait: *Lex esse non videtur, que justa non fuerit.* Ergo si Papa legem aliquam injustam faceret ex aliqua prædictarum causarum, non tenerentur subditi parere. Ergo nec si dispensatio esset injusta ex aliqua tali causa: quia non potest magis gravare subditos per dispensationem, quam per leges. Et quòd non solum intelligat Sanctus Thomas, quando leges sunt contra jus divinum, patet illic, quia quatuor causas ponit, unde potest esse injusta: Et quarta est, si sit contra jus divinum, & tamen undecunque sit injusta, generaliter dicit, quod non obligat.

Et confirmatur. Quia lex civilis injusta non obligat, ergo nec Ecclesiastica. Antecedens patet, quia potestas Principum est à Republica, quæ non dedit eis potestatem ad gravandum subditos, sed ad conservandum. Consequentia autem probatur, quia certè absurdum esset dicere, quod habet majorem Papa auctoritatem ad nocendum, & gravandum subditos, quam secularis potestas, cum illi sit solùm data potestas ad pascendum. S. Thom. absolutè loquitur de omni lege humana injusta universaliter quæ sine distinctione: nec hoc potest esse dubium, quantum ad hoc idem sit judicium

(1)
Rom. c. 11.

cium de potestate Ecclesiastica, & civili, nec profusus habet ad hoc majorem auctoritatem Papa in spiritualibus, quam Rex in temporalibus: utraque enim potestas est à Deo. (1) Et confirmatur ex illo Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Ex quo patet, quod non habet à Deo potestatem decernendi nisi justa.

Secundò arguitur. Sententia injusta à quocumque sit lata, non obligat, ergo nec lex. Antecedens pronunc supponitur ex consensu omnium Doctorum. Quod si sit injusta secundum se, id est, non solum in forma procedendi: Scilicet, quia non tribuit unicuique quod suum est, sive Judex faciat ex malicia, sive ex falsa præsumptione, non obligat partes. Et certum est, quod si Papa ferret sententiam contra innocentem de pecunia, vel alia re, sive faceret certa scientia, sive ex falsa præsumptione: talis sententia non obligat. Et consequentia videtur nota: quare enim potius obligaret lex injusta, quam sententia, cum lex plus noceat?

Tertiò, lex injusta Episcopi non obligat, ergo nec Papæ. Antecedens est notum, & concessum ab omnibus. Et consequentia videtur nota, quia non habet majorem auctoritatem Papa ad inferendum injuriam, quam Episcopus. Circa ea enim, quæ sunt sui officii, & in proprios subditos non minus potest, quam Papa.

Quartò arguitur, deducendo ad manifestissima inconvenientia. Quis enim diceret, quod si Papa sine rationabili causa conderet legem quod Christiani loco decimarum solverent quintam, aut quartam partem fructuum, quòd obligarentur Christiani illa lege? Vel si arrogaret sibi sicut annatas Episcopatum, ita etiam medietatem omnium fructuum Ecclesiasticorum, vel alias peiores leges faceret: in his enim agitur de jactura temporalis; peior autem est jactura spiritualis, ergo.

Nec sufficit respondere, quòd Papa non facit hujusmodi: hoc enim est loqui de facto, de quo non disputatur.

Sed quid juris si faceret? Ego pro certo habeo, quod omnes leges injustæ, etiam Papæ, non obligant in foro conscientiæ. Quod si ita est, quare dispensatio-

tiones injustæ, & in gravamen aliorum obligabunt? Item potestas Papæ est ad ædificandum, non ad dissipandum. Sed huiusmodi dispensationes sunt ad dissipandum, non ad ædificandum: ergo non sunt recipiendæ. Item Doctores dicunt, quod in concernentibus universalem statum Ecclesiæ, non potest Papa disponere contra statutum Concilii generalis, ut in cap. *Litteras*, de restit. spol. & notat Abbas in eodem tit. cap. *Significasti*. Et Innocen. in cap. *Quanto*, de consuet. & maxime ubi Ecclesia decoloraretur: ergo in tali casu subditi non tenentur parere, etiam si solum ageret contra jus positivum.

Et omnia hæc confirmantur: Quia Papa non est dominus Ecclesiæ, nec bonorum ejus, hoc enim est generaliter omnibus Prælati prohibitum. Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Matth. 20. & Marc. 10. (1) Et 1. Petri. 5. *Non dominantes in clerum, sed forma facti gregis.* (2) Et Paul. (3) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo non potest disponere pro arbitrio, sed secundum quod est expediens Ecclesiæ.

(1)
Matth. 20.
& Marc. 10.
(2)
1. Petri. 5.
(3)
1. Ad Cor. 4.

19 Decima octava propositio: Facta * tali declaratione, & decreto Concilii, si ut dictum est in 10. conclusione Papa dispensaret, subditi non tenentur parere tali dispensationi. Probat: Quia ex 3. conclusione si lex aut dispensatio injusta non obligat subditos ad parendum, ergo licet non expectet ad subditos hoc judicare (ut dictum est in 16. conclusione) tamen postquam Concilium hoc declarasset, non tenerentur subditi parere. Itaque si Concilium determinat, quod dispensatio cum pueris ad Episcopatum est perniciosa Ecclesiæ, & prohiberet ne unquam in hoc dispensaretur: si hoc non obstante, Papa mitteret puerum pro Episcopo, non tenerentur subditi recipere illum, nec obedire.

20 Decimanona propositio: Papa * non deberet ægrefcere, sed potius gaudere, quod fieret aliquod tale decretum. Probat hæc propositio. Si justum est, & expediens, ut supra probatum est, cum Papa debeat pro-

procurare omne commodum Ecclesiæ: ergo de hoc debet gaudere. Item, quia in hoc nullo modo læditur auctoritas illius: Non enim prohibetur talis dispensatio tanquam inferiori, nec quod non liceret ei dispensare, vel non posset: nec est propter defectum auctoritatis, quam habet amplissimam, & à nullo limitabilem, sed propter materiam ipsam, quæ non recipit dispensationem sine magno malo Ecclesiæ. Sicut qui negat eum posse dispensare in voto solemnè, nec etiam in aliis votis sine rationabili causâ, nihil derogat auctoritati ipsius: sicut nec auctoritati divinæ, qui negat posse creari infinitum, aut posse mentiri, & similia. Item si Concilium retineret sibi auctoritatem dispensandi, & negaret Papæ posset merito conqueri: sed nec ita est faciendum, sed absolutè, quod à quocumque non fiat dispensatio. Item, quia, ut dicunt Juristæ, exceptio firmat regulam in contrarium, & sic fit dum excipiuntur paucissimi casus, fit regula, quòd in omnibus aliis pareatur Papæ. Item hac ratione vitant Pontifices improbitates, & molestias principum, qui solent instare odiosissimè pro dispensationibus absurdis prorsus, & irrationabilibus, quibus est difficile Papam negare aliquid, nec principum solum, sed hominum etiam insolentium, qui omnia se posse consequi sperant Romæ, & vel pertrahunt Pontifices in suam voluntatem, vel sunt graves, & importuni Pontificibus, à quibus essent liberi per aliquod tale decretum: & deberet Papa dicere: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: & Omnia possum, sed non omnia edificant.* Et (quod certè non est contemnendum) tolleretur scandalum, & sermones multorum, qui male sentiunt, & loquuntur de Romana Curia, hac una occasione hujusmodi dispensationum.

Sed restat dubium, si ita est, quòd subditi non tenentur parere hujusmodi dispensationibus, qua via possit resisti mandatis Papæ, si fortè velit cogere ad parandum.

Respondeo, & sit 20. propositio. Non * videtur mihi quòd expediat, nec liceat resistere mandatis Papæ per viam appellationis ad futurum Concilium. Bene scio quòd

quod Panorm. & Gerson & Ocham, defendunt, quod licet appellare à Papa ad Concilium: sed illi (ut supra dixi) sunt plurimum infesti authoritati Summorum Pontificum. Et sic probatur breviter ex cap. *Ipsi sunt*, 9. q. 3. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa verò nunquam prorsus appellari debere sanxerunt, & eadem quæst. cap. *Nemo*.

Nec valet responsio, id est à nullo alio Prælato: & nunquam, id est à nulla particulari Ecclesia: quia de hoc nunquam fuit quæstio. Sed quia de hac re sunt multæ quæstiones, & contentiones, volo extendere probationes. Certè si in aliquo casu licet appellare ad Concilium, nescio quare non in omni casu, ubi Pontifex facit injuriam, imò ubi est dubium, utrum faciat.

Et arguitur sit: Vel appellatio à Summo Pontifice ad Concilium est de jure divino, vel de jure positivo: si est de jure divino, & jus divinum non distinguit in causa graviore vel leviori, si licet in aliqua causa appellare, ergo in qualibet quantuncumque levi. Si autem est de jure positivo, primum nullum tale jus profertur, ubi talis appellatio concedatur, nisi fortè in aliquo Concilio novo, & schismatico, vel dubio, quale fuit Basiliense. Nec authoritas Glossæ vel Panormitani hoc tenentium est alicujus momenti sine confirmatione juris. Si hoc non est de jure divino, sed de jure positivo, & si est aliquod tale jus, nunquam distinxit inter causam, & causam: unde nullo modo consequenter loquuntur Doctores, qui concedunt quod in causis gravissimis à Papa potest appellari, non autem in aliis.

Et dico non esse appellandum, etiam si teneamus, quod Concilium est supra Papam. Quamvis enim ita sit, tamen cum sit Papa, oportet quod ultima decisio causarum spectet ad eundem. Et confirmatur: Quia à Rege non est appellatio: sed non est neganda tanta authoritas Papæ in spiritualibus, quanta Regi in temporalibus datur, ergo.

Sed dato quòd secundùm se liceret appellare, dico quòd non expedit. Primò hoc probatur experientia, & exemplis, quæ in moralibus faciunt magnam probationem. Omnes enim appellationes hæcenus factæ ad Concilium, male cesserunt, & tandem devenerunt in schisma aliquod, vel etiam hæresim. Secundò, quia hoc esset magna occasio turbationis in Ecclesia: primum, quia si Papa timeret ne facta ejus deberent rescindi in Concilio, nunquam vellet congregare Concilium cum magna jactura profectò rerum Ecclesiasticarum: & congregare sine illo, vel non licet, vel esset valde difficile. Semper enim erunt aliqui, imò major pars, qui velint sequi partes Pontificis, & unus Princeps favoriseret Concilio, alius Pontifici, & sic nihil pacificè, nec ad utilitatem Ecclesiæ posset fieri: imò essent multo majores turbationes, ut experientia compertum est. Et ab eo tempore, quo propter novas opiniones Doctorum Pontifices inceperunt timere Concilia, Ecclesia manet sine Conciliis, & manebit cum magna calamitate, & pernicie Religionis.

Vigesimalima propositio: Non * videtur permit- 22
tendum cuicumque privato, sua autoritate resistere, & non parere mandatis Pontificis, quantuncumque essent contra determinationem Concilii. Probatur: Quia esset magna irreverentia, & quasi contemptus summæ autoritatis, si cuilibet hoc concederetur respectu Papæ: quod non licet in ordine ad Episcopum, à cujus mandato, quantuncumque injusto, non licet propria autoritate discedere.

Vigesimalima propositio: Facta * tali declaratio- 23
ne, & Decreto Concilii, si Papa contrarium mandaret, possent vel Episcopi, vel Concilium Provinciale per se resistere tali mandato, vel etiam implorare Principes, ut autoritate eorum resisterent Summo Pontifici, impediendo executionem mandatorum ejus. In ista conclusione erat tota difficultas, & propter quam tota disputatio est exorta. Hæc conclusio primò tenendo, quòd Concilium est supra Papam, non indiget nova probatione; & ita tenentes illam partem, non revo-
ca-

carent in dubium. Sed quia, ut supra diximus, hic procedimus secundum utramque opinionem, simpliciter probatur conclusio. Et primum quod mihi fecit animum tenendi hanc sententiam, fuit, quòd Doctores egregii, & aliter magni defensores authoritatis Pontificiæ, etiam in ordine ad Concilium tenent expressè hanc sententiam. Unde Cajet. in ipso opere, in quo tenet superioritatem Papæ supra Concilium, cap. 27. dicit post alia: *Resistendum est ergo etiam in faciem Papæ publicè dilaniantis Ecclesiam: verbi gratia, quia non vult dare Beneficia Ecclesiastica, nisi pro pecunia, aut commutatione officii, & cum omni obedientia, & reverentia neganda est possessio talium beneficiorum iis, qui emerunt.* Et Sylvest. in verbo *Papæ §. 4.* *Quid autem, inquit, faciendum est quando Papa suis moribus Ecclesiam destruit?* Et 15. dicit: *Quid si Papa sine causa vellet abrogare jus positivum?* Respondet: *Peccaret quidem, nec esset permittendum, nec ei obediendum in malis, sed resistendum per honestam reprehensionem. Unde si vellet totum thesaurum Ecclesiæ, aut patrimonium Petri dare parentibus, vel ejus Ecclesiam destruere, vel hujusmodi, non esset permittendum, sed resistendum. Et ratio est: Quia in destruendo nihil potest, & si de destructione constat, potest resisti.*

Ex istis omnibus habetur, quod ubi mandata, vel facta Papæ essent in destructionem Ecclesiæ, potest ei resisti, & impediari executio mandatorum: ergo si jam constet ex determinatione Concilii, quòd hujusmodi dispensationes sint in destructionem Ecclesiæ, poterunt gubernatores ipsius Ecclesiæ, & Principes resistere in his.

Secundo probatur: Quia vim vi repellere licet jure naturali. Sed Papa infert vim hujusmodi mandatis, & dispensationibus, quia facit injuriam, ut supra probatum est: ergo licitum est resistere illi. Unde, ut dicit Cajetanus, omnia ista loquimur, non quòd aliquis posset esse iudex Papæ, nec authoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis: cuiuslibet enim est jus ad resistendum injuriæ, & impediendum, defendendumque.

Sequitur corollarium: Quòd non solum liceret non parere talibus mandatis, sed etiam facto, & vi, si opus esset, resistere illis, & impedire armis executionem illorum mandatorum, & maximè intercedente publica auctoritate, ut principis, & comprehendere, & punire executiones talium mandatorum, semper tamen servato moderamine inculpatæ tutelæ, non excedendo reverentiam, nec negando aliquo pacto auctoritatem illius, sed solum allegando, quòd hoc est injustum, & in detrimentum Ecclesiæ. Et confirmatur totum hoc: Quia profectò tyrannicum est dicere, quòd Summus Pontifex habeat majorem auctoritatem ad gubernandum Ecclesiam in hac parte, quàm Rex ad gubernandam civitatem, & Rempublicam temporalem: sed si Rex faceret graves injurias, posset ei resisti, non solum verbis, & jure, sed etiam facto: ergo etiam Papæ.

Vigesimatertia propositio: Propter * injustas dis-²⁴ pensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari, & congregari Concilium generale contra voluntatem Papæ, ut ei resisteret, obviaretque ejus insolentiæ. Hoc expressè tenet Sylvest. in verbo *Papa* §. 4. Quòd si Papa suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, & Deus invocetur, & resistendo, in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecrem. assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. cap. 10, ubi loquens de utilitate Conciliorum: *Celebratio*, inquit, *Conciliorum utilis est ad refrenandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum aut extra Sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate debonestant. Hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italia, Romæ, per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator, lubricus, & incorregibilis erat. Quòd factum laudat, & approbat Turrecrem. & hoc est valde utile. Ut enim ait Hormisda Papa in Epistola ad Episcopos per Hispaniam constitutos: Difficile est, ut cujusque*

eor sic pravis cogitationibus induretur, ut in se patiantur culpandus fieri, cum noverit se iudicio subdendum Concilii. Unde etiam confirmantur quæ supra dicta sunt. Nihil enim prodesset congregatio Concilii, nisi sua auctoritate posset determinare, quibus in rebus Pontifex non debet, nec possit attentare contra Patrum decreta, & sanctiones.

- 25 Vigesimaquarta propositio: In * omnibus supradictis cavendum est maximè à duobus. Primum, ut quantum fieri possit, tervetur semper illibata auctoritas, observata reverentia quæ debetur Papæ: quia ejus contemptus, vel contumelia, vel quæcunque irreverentia, vergit in dehonestatem Ecclesiæ: unde oportet ut habeatur in summo honore etiam à summis Principibus. Et si semel inciperet sperni ejus auctoritas, tota Ecclesia laboraret schismatibus, & factionibus. Quare etiam in Concilio si aliquod tale decretum faciendum esset, oporteret ut quàm modestissimè loqueretur de auctoritate & persona Papæ, ut puta, sub hac forma. Quamvis hactenus summi Pontifices moti probabilibus apparentibus causis dispensaverint, ut aliquis plura beneficia possit obtinere, vel ut aliquis regressum habeat ad aliquod beneficium vivente adhuc legitimo possessore: tamen quia hoc usu & experientia compertum est vergere in magnam confusionem Ecclesiæ, & perniciem Ecclesiarum, prohibemus omnino, ne posthac cum aliquo quacumque occasione, vel merito super hoc dispensetur. Quod si secus factum fuerit, sacrum Concilium existimaturum est summum Pontificem contra suam dignitatem & officium, & contra sacrum Concilium, atque adeò contra Christi honorem fecisse. Per quam quidem sanctionem non intendimus summæ auctoritati, & dignitati quicquam derogare, nec ejus potestatem aliquo pacto limitare: sed declaramus hoc esse necessarium ad rectam, & piam administrationem Ecclesiæ, ne posthac summorum Pontificum in hac re, sua auctoritate abutantur, sub hac forma, vel alia commodiori, posset proponi decretum ad reme-

mediam & salutem Ecclesiæ sine offensione Pontificis, secundum quod maximè etiam caveri debet in hac re est scandalum: primum in ipso decreto faciendo, ne forte summus Pontifex indignatus de hoc Concilio, & repugnans ne hoc decernatur, turbet totum Concilium, & impediatur alia commoda, quæ à Concilio fieri possunt, & dividatur Concilium in schisma, & factiones. Sed deinde debet valde caveri ab scandalo, si forte Papa negligat hujusmodi decretum Patrum: & oporteat illi resistere. Debet enim valde animadverti, ne hoc fiat cum scandalo, & inde oriatur majus malum, & ne si semel detur licentia principibus resistendi, & non parendi Pontifici in aliquo, ipsi accipiant in aliis, ubi minimum expediat.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA.

DE INDIS RECENTER INVENTIS.

RELECTIO PRIOR.

LOCUS RELEGENDUS EST

ex Matth. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. cap. ult.

S U M M A.

1. *Dubius in rebus ut sit tutus in conscientia, quomodo debeat consulere illos, ad quos spectat hac docere.*
2. *Dubius in rebus, post consultationem rei dubie debet sequi sententiam sapientum alias non erit tutus.*
3. *Dubius in rebus, si post consultationem rei dubie diffiniatur à sapientibus illud esse licitum, quod alias est illicitum, ut sit tutus in conscientia, an debeat sequi sententiam illorum.*
4. *Indi barbari, utrum essent veri domini ante adventum Hispanorum privatim, & publicè. Et utrum essent inter eos aliqui viri principes, & domini aliorum.*
5. *Error quorundam recensetur, qui dicebant, nullum in peccato mortali existentem habere dominium in quacumque re.*
6. *Peccatum mortale non impedit dominium civile, & verum dominium.*
7. *Dominium, utrum perdatur ratione infidelitatis.*

8. Hereticus, jure divino non amittit dominium bonorum suorum ob hæresim commissam.
9. Hereticus, an de jure humano perdat dominium bonorum suorum.
10. Hereticus à die commissi criminis incurrit pœnam confiscationis bonorum.
11. Hereticarum bona non licet fisco occupare ante condemnationem, quamvis de crimine constet.
12. Condemnatione facta etiam post mortem heretici retro agitur bonorum confiscatio ad tempus commissi criminis ad quamcumque pervenerit potestatem.
13. Heretici venditiones, donationes, & omnis alia alienatio bonorum à die commissi criminis, sint invalida, &c.
14. An hereticus sit dominus bonorum suorum in foro conscientia antequam condemnetur.
15. Hereticus, licitè potest vivere ex bonis suis.
16. Hereticus titulo gratuito potest transferre bona sua, puta donando.
17. Heretico non licet titulo oneroso, puta vendendo, aut dando in dote, bona sua transferre, si crimen posset venire in iudicium.
18. Hereticus in quo casu etiam titulo oneroso posset bona sua licitè alienare.
19. Barbari, nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediuntur quin sint veri domini tam publicè, quam privatim.
20. Domini ut quid sit capax, an usus rationis requiratur.
21. Puer, an possit esse dominus ante usum rationis.
22. Amens, an possit esse dominus.
23. Barbari, amentia prætextu non impediuntur esse veri domini, cum non sint amentes.
24. Indi barbari antequam Hispani ad illos venissent erant veri domini, & publicè & privatim.

(1)
March. ult.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. (1)
In hunc locum movetur quæstio: An liceat bapti-

zare filios infidelium invitis parentibus. Quæ quæstio tractatur à Doctoribus 4. Sententiar. dist. 4. & à sancto Thom. 22. q. 10. art. 12. & 3. part. q. 68. art. 10. Et tota disputatio & relectio suscepta est propter barbaros istos novi orbis, quos Indos vulgo vocant, qui ante quadraginta annos venerunt in potestatem Hispanorum, ignoti prius nostro orbi. Circa quos præsens disputatio habebit tres partes. In prima tractabitur quo jure venerint barbari in ditionem Hispanorum. In secunda, quid possint Hispanorum Principes erga illos in temporalibus, & civilibus. In tertia, quid possint vel ipsi, vel Ecclesia erga illos in spiritualibus, & in spectantibus ad Religionem, ubi respondebitur ad quæstionem propositam.

Quoad primam partem, ante omnia videtur, quod tota hæc disputatio sit inutilis & otiosa, non solum inter nos, ad quos non spectat, aut si omnia recte geruntur in administratione illorum hominum disputare, aut dubitare de illo negotio, aut si quicquam forte peccatur, illud emendare, sed etiam apud eos, quorum interest hæc considerare & administrare. Primo, quia neque Principes Hispanorum, neque qui eorum consiliis præpositi sunt, tenentur de integro examinare & retractare jura, & ritulos, de quibus aliàs deliberatum est, & decretum maximè in his quæ bona fide Principes occupant, & sunt in pacifica possessione. Quia, ut Aristot. dicit 3. Ethicor. si semper quispiam consultaverit, in infinitum res abiret, neque possent Principes, & aliorum Consilarii esse securi, & certi in conscientia sua: & si oporteret à primordio repetere titulos suæ ditionis, nihil exploratum possent tenere. Et præterea cum Principes nostri, scilicet Ferdinandus, & Isabella, qui primi occupaverunt regiones illas, fuerint Christianissimi, & Imperator Carolus Quintus sit Princeps justissimus, & religiosissimus: non est credendum quin habeant exploratissima & exquisitissima omnia quæ expectare possunt ad securitatem sui status, & conscientiæ, maximè in tantâ re: atque adeo non solum supervacaneum, sed etiam te-

Objicitur quod hæc disputatio sit inutilis.

merarium videri potest de his disputare, & hoc videtur esse quærere nodum in scyrpo, & iniquitatem in domo iusti.

Resp. ad objectionem.

Pro solutione hujus objectionis est considerandum, quod Aristot. dicit 3. Ethicor. quòd sicut consultatio, & deliberatio non est de rebus impossibilibus, aut necessariis, ita nec consultatio moralis est de illis, de quibus certum & notum est esse licita & honesta, neque è contrario, de quibus certum, & evidens est esse illicita, & inhonesta. Neque enim quisquam rectè consultaverit, an temperatè, fortiter, justè vivendum sit, vel injustè, aut turpiter agendum, neque an adulterandum, an pejerandum, an colendi parentes, & cætera hujusmodi. Certè non esset consultatio Christiano digna: sed cum aliquid agendum proponitur de quo dubitari meritò potest, an sit rectum, vel pravum, justum, an injustum, de his expedit consultare, & deliberare, neque prius temerè aliquid agere, quam sit inventum & exploratum, quid liceat, aut non liceat. Talia sunt quæ in utramque partem habent speciem boni & mali, qualia sunt multa genera commutationum, & contractuum, & negotiorum.

Et in his omnibus ita res se habet, quòd si quis antequam deliberaverit, & legitimè illi constiterit tale factum licitum esse, aliquid tale faceret, & fortè secundum se esset licitum: talis peccaret, neque excusaretur per ignorantiam: cum illa, ut patet, non esset invincibilis, postquam ille non facit quod in se est, ad examinandum quid liceat, aut non liceat. Ad hoc enim, ut actus sit bonus, oportet si aliàs non est certum, ut fiat secundum diffinitionem, & determinationem sapientis. Hæc enim est una conditio boni actus 2. Ethicor. atque adeò si iste non consuluit sapientes in re dubia, excusari non potest. Imò dato quod talis actus secundum se licitus esset, postquam dubitatur merito de illo, tenetur quilibet consultare & arbitrio sapientum facere, etiam si fortè illi errarent. Unde si quis contractum, de quo inter homines dubitatur, an sit licitus necne, faceret sine consilio Doc-

torum, sine dubio peccaret, etiamsi aliàs contractus esset licitus, & ipse ita putaret, non ex autoritate sapientis, sed ex sua affectione, & sententia. Et eadem ratione si quis in re dubia consuluit sapientes, & illi determinaverint illud non licere: si talis proprio iudicio faceret aliquod tale, peccaret, etiamsi aliàs illud in se esset licitum. Ut si quis exempli gratia esset dubius, an hæc sit uxor sua, consultat, an teneatur reddere debitum, vel utrum liceat, vel etiam exigere: respondetur à Doctoribus, quòd nullo modo licet, ipse autem ex affectu uxoris, vel propria cupiditate, non credit, sed putat sibi licere, certè peccaret accedens ad uxorem, quamvis de se licitum esset, sicut revera est, quia talis facit contra conscientiam, quam tenetur habere. Tenetur enim credere in his quæ spectant ad salutem, his, quos Ecclesia posuit ad docendum: & in re dubia arbitrium illorum est lex. Nam sicut in foro contentioso Judex tenetur iudicare, secundum allegata, & probata: ita in foro conscientie quilibet tenetur iudicare, non ex proprio sensu, sed vel per rationem probabilem, vel per autoritatem sapientium, aliàs est temerarium iudicium, & exponit se periculo errandi, & hoc ipso errat. Sicut enim in veteri Testamento Deuter. 17. præcipiebatur. Si quid esset ambiguum *inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium*, ait Dominus, *intra portas tuas videris verba variare: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicium veritatis, & facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco, sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dextram, neque ad sinistram.*

Ita, inquam, in rebus dubiis tenetur quilibet consulere illos, quos Ecclesia ad hoc constituit, quales sunt Prælati, Prædicatores, Confessores, divinæ & humanæ legis periti. Sunt enim in Ecclesia alii oculi, alii pedes, &c. (1) *Et ipse dedit quosdam Apostolos, alios Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et

(1)

1. Cor. 12.
& Ephes. 4.

(1)
Mattah. 23.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei, omnia quaecumque dixerint vobis, servare, & facite. (1)
Et facit etiam præceptum Aristot. 1. Ethicor. ex Hesiodo.

*At qui ex se nescit, cuiquam neque porrigit aures.
Ut bona percipiat: demens & inutilis ille est.*

Itaque non satis est ad securitatem vitæ & conscientiæ, ut quis putet se bene agere: sed in rebus dubiis necesse est ut aliorum, ad quos spectat, auctoritati nitatur. Nec enim negotiatoribus satis est, ut nihil faciant, quod ipsi illicitum putent, si aliàs sine consilio peritorum illicitos contractus faciant.

Unde non puto verum quod Cardin. Cajet. dicit, quòd si revera aliquid secundum se est licitum, si veniat in dubium, quamquam Prædicatores, aut Confessores, qui aliàs habent auctoritatem judicandi in istis, dicant illud esse illicitum, vel veniale dicunt esse mortale: qui ex affectu ad rem non credit illis, sed format sibi conscientiam, quòd non est mortale, non peccat. Exemplum ponit, ut quòd sceminae utantur fuce, & aliis ornamentis superfluis, quòd revera non est mortale, dato quòd Prædicatores & Confessores dicerent esse mortale: si scemina ex studio se ornandi non credit, sed putat vel esse licitum, vel non esse mortale, non peccat mortaliter ita se ornando.

Hoc inquam periculosum est. Nam scemina tenetur credere peritis in his quæ sunt necessaria ad salutem, & exponit se periculo faciens contra illud, quòd secundum sententiam sapientum est mortale. Et è contrariò in re dubia si quis deliberavit cum sapientibus, & accepit determinationem, quòd illud est licitum: talis est tutus in conscientia, quousque fortasse iterum fit admonitus, vel tali auctoritate, vel hujusmodi rationibus, quibus meritò debeat moveri ad dubitandum, vel etiam credendum contrarium. Hoc est notum, quia facit quòd in se est, & sic ignorantia est invincibilis.

Ex his ergo consiciuntur propositiones.

- 1 Prima: In * rebus dubiis quilibet tenetur consulere illos ad quos spectat hæc docere, aliàs non est tutus in conscientia, siue illa dubia sint de re in se licita, siue illicita.
- 2 Secunda: Si * post consultationem rei dubiæ definitum sit à sapientibus illud esse illicitum, quilibet tenetur sequi sententiam illorum, & contrarium faciens non excusatur, etiam si aliàs illud esset licitum.
- 3 Tertia è contrariò: Si * post consultationem rei dubiæ definitum sit à sapientibus illud esse licitum, qui sequitur sententiam illorum, est tutus, etiam si aliàs sit illicitum.

Ergo redeundo ad propositum negotium barbarorum, nec est de se ita evidenter injustum, ut non possit disputari de justitia illius: nec rursus ita evidenter justum, ut dubitari non possit de injustitia illius: sed in utranque partem videtur habere speciem. Nam primum cum videamus totum illud negotium administrari per viros, & doctos, & bonos, credibile est rectè, & justè omnia tractari. Deinde cum audiamus tot hominum cædes, tot spolia hominum alioqui innoxiorum, deturbatos tot dominos possessionibus, & ditionibus suis privatos, dubitari meritò potest jure an injuria hæc facta sint: & sic hæc disputatio non videtur omnino supervacanea. Et per hoc patet responsio ad objectionem. Et præterea, dato quod nullum esset dubium in tota hac quæstione, non est novum disputationes theologicas institui de re certa. Nam, & disputamus de Incarnatione Domini, & aliis articulis fidei. Non enim semper disputationes theologicæ sunt in genere deliberativo. Sed pleræque in genere demonstrativo, id est non ad consultandum, sed ad docendum susceptæ.

Quòd si quis occurrat dicens: Licet aliquando fuerint aliqua dubia circa hoc negotium, fuerunt tamen jam hæc tractata, & definita à sapientibus, & sic ex consilio eorum jam omnia administrari, nec opus esse nova examinatione.

Respondetur primum, si ita est benedictus Deus, nec nostra disputatio quicquam obstat, neque ego mo-

Dubium principale.

Occurritur objectioni.

vere volo novas querelas. Secundo dico, quòd hæc determinatio non spectat ad Jurisconsultos, vel saltem non ad solos illos. Quia cum illi barbari, ut statim dicam, non essent subiecti jure humano, res illorum non sunt examinandæ per leges humanas, sed divinas, quarum Juristæ non sunt satis periti, ut per se possint hujusmodi quæstiones diffinire. Nec satis scio, an unquam ad disputationem, & determinationem hujus quæstionis vocati fuerint Theologi digni, qui audiri de tanta re possent. Et cum agatur de foro conscientia, hoc spectat ad Sacerdotes, id est ad Ecclesiam, diffinire. Unde Deuter. 17. præcipitur Regi, ut accipiat exemplar legis de manu Sacerdotis. Tertiò, ut summa rei sit satis examinata, & certa, nonne in tanto negotio possunt alia peculiariora dubia occurrere, quæ merito disputari possent? Itaque non solum non otiosum aliquod, & inutile, sed magnum operepretium me facturum putarem, si hanc quæstionem pro dignitate possem tractare.

Quest. 1.

Redeundo ergo ad quæstionem, ut ex ordine procedamus, quæritur primò, utrum * barbari isti essent veri domini ante adventum Hispanorum, & privatim, & publicè: id est utrum essent veri domini privatarum rerum, & possessionum, & utrum essent inter eos aliqui viri Principes, & domini aliorum. 4

Argum. pro
parte negat.

Et posset videri quòd non. Quia servi non habent dominium rerum: servus enim nihil suum habere potest. *Institut. per quas person. nobil. acquirere liceat. §. Item vobis.* Et, *ff. de acquirend. hered. l. Placet.* Unde quicquid acquirit dominio acquirit. *Institut. de his qui sunt sui, vel alien. jur. §. Nam apud omnes.* Sed barbari isti sunt servi: ergo. Probatum minor. Nam ut Arist. (1) eleganter, & accuratè tradit, aliqui sunt natura servi quibus, scilicet melius est servire, quàm imperare. Ii autem sunt, quibus ratio non sufficit ad regendum etiam seipsos, sed solum ad jussa capescendum, & quorum vis magis in corpore est quàm in animo. Sed profectò si aliqui tales sunt, maximè isti barbari, qui revera parum distare videntur à brutis ani-

(1)

1. Politic.

ani-

animantibus, & omnino sunt inhabiles ad regendum: Et sine dubio melius est illis ut regantur ab aliis, quam ut se ipsos regant. Et Arist. dicit justum naturale esse, ut tales serviant: ergo tales non possunt esse domini.

Nec obstat, quod ante adventum Hispanorum non haberent alios dominos: non enim repugnat, servum esse sine domino. Ut notat Gloss. in *l. Si usum fructum, ff. de liberali causa*. Imò habetur expressè in ipsa lege, & est casus expressus in *l. Quod servus*, de serv. stipulat. de servo, qui à domino relictus est, & à nullo occupatus, quod potest à quocumque occupari: Si ergo erant servi, potuerunt ab Hispanis occupari.

In contrarium est: Quia illi erant in pacifica possessione rerum, & publicè, & privatim: ergo omnino (nisi contrarium constet) habendi sunt pro dominis, neque in dicta causa possessione deturbandi.

Argum. pro parte affirm.

Pro solutione nolo revocare in propositum multa, quæ à Doctoribus traduntur in definitione, & distinctione dominii, quæ à me etiam latè adducta sunt in materia de restitutiane, 4. dist. 15. & 2. 2. q. 62. Illa inquam, prætereo, ne occasione illorum omitam magis necessaria.

Et ideo his prætermisissis notandum, quod si barbari non haberent dominium, non videtur quod possit prætendi alia causa, nisi vel quia sunt peccatores, vel quia infideles, vel quia amentes, vel insensati.

5 Fuerunt * ergo aliqui, qui defendebant, quod titulus dominii est gratia, & per consequens quod peccatores, saltem in mortali peccato existentes, nullum habent dominium in quacumque re. Iste fuit error pauperum de Lugduno, sive Valdesium, & postea Joannis Wicleff. Cujus unus error damnatus in Concilio Constantiense fuit: *Nullus est dominus civilis, dum est in peccato mortali*. Eadem fuit sententia Armachani lib. 10. de quæst. Amer. c. 4. & in dialogo. *Defensorium pacis*. Adversus quem scripsit Wald. tom. 1. de Antiq. lib. 3. cap. 82. & 83. Et tom. 2. cap. 3. Probat Armac. quia tale dominium reprobatur à Deo. *Osee 8. Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cog-*

Errorer quidam referuntur.

Offex 8. novi. (1) Et sujungitur causa: *Argentum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent, &c.* Et ideo, inquit, tales carent iusto dominio apud Deum. Certum est tamen omne dominium esse auctoritate divina, cum ipse Deus sit creator omnium, neque aliquis possit habere dominium, nisi cui ipse dederit. Non est autem consentaneum, ut det inobedientibus, & transgressoribus preceptorum suorum: sicut & Principes humani non dant sua bona, ut villas, aut castra rebellibus, & si dederint, auferunt. Per humana verò debemus judicare de divinis. Rom. 1. ergo Deus non concedit dominium inobedientibus. Unde in signum hujus Deus aliquando tales projicit à principatu, ut Saulem. 1. Reg. 15. & 16. & de Nabuchodonosor, & Balthasar, Daniel. 4. & 5. Item Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, &c.* (2) Apparet ergo quod dominium fundetur in imagine Dei, sed hæc non est in peccatore, ergo non est dominus. Item talis committit crimen læsæ Majestatis, ergo meretur perdere dominium. Item August. dicit, quod peccator non est dignus pane, quo vescitur. Item Dominus dederat primis parentibus dominium Paradisi, & ratione peccati privavit eos illo, (3) ergo.

(2)
Genes. 1.

(3)
Genes. 1.

Verum est, quòd tam Wicleff, quàm Armachanus non distinctè loquuntur, & videntur potius loqui de dominio superioritatis, quod est principum. Sed quia argumenta æqualiter procedunt de omni dominio, ideo videntur sentire de omni dominio generaliter. Et ita intelligit illorum sententiam Conradus de Contract. lib. 1. q. 7. & satis clarè dicit Armachanus. Qui ergo sequeretur hanc sententiam, posset dicere, quod barbari non habebant dominium, quia semper erant in peccato mortali.

Resp. ad hæc:

Almaini Arg.
pro ponitur,
reficitur.

Sed contra hanc sententiam ponitur propositio: Peccatum * mortale non impedit dominium civile, & verum dominium. Hæc propositio licet sit determinata in Concilio Constantiæ, tamen arguit Almain. 4. dist. 15. q. 2. ex Aliaco, quia tunc existens in peccato mortali-
ta-

tali, & constitutus in extrema necessitate comedendi panem esset perplexus, quia ex una parte tenetur comedere panem: & ex altera si non habet dominium, accipit alienum, ergo non potest evadere mortale. Sed hoc argumentum parum procedit, primum quia neque Armachanus, neque Wicleff videntur loqui de dominio naturali sed civili. Secundo negatur consequentia, & diceretur, quod in casu necessitatis posset alienum accipere. Tertio: Non est perplexus, quia potest poenitere.

Et ideo aliter arguitur. Primò: Quia si peccator non habet dominium civile, de quo videntur loqui, ergo nec naturale: consequens est falsum; ergo. Probo consequentiam: Quia etiam dominium naturale est ex dono Dei, sicut civile: imò plus, quia civile videtur esse de jure humano: ergo si propter offensam Dei homo perderet dominium civile, eadem ratione perderet etiam dominium naturale. Falsitas autem consequentis probatur. Quia non perdit dominium super proprios actus, & super propria membra, habet enim peccator jus defendendi propriam vitam. Secundò, Scriptura sacra sæpe nominat Reges illos, qui mali erant, & peccatores, ut patet de Salomone, Achab, & aliis multis: non est autem Rex qui non est dominus: ergo. Tertio converto argumentum factum pro parte contraria. Dominium fundatur in imagine Dei: sed homo est imago Dei per naturam, scilicet per potentias racionales: ergo non perditur per peccatum mortale. Minor probatur ex August. lib. 9. de Trinit. & ex aliis Doctoribus. Quattò, David vocabat Saullem dominum suum, & regem tempore quo persequabatur eum: 1. Reg. 16. & in aliis locis: imò ipse David aliquando peccavit, nec propterea perdidit regnum. Quintò: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus donec veniat, qui mittendus est, &c.* (1) Et tamen multi fuerunt mali Reges: ergo. Sextò, potestas spiritualis non perditur per peccatum mortale: ergo nec civilis, quia multo minus videtur fundari in gratia, quam spiritualis. Antecedens autem pa-

Probatur propositio.

(2)
Genes. 49.

tet, quia Presbyter malus consecrat Eucharistiam, & malus Episcopus Sacerdotes, ut certum est: licet Wicleff neget, concedit tamen Armachanus. Ultimo, nullo modo est verisimile, cum sit præceptum obedire principibus: *Obedite præpositis vestris, non tantum bonis, sed etiam dyscolis.* (1) Et non capere alienum, quod voluerit Deus quod esset ita incertum, qui essent veri Principes, & domini. Et in summa, hæc est manifesta hæresis: & sicut Deus solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos: ita bona temporalia dedit bonis, & malis, nec disputatur eo quod dubitetur, sed ut crimine ab uno, id est, à tam amenti hæresi discamus omnes hæreticos.

Quæst.

Arg. in contra.

Sed restat, utrum * saltem ratione infidelitatis perdatur dominium. Et videtur quod sic: quia hæretici non habent dominium, ergo nec alii infideles, quia non videntur esse melioris conditionis. Antecedens autem patet ex cap. *Cum secundum*, de hæret. lib. 6. ubi cavetur, quod bona hæreticorum ipso jure sint confiscata.

Resp. ad quæst.

Respondeo per propositiones.

Prima: Infidelitas non est impedimentum, quominus aliquis sit verus dominus. Hæc conclusio est S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 12. Et probatur etiam primo. Quia Scriptura vocat Reges aliquos infideles, ut Sannacherib, & Pharaonem, & multos alios Reges. Item quia gravius peccatum est odium Dei, quam infidelitas, sed per odium, &c. Item Paul. (2) & Petrus (3) jubent præstare obedientiam principibus, qui tunc erant omnes infideles, & servos obedire dominis. Item Tobias jubebat reddi hædum à Gentilibus captum tanquam furtivum. (4) Quod non esset, si Gentiles non haberent dominium. Item Joseph fecit totam terram Ægypti tributariam Pharaoni, qui erat infidelis. (5) Item ratione S. Thom. Quia infidelitas non tollit nec jus naturale, nec humanum, sed dominia sunt vel de jure naturali, vel humano: ergo non tolluntur dominia per defectum fidei. Et tandem iste est ita manifestus error sicut præcedens.

(2) Ad Rom. 13.

(3) 1. Petr. 2.

(4) Tob. 2.

(5) Genes. 47.

Ex quo patet, quod nec à Saracenis, nec à Judæis, vel aliis infidelibus licet capere res quas possident, per se loquendo, id est, quia infideles sunt: sed est furtum, vel rapina, non minus quàm à Christianis.

8 Sed quia peculiaris difficultas est de hæresi, sit secunda propositio. Stando * in jure divino hæreticus non amittit dominium bonorum, hæc est omnium, & est nota. Cum enim amissio bonorum sit pœna, & nulla sit pœna de lege divina pro isto statu, constat stando in jure divino non amitti bona propter hæresim. Item patet hæc propositio ex prima. Nam si propter aliam infidelitatem non perditur dominium, ergo nec propter hæresim, cum nihil sit cautum specialiter de hæresi quantum ad hoc in jure divino.

9 Sed * utrum de jure humano? Conradus quidem de contractibus lib. 1. q. 7. conclus. 2. & 3. videtur tenere, quod hæreticus ipso facto perdit dominium bonorum suorum: ita quod in foro conscientiae cadit à dominio. Ex quo infert, quod nec potest alienare, & alienatio non tenet, si fiat. Probat ex illo cap. *Cum secundum Leges*. Ubi Papa præmittit, quod propter aliqua crimina secundum leges, eo ipso suarum rerum dominium authores delictorum perdunt, & Papa determinat quod idem sit pro crimine hæresis. Et idem videtur tenere Joann. Andr. in dict. cap. *Cum secundum*, & videtur haberi ex l. 4. cap. *De her.* ubi interdicitur hæreticis venditio, & donatio, & omnis contractus bonorum suorum.

Item, leges obligant in foro conscientiae, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 4.

10 Sed pro declaratione sit tertia propositio: Hæreticus * à die commissi criminis incurrit pœnam confiscationis bonorum. Ita tenent communiter Doctores, & est determinatio Direct. lib. 3. tit. 9. & Summa Baptistana in verbo *Absol.* §. 17. & videtur diffinitum in illo cap. *Cum secundum leges*, & in dict. l. 4. cap. *De heret.*

11 Quarta propositio: Nihilominus * quamvis constet de crimine, ante condemnationem tamen non licet fis-

co occupare bona hæreticorum. Hæc est etiam omnium, & est determinatio dict. cap. *Cum secundum*. Imò esset contra jus divinum, & naturale, ut pœna mandaretur executioni antequam quis condemnatur.

Sequitur ex tertia conclusione, quod * condem- 12
natione facta etiam post mortem, retroagitur confis-
catio ad tempus commissi criminis ad quamcumque per-
venerit potestatem. Hoc corollarium est etiam omnium,
& particulariter Panormit. in cap. fin. de hæreticis.

Secundò sequitur, quod * venditiones, donatio- 13
nes, & omnis alia alienatio bonorum à die commis-
si criminis sunt invalidæ. Itaque facta condemnatio-
ne, omnes rescinduntur à fisco, & bona capiuntur ab
eodem fisco, etiam pretio non restituto emptoribus. Et
jam hæc est omnium, & nominatim Panormit. ubi su-
pra, & patet ex l. 4. cap. *De hæreticis*.

Quinta propositio: Nihilominus * hæreticus est do- 14
minus in foro conscientie antequam condemnatur. Hæc
propositio videtur contra Conrad. & Direct. & Joann.
Andr. sed tamen est propositio Sylvest. in verb. *Hæresis*.
1. §. 8. Et tenet illam, & disputat ad longum Adrian.
quot. 6. quæst. 2. & idem videtur dicere Cajetan. in Sum-
ma in verbo *Pœna*.

Et probatur primò: Quia hoc ipsum scilicet, pri-
vari in foro conscientie est pœna, ergo nullo modo
debet infligi ante condemnationem: nec satis scio an
jus humanum hoc posset facere. Item probatur mani-
festè: Quia ut patet in illo cap. *Cum secundum leges*.
Eodem modo sunt confiscata bona ipso facto propter
incestas nuptias. Item si mulier ingenua rapta nubat
raptori: imò si quis de mercibus importatis non sol-
vat vectigalia consueta, ipso facto bona confiscantur.
Item qui illicitas merces exportat, ut arma, ferrum,
ad Saracenos: ut patent omnia ista in dict. cap. *Cum
secundum leges*, & cap. *De incestis nuptiis*, l. *Cum an-
cillis*, cap. *De raptu virg.* l. *Una*, & de Judæis, cap. *Ita
quorundam*, & ff. *De vectig.* l. fin. Imò Papa in dict.
cap. *Cum secundum*, expresse dicit, quod sicut est con-
fiscatio in illis casibus, ita vult quod fiat propter hæ-
re-

resim. Sed nullus negat, quin incestuosus, & raptor, & deferens arma Saracenis, & non solvens vectigalia, quin maneat verus dominus bonorum suorum in foro conscientiae, quare ergo non etiam haereticus? Et ipse Conradus etiam eodem modo dicit de illis casibus, & de haeretico: & gravius esset cogere hominem jam emendatum ab haeresi, restituere bona fisco.

- 15 Sequitur corollarium, quod * haereticus potest licite vivere ex bonis suis. Secundo sequitur item,
 16 quod * titulo gratuito potest transferre bona sua, pu-
 17 ta donando. Sequitur tertio, quod * titulo oneroso puta vendendo, aut dando in dotem, si crimen posset venire in iudicium, non licet transferre. Patet, quia decipit emptorem, & ponit eum in periculo perdendi & rem & pretium, si venditor condemnetur.
 18 Ultimò sequitur, quod * si revera non esset periculum confiscationis, posset etiam licite titulo oneroso alienare, ut si quis esset haereticus in Germania, Catholicus posset licite emere ab illo. Grave enim esset, quod non posset licite in aliqua civitate Lutheranorum, si quis est Catholicus, emere agrum ab haeretico, nec vendere illi: quod tamen necessario esset dicendum, si omnino haereticus non est dominus in foro conscientiae.

- 19 Ex omnibus his sequitur conclusio, quod * barbari nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediuntur quin sint veri domini, tam publice, quam privatim: nec hoc titulo possunt à Christianis occupari bona, & terrae illorum, ut late & eleganter deducit Cajetan. 22. q. 66. art. 8.

Sed restat modò dubium, an ideo non sint domini, quia sunt insensati, vel amentes. Et circa hoc
 20 est dubium, an * ad hoc ut aliquis sit capax domini, requiratur usus rationis, & Conrad. quidem lib. 1. q. 6. ponit conclusionem, quod dominium convenit creaturae irrationali tam sensibili quam insensibili. Probatur: Quia dominium nihil aliud est quam jus utendi re in usum suum. Sed bruta habent jus super herbas,

- (1) bas, & plantas. (1) *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* Item altra habent jus illuminandi. (2) *Posuit ea in firmamento Cæli, ut lucerent, ac præessent diei, ac nocti.* Et Leo habet dominium super omnia animalia gressibilia, unde & Rex animantium vocatur. Et Aquila est domina inter volucres, unde Psalm. 103. *Herodii domus dux est eorum.* (3) Eiusdem sententia est Sylvest. in verbo *Dominium*, in princ. ubi dicit, quod elementa dominantur invicem.
- (1) Genes. 1.
 (2) Genes. 1.
 (3) Psalm. 103.

Sed respondeo per propositiones. Prima: Creaturæ irrationales non possunt habere dominium: quia dominium est jus, ut fatetur etiam Conrad. sed creaturæ irrationales non possunt habere jus: ergo nec dominium. Probat minor, quia non possunt pati injuriam: ergo non habent jus. Probat assumptum: Quia qui prohiberet Lupum, aut Leonem à præda, vel Bovem à pascu, non faceret ei injuriam, nec qui claudit fenestram, ne sol illuminet, facit injuriam soli. Et confirmatur: Quia si bruta habent dominium, ergo qui tolleret herbam Cervo, faceret furtum, quia caperet alienum invito dominio. Item: Feræ non habent dominium sui: ergo multo minus aliarum aliarum rerum. Assumptum probatur: Quia licet eas impunè interficere etiam animi gratia: Unde etiam Philoſ. 1. Politic. ait, quod venatio ferarum est justa & naturalis. Item, ipsæ feræ, & omnia irrationalia, sunt sub hominis potestate, multo magis quàm servi. Ergo si servi non possunt habere aliquid suum, multo minus irrationalia.

Et confirmatur propositio autoritate S. Thom. 1.2. q. 1. art. 1. & 2. & 12. q. 6. art. 2. & 1. contr. Gent. cap. 100. Sola creatura rationalis habet dominium sui actus, quia ut ipse etiam dicit 1. part. q. 82. art. 1. ad 3. per hoc aliquis est dominus suorum actuum, quia potest hoc, vel illud eligere. Unde etiam, ut ibidem dicit, appetitus circa ultimum finem non sumus do-
 mi-

mini. Si ergo bruta non habent dominium suorum actuum, ergo nec aliarum rerum. Et licet disputatio videatur de nomine, certè hoc est valdè impropriè loqui, & præter communem modum loquendi tribuere dominium irrationalibus. Non enim dicimus aliquem esse dominum, nisi ejus, quod situm est in sua facultate. Nam ita loquimur: Non est in mea facultate, non est in mea potestate, quando non sum dominus. Bruta autem cum non moveant se, sed potius moveantur, ut S. Thom. ait 1. 2. ubi supr. eadem ratione nec habent dominium.

Nec valet quod Sylvest. dicit, quòd dominium aliquando non dicit jus, sed solam potentiam, & hoc modo ignis habet dominium in aquam: si enim hoc satis est ad dominium, ergo latro habet dominium ad interficiendum hominem, quia habet potentiam ad hoc; & fur habet potentiam ad capiendum pecuniam. Quòd autem dicit astra dominari, & Leonem esse Regem, certum est hoc dictum esse metaphoricè, & per translationem.

21 Sed * potest videri dubium de puero ante usum rationis, an possit esse dominus. Quia videtur nihil differre ab irrationalibus. Et Apostolus: (1) *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo.* Sed servus non est dominus, ergo, &c.

(1)
Ad Galat. 4^m

De hoc sit secunda propositio: Pueri ante usum rationis possunt esse domini. Hoc patet, quia possunt pati injuriam, ergo habent jus rerum: ergo & dominium, quod nihil aliud est, quàm jus. Item bona pupillorum non sunt in bonis tutorum: & habent dominos, & non alios, ergo pupillos. Item, pueri sunt hæredes. Sed hæres est, qui succedit in jus defuncti, & qui est dominus hæreditatis. L. *Cum hæres*, ff. de Diver. & tempor. præscript. & Inst. de Hæred. qualit. & differentia. §. fin. Item diximus, quod fundamentum domini est imago Dei, quæ adhuc est in pueris: & Apostolus eodem loco Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium.* Nec est idem de creatura irrationali, quia puer

puer non est propter alium, sed propter se, sicut est brutum.

Sed * de amentibus quid? Dico de perpetuo amentibus nec habent, nec est spes habituros usum rationis: sitque tertia propositio.

Videtur adhuc quòd possint esse domini, quia possunt pati injuriam, ergo habent jus. Sed hoc remitto ad Jurisconsultos, utrum possint habere dominium civile.

Et quicquid sit de hoc, sit quarta propositio: Nec *²³ ex hac parte impediuntur barbari ne sint veri domini. Probat: Quia secundum rei veritatem non sunt amentes, sed habent pro suo modo usum rationis. Patet: quia habent ordinem aliquem in suis rebus, postquam habent civitates, quæ ordine constant, & habent matrimonia distincta, magistratus, dominos, leges, officia, commutationes, quæ omnia requirunt usum rationis: item Religionis speciem: item non errant in rebus, quæ aliis sunt evidentes, quod est indicium usus rationis. Item Deus & natura non deficiunt in necessariis pro magna parte speciei: præcipuum autem in homine est ratio, & frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Item fuissent sine culpa sua tot millibus annorum extra statum salutis, cum essent nati in peccato, & non haberent baptismum, nec usum rationis ad quærendum necessaria ad salutem, undè quòd videantur tam insensati & hebetes, puto maxima ex parte venire ex mala & barbara educatione, cum etiam apud nos videamus multos rusticorum parum differentes à brutis animantibus.

Restat ergo ex omnibus dictis, quòd sine dubio barbari erant, & publicè, & privatim ita veri domini, sicut Christiani: nec hoc titulo potuerunt spoliari, aut Principes, aut privari rebus suis, quod non essent veri domini. Et grave esset negare illis, qui nihil injuriæ unquam fecerunt, quod concedimus Saracenis, & Judæis perpetuis hostibus Religionis Christianæ: quos non negamus habere vera dominia rerum suarum, si aliàs non occupaverunt terras Christianorum.

*Respondetur
pro parte neg.
posita.*

Superest respondere ad argumenta in contrarium, ubi arguebatur, quod isti videntur servi à natura, quia parum valent ratione ad regendum etiam seipfos. Ad hoc respondeo, quod certè Aristoteles non intellexit, quod tales, qui parum valent ingenio, sint natura alieni juris, & non habeant dominium & sui, & aliarum rerum: hæc enim est servitus civilis, & legitima, qua nullus est servus à natura. Nec vult Philosophus si qui sunt natura parum mente validi, quod liceat occupare bona, & patrimonia illorum, & illos redigere in servitutem, & venales facere: sed vult docere, quod à natura est in illis necessitas, propter quam indigent ab aliis regi & gubernari: & bonum est illis subdi aliis, sicut filii indigent subjici parentibus ante adultam etatem, & uxor viro: Et quod hæc sit intentio Philosophi, patet: quia eodem modo dicit, quod natura sunt aliqui domini, scilicet qui valent intellectu. Certum est autem, quod non intelligit, quod tales possent sibi arripere imperium in alios illo titulo, quod sint sapientiores, sed quia natura habent facultatem, ut possint imperare & regere. Et sic, dato quod isti barbari sint ita inepti & hebetes, ut dicitur: non ideo negandum est habere verum dominium, nec sunt in numero servorum civilium habendi. Verum est, quod ex hac ratione & titulo posset oriri aliquod jus ad subjiciendum eos, ut infra dicemus.

24. Restat nunc conclusio certa: Quod * antequam Hispani ad illos venissent, illi erant veri domini, & publicè, privatim.



DE TITULIS NON LEGITIMIS,
quibus Barbari novi orbis venire po-
tuerint in ditionem Hispanorum.

S U M M A.

1. Imperator non est totius orbis dominus.
2. Imperator licet esset dominus mundi, non ob id posset occupare provintias barbarorum, & constituere novos dominios, & veteres deponere, vel vectigalia capere.
3. Papa non est dominus civilis, aut temporalis totius orbis, loquendo propriè de dominio, & potestate civili.
4. Summus Pontifex quamvis haberet potestatem secularem in mundo, non posset eam dare Principibus secularibus.
5. Papa habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia.
6. Papa nullam potestatem temporalem habet in barbaros Indos, neque in alios infideles.
7. Barbari si volint recognoscere dominium aliquod Papæ, non ob id posset eis bellum inferri, & illorum bona occupari.
8. Barbari, an priusquam aliquid audissent de Fide Christi, peccarent peccato infidelitatis, eo quod non crederent Christo.
9. Ignorantia ad hoc quod alicui imputetur, & sit peccatum, vel vincibilis, quid requiratur, & quid de ignorantia invincibilis.
10. Barbari, an ad nuntium primum Fidei Christianæ teneantur credere, ita quod peccent mortaliter non credentes Christi Evangelium, solum per simplicem annuntiationem, &c.
11. Barbaris si simpliciter Fides annuntiaretur, & proponeretur, & nolent statim recipere, hac ratione non pos-

possent Hispani illis bellum inferre, neque jure belli contra eos agere.

2. Barbari rogati, & admoniti, ut audiant pacificè loquentes de Religione, quomodo si nolint, non excusentur à peccato mortali.
3. Barbari quando tenerentur recipere Christi Fidem sub mortalis peccati pœna.
4. Barbaris an hæcenus ita proposita, & annuntiata fuerit Fides Christiana, ut teneantur credere sub novo peccato, no satis liquet secundum authorem.
5. Barbaris, etsi quantumcumque Fides annuntiata probabiliter, & sufficienter fuerit, & noluerint eam recipere, non tamen ob id licet eos bello persequi, & bonis suis spoliari.
6. Principes Christiani non possunt, etiam auctoritate Papæ, coercere barbaros à peccatis contra legem naturæ, nec ratione illorum eos punire.

Supposito ergo quòd barbari illi erant veri domini, superest videre quo titulo potuerint Hispani venire in possessionem illorum, vel illius regionis: & primò referam titulos, qui possint prætendi, sed qui non sint idonei, nec legitimi. Secundò, ponam alios titulos legitimos, quibus potuerint barbari venire in ditionem Hispanorum. Sunt autem septem tituli, qui possunt prætendi, sed non idonei: septem autem alii, vel octo justì, & legitimi.

Primus ergo titulus posset esse, quòd Imperator est dominus mundi: Et sic dato, quòd tempore præterito fuisset aliquid vitii, jam esset purgatum in Cæsare Imperatore Christianissimo. Nam dato quod ita sit, quòd sint veri domini, possent habere superiores dominos, sicut inferiores Principes habent Regem, & aliqui Reges habent Imperatorem, quare in eandem rem possunt plures habere dominium: unde est illa distinctio Juristarum trita: Dominium, altum, bassum, directum, utile, merum, mixtum.

Dubitatur ergo, utrum isti haberent dominium superiorem. Et quia non potest esse dubium, nisi de

Imperatore, aut de Papa, ideo de istis dicemus.

Et videtur primò, quod Imperator si totius orbis dominus, & per consequens etiam barbarorum. Primum ex communi appellatione, quam tribuunt Imperatori, Divo Maximiliano, aut Corolo semper Augusto, orbis domino. Item: *Exiit edictum à Casare Augusto, ut describeretur universus orbis.* (1) Sed non debent esse peioris conditionis Imperatores Christianis ergo. Item: Dominus videtur judicasse Casarem, esse verum dominum Judæorum: *Reddite, inquit, quæ sunt Casaris, Casari, &c.* (2) Non videtur autem quòd jus posset habere, nisi quia Imperator, ergo. De hoc Bart. in Extravagant. ad reprimend. quæ est Henr. 7. tenet expressè, quòd Imperator de jure est totius orbis dominus. Et idem tenet Gloss. in cap. *Per venerabil. quæ filii sint legit.* Et idem ad longum Gloss. in cap. *Venerabil.* de Election. & probant primò 8. q. 1. in apib. ubi Hieronymus dicit, quòd in apibus unus est Rex, & in mundo unus Imperator. Item ff. ad l. *Rhodi*, l. *Deprecatio*, ubi Imperator Antoninus dicit: *Ego quidem mundi dominus.* Et in l. *Bene à Zenone*, C. de Quadr. præscriptione omnia Principis esse intelliguntur. Et posset etiam probari: quia Adam primò, & postea Noe videntur fuisse domini orbis: (3) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, universæque terra, &c.* Et infra: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, &c.* Et idem in sententia dictum est Noe Genes. 8. Sed illi habuerunt successores: ergo. Item quia non est credendum, quin Deus instituerit in orbe optimum genus gubernationis. (4) *Omnia in sapientia fecisti.* Sed illud est Monarchia, ut S. Thom. egregiè dicit de Regim. Princip. lib. 1. cap. 2. & videtur sentire Aristot. 3. Polit. ergo videtur quòd ex institutione divina debeat esse unus Imperator in orbe. Item ea quæ sunt præter naturam, debent imitari naturalia: sed in naturalibus est semper unus rector, ut in corpore cor, in anima una ratio, ergo ita debet esse in orbe unus rector, sicut unus Deus.

Sed

(1)
Luc. 2.

(2)
Luc. 10.

(3)
Genes. 1.

(4)
Psalm. 103.

I Sed hæc opinio est sine aliquo fundamento. Et ideo sit prima conclusio. Imperator * non est dominus totius orbis. Probat: Quia dominium non potest esse nisi vel jure naturali, vel divino, vel humano. Sed nullo tali est dominus orbis: ergo. Minor probatur, primum de jure naturali, quia ut bene dicit S. Thom. 1. p. q. 92. art. 1. ad 2. & q. 96. art. 4. In jure naturali homines liberi sunt, excepto dominio paterno, & maritali. De jure enim naturali pater habet dominium supra filios, & maritus in uxorem. Ergo nullus est qui jure naturali habeat Imperium orbis. Et, sicut etiam dicit S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. dominium, & prælatio introducta sunt jure humano, ergo non sunt de jure naturali: nec esset major ratio quare hoc dominium conveniret Germanis magis quam Gallis. Et Aristot. 1. Polit. dicit quod duplex est potestas. Una familiaris, ut patris ad filios, & viri ad uxorem, & hæc est naturalis. Alia est civilis, quæ licet à natura quidem habeat ortum, & ideo potest dici de jure naturæ, ut S. Thom. de Regim. Princ. cap. 1. lib. 1. est enim homo animal civile: non tamen natura, sed lege constituta est.

De jure autem divino ante adventum Christi Redemptoris non legimus fuisse Imperatores dominos mundi, quamvis Gloss. illa Bar. in Extravagant. ad reprimend. adducat de Nabuchodonosor, Daniel. 9. de quo dicitur: *Tu Rex Regum es, Deus Cæli, Regnum, fortitudinem, gloriam, & imperium dedit tibi, & omnia in quibus habitarent filii hominum.* Sed certum est, quod nec Nabuchodonosor accepit imperium specialiter à Deo, sed eo modo quo alii Principes, ut Paulus dicit: (1) *Omnis potestas à domino Deo est.* (2) *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Nec etiam habuit imperium jure in totum orbem, ut putat Bart. Nam Judæi non erant ei subiecti jure. Item ex hoc ipso patet, quod nullus erat de jure divino dominus totius mundi, quia gens Judæorum erat libera ab omni alienigena, imò erat prohibitum in lege, ut haberent dominum alienigenam: (3) *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere.* Et quamvis

Resp. & im.
pug. natur.
I. titulus.

(1)
Rom. c. 13.
(2)
Proverb. 8;

(3)
Deut. 17.

S. Thom. de Reg. Princ. lib. 3. cap. 4. & 5. videatur dicere, quòd Imperium Romanorum fuit à Deo traditum propter iustitiam illorum, & amorem Patriæ, & propter optimas leges, quas habebant, hoc non est intelligendum, quòd ex traditione, aut ex institutione divina haberent imperium, ut August. etiam dicit 18. *De Civit. Dei*, sed quòd providentia divina factum est, ut consequerentur imperium orbis: sed alio jure scilicet vel iusti belli, vel alia ratione, non eo modo quo habuit Saul, & David regnum à Deo. Et hoc facile intelliget quis, si consideret, qua ratione, & successionem imperia, & dominia in orbe pervenerint usque ad nos. Ut enim omittamus omnia, quæ præcesserunt diluvium, certè post Noe orbis fuit divisus in diversas provincias, & regna, sive hoc fuerit ex ipsius Noe ordinatione, qui supervixit diluvio 350. annos, (1) qui in diversas regiones misit colonias, ut patet apud Berosum Babylonicum: sive, quòd verisimilius est, ex consensu mutuo gentium, diversæ familiæ occupaverunt diversas Provincias, ut (2) *Abraham dixit ad Lot: Ecce universa terra coram te est, si ad sinistram jersis, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Unde Genes. 10. traditur, quòd per pronepotes Noe divisæ sunt nationes, & regiones, sive in aliquibus regionibus primò inceperint esse domini per tyrannidem, sicut videtur fuisse Nemrod, de quo Genes. 10. habetur, quòd primus incepit esse potens in terra: sive convenientibus in unum aliquibus in unam Rempublicam ex consensu communi sibi constituerunt Principem. Certum est enim vel his, vel aliis non dissimilibus modis dominia, & imperia incepisse in mundo, ac postea, vel jure hereditario, vel jure belli, vel aliquo alio titulo derivata esse usque ad nostram ætatem, saltem usque ad adventum Salvatoris: Ex quo patet, nullum ante adventum Christi habuisse jure divino orbis imperium, neque illo titulo hodie posse Imperatorem sibi arrogare orbis dominium, & per consequens nec barbarorum.

Sed post adventum Domini posset quis pratendere,

re,

(1)

Genes. 9.

(2)

Genes. 13.

re, quòd ex traditione Christi esset unus Imperator in orbe, quia Christus etiam secundum humanitatem fuit orbis dominus, juxta illud: (1) *Data est mihi omnis potestas, &c.* quòd secundum August. & Hieronymum intelligitur secundum humanitatem. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus*, ut introducit Apostolus 1. Corin. in fin. ergo sicut reliquit in terra unum Vicarium in spiritualibus, ita reliquit etiam in temporalibus, & hic est Imperator. Et S. Thom. de Reg. Princ. lib. 3. c. 13. dicit, quòd Christus à nativitate sua erat verus mundi dominus, & Monarcha, cujus vices gerebat Augustus, licet non intelligens. Et clarum est, quòd non gerebat vices in spiritualibus, sed in temporalibus. Cùm ergo Regnum Christi si fuit temporale, fuit in toto orbe, ergo etiam Augustus erat Dominus orbis, & eadem ratione successores ejus.

Sed neque hoc dici ullo modo potest. Primum, quia hoc ipsum est dubium, an Christus secundum humanitatem fuerit Dominus temporalis orbis. Et probabilius est quòd non, & ipse Dominus videtur asseruisse in illo loco: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Unde, & Sanctus Thomas illic dicit, quòd dominium Christi directè ordinatur ad salutem animæ, & ad spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur eo modo, quoad spiritualia ordinatur. Unde patet, quòd non est sententia S. Thom. quòd regnum ejus esset ejusdem rationis cum regno civili, & temporali, sed ita est, quòd ad finem redemptionis habebat omnimodam potestatem, etiam in temporalibus: sed secluso illo fine, nullam habebat. Et præterea, dato quòd fuisset Dominus temporalis, hoc est divinare dicere quòd reliquit illam potestatem Imperatori, cum de hoc nulla mentio facta sit in tota scriptura. Et quòd S. Thom. dicit, quòd Augustus gerebat vices Christi, primùm hoc dixit ibi. In tertia autem parte, ubi loquitur ex professò de potestate Christi, nullam mentionem fecit de hac temporali potestate Christi.

Secundò S. Thom. intelligit, quòd gerebat vices Christi quatenus temporalis potestas est subjecta, &

(1)
Matth. 28.

ministra spiritualis potestatis. In hoc modo Reges sunt ministri Episcoporum, sicut, & ars fabrilis est subiecta equestri, & militari: sed tamen miles, aut dux non est Faber, sed habet imperare Fabri in armis fabricandis. Et S. Th. in illo loco (1) expressè dicit regnum Christi non esse temporale, nec tale quale Pilatus intelligebat, sed regnum spirituale, quod ipse Dominus declarat eodem loco: *Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et sic patet, quod est merum commentum dicere, quod ex traditione Christi sit unus Imperator, & Dominus mundi.

Quod etiam apertè confirmatur: Quia si hoc esset ex jure divino, quomodo imperium fuit divisum in Orientale, & Occidentale? Primo inter filios magni Constantini, & postea ab Stephano Papa, qui imperium Occidentale transtulit ad Germanos, ut habetur in dict. cap. *Per venerabilem*. Est enim ineptum, & ineruditum, quod Gloss. illic dicit, quod Græci postea non fuerunt Imperatores. Nunquam enim Imperatores Germani hoc titulo prætenderunt se esse Græciæ dominos. Et Joann. Palaologus Imperator Constantinopolitanus, in Concilio Florentino habitus est pro legitimo Imperatore. Et præterea patrimonium Ecclesiæ (ut fatentur ipsi Juristæ, etiam Bartolus) non est subiectum Imperatori. Quod si omnia essent subiecta Imperatori jure divino, ex nulla donatione Imperatorum, nec alio titulo potuissent eximi ab Imperatore, sicut nec Papa potest ququam eximere à Potestate Papæ. Item nec Regnum Hispaniæ est subiectum Imperatori, nec Francorum, ut etiam habetur in dict. cap. *Per venerabilem*, licet Gloss. ex capite suo addat, quod hoc non est de jure, sed de facto. Item Doctores concedunt quod civitates, quæ aliquando fuerunt subiectæ Imperio, potuerunt per consuetudinem eximi ab Imperio: quod non esset si subiectio hæc esset de jure divino.

De jure autem humano constat, quod Imperator non est dominus orbis. Quia vel esset sola autoritate legis: & nulla talis est; & si esset, nihil operaretur.

tur, quia lex præsupponit jurisdictionem. Si ergo ante legem non habebat Imperator jurisdictionem in orbe, lex non potuit obligare non subditos, nec hoc habuit Imperator, aut per legitimam successionem, aut donationem, aut permutationem, aut emptionem, aut iusto bello, aut electione, aut aliquo alio legali titulo, ut constat. Ergo nunquam Imperator fuit dominus totius mundi.

- 2 Secunda conclusio: Dato * quòd Imperator esset dominus mundi, non ideo posset occupare Provincias barbarorum, & constituere novos dominos, & veteres deponere, vel vectigalia capere. Probat: Quia etiam qui Imperatori tribuunt dominium orbis, non dicunt eum esse dominum per proprietatem, sed solum per jurisdictionem: quòd jus non se extendit ad hoc, ut convertat Provincias in suos usus, aut donet pro suo arbitrio oppida, aut etiam prædia. Ex dictis ergo patet, quòd hoc titulo non possunt Hispani occupare illas Provincias.

Secundus titulus, qui prætenditur, & quidem vehementer asseritur ad justam possessionem illarum Provinciarum, est ex parte Summi Pontificis. Dicunt enim quòd Summus Pontifex est totius orbis Monarcha etiam temporalis, & per consequens, quòd potuit constituere Hispaniarum Reges Principes illorum barbarorum, illarumque regionum: & ita factum est.

Circa hoc, opinio est quorundam Jurisconsultorum, quòd Papa habet plenam jurisdictionem in temporalibus in toto orbe terrarum, adjicientes etiam, quòd omnium principum secularium potestas à Papa in eos derivata sit. Ita tenet Hostien. in cap. *Quod super his*, de *Vot. & Archiepis*. 3. parr. tit. 22. cap. 5. §. 8. & Aug. Anch. ita tenet Sylvest. qui multo etiam largius, & benignius hanc potestatem tribuit Papæ, in verb. *Infidelitas* §. 7. & in verb. *Papa* §. 7. 10. 11. & 14. & in verbo *Legitimus* §. 4. mirabilia dicit in illis locis circa hoc: ut puta, quòd potestas Imperatoris, & omnium aliorum principum est subdelegata respectu Papæ, & quòd est derivata à Deo mediante Papa, & quòd tota illo-

rum potestas dependet à Papa, & quòd Constantinus donavit terras Papæ in recognitionem domini temporalis. Et è contrario Papa donavit Constantino Imperium in usum, & stipendium. Imò quòd Constantinus nihil donavit, sed reddidit quòd erat subtractum: & quòd si Papa non exercet jurisdictionem in temporalibus extra patrimonium Ecclesiæ, non est propter defectum authoritatis, sed ad vitandum scandalum Judæorum, & ad nutriendam pacem, & multa alia his vaniora, & absurdiora, ibi dicit. Tota probatio istorum est: Quia: *Domini est terra, & plenitudo ejus: & Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Et Papa est Vicarius Dei, & Christi. Et (1) *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, &c.* Et hujus opinionis etiam videtur esse Bart. in illa Extravagant. ad reprimendam, & videtur favere. S. Thom. in fine secundi Sententiarum, cujus ultima verba sunt in solutione ad quartum argumentum, quòd est ultimum totius libri, quòd Papa tenet utriusque potestatis apicem, scilicet secularis, & spiritualis. Et ejusdem opinionis est Herveus de potestate Ecclesiæ.

Hoc ergo fundamento jacto, dicunt authores hujus sententiæ. Primò, quòd Papa liberè potuit constituere Principes barbarorum Reges Hispaniæ, tanquam supremus dominus temporalis. Secundò dicunt, quòd dato hoc non posset, saltem si barbari nolunt recognoscere dominium temporale Papæ in eos hac ratione potest eis inferre bellum, & imponere Principes: Utrunque autem factum est: nam primò Summus Pontifex concessit illas Provincias Regibus Hispaniæ. Secundò etiam barbaris propositum fuit, & significatum, quòd Papa est Vicarius Dei, & habet vices ejus in terris: & ideo, quòd recognoscant eum superiorem, quòd si illi recuserint, jam justo titulo dicitur eis bellum inferendum, & occupatæ Provinciæ illorum, &c. Et hoc secundum nominatim dicit Hostien. ubi supra, & summa Angel.

Sed quia de dominio temporali Papæ prolixè disputavi in relectione de Potestate Ecclesiastica, ideo hic bre-

(1)
Ad Ephes. 2.

Resp. contra
dicta, & im-
pugn. 2. titu-
lus.

bre-

3 breviter per propositiones respondebo. Prima: Papa * non est dominus civilis, aut temporalis totius orbis, loquendo propriè de dominio, & potestate civili. Hæc conclusio est Turrecrem. lib.2. cap.113. & Joann. Andr. & Hugo 69. dist. *Cum ad verum*. Et fatetur doctissimus Innocen. in dict. cap. *Per venerabilem*. Se non habere potestatem temporalem in Regno Franciæ. Et videtur expressa sententia Bernardi in 2. lib. de Conf. ad Eugen.

Et opposita sententia videtur esse contra præceptum Domini, qui (1) ait: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, &c.* Non ita erit inter vos. Item contra præceptum Apostoli. (2) Non dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Et si Christus dominus non habuit dominium temporale, ut supra tanquam probabilius disputatum est, etiam ex sententia S. Thom. multo minus Papa habet, qui est Vicarius: & illi tribuunt Summo Pontifici quod ipse nunquam agnovit: imò contrarium fatetur in multis locis, ut in relectione illa dictum est, & satis probatum, sicut supra de Imperatore: quia non potest ei convenire dominium nisi jure naturali, aut divino, aut humano. Naturali, aut humano, certum est quòd non. De divino nullum profertur: ergo frustra asseritur, & voluntariè. Et quod Dominus dixit Petro: *Pasce oves meas*, satis ostendit esse potestatem in spiritualibus, & non temporalibus. Et præterea ostenditur Papam non esse dominum in toto orbe. Nam ipse Dominus dixit: (3) quòd in fine seculi fiet unum ovile, & unus pastor. Unde satis constat in præsentia non omnes esse oves unius ovilis. Item dato, quòd Christus haberet hanc potestatem, constat non esse commissam Papæ. Patet, quia non minus Papa est Vicarius Christi in spiritualibus, quàm in temporalibus, sed Papa non habet jurisdictionem spiritualem super infideles, ut etiam fatentur adversarii, & videtur expressa sententia Apostoli: (4) *Quid ad me de his, qui foris sunt, judicaret ergo nec etiam in temporalibus.*

Et certè argumentum nullum est, Christus habuit potestatem temporalem in toto orbe: ergo, & Papa ha-

(1)

Math. 20.
& Luc. 22.

(2)

Petr. c. ult.

(3)

Joann. 10.

(4)

1. Corinth. 5.

habet. Nam Christus sine dubio habuit potestatem spiritualem in toto orbe, non minus supra fideles, quam supra infideles: & potuit ferre leges obligantes totum orbem, sicut fecit de Baptismo, & articulis fidei: & tamen Papa non habet illam potestatem supra infideles, nec posset eos excommunicare, nec prohibere connubia in gradibus jure divino permisis: ergo. Item quia etiam secundum Doctores Christus potestatem excellentiæ non commisit etiam Apostolis: ergo etiam nihil valet consequentia, Christus habuit potestatem temporalem in orbe: ergo, & Papa.

Secunda propositio: Dato * quod Summus Pontifex haberet talem potestatem secularem in toto orbe, non posset eam dare principibus secularibus. Hoc patet, quia esset annexa Papatui, nec potest eam Papa separare ab officio Summi Pontificis, nec potest privare successorem illa potestate, quia non potest esse sequens Summus Pontifex minor præcessore suo: & si unus Pontifex dedisset hanc potestatem, vel nulla esset talis collatio, vel sequens Pontifex posset auferre.

Tertia propositio: Papa * habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia, id est quantum necesse est ad administrationem rerum spiritualium. Hæc etiam est Turrecrem. ubi supra cap. 114. & est omnium Doctorum. Et probatur, quia ars, ad quam pertinet finis superior, est imperativa, & præceptiva artium ad quas spectant fines inferiores ut habetur 1. Ethicor. Sed finis potestatis spiritualis est ultima felicitas, finis autem potestatis civilis est felicitas politica: ergo potestas temporalis est subiecta spirituali. Et hac ratione utitur Innocen. in cap. *Solicite*, de majori. & obediens. Et confirmatur, quia cui commissa est cura alicujus officii intelliguntur concessa omnia sine quibus officium rectè expediri non potest de officio deleg. cap. 1. Cum ergo ex commissione Christi Papa sit Pastor spiritualis, & hoc officium impediri possit per potestatem civilem, cum Deus, & natura non deficient in necessariis: non est dubitandum quin fuerit ei relicta potestas in temporalibus quantum necesse est ad gubernationem spiritualium. Et

Et hac ratione potest Papa infringere leges civiles, quæ sunt nutritivæ peccatorum, sicut intregit leges de præscriptione malæ fidei, ut patet de Præscript. cap. fin. Et hac etiam ratione discordantibus Principibus de jure alicujus principatus, & in bella ruentibus, potest esse Judex, & cognoscere de jure partium, & sententiam ferre, quam tenentur recipere Principes, ne scilicet eveniant tot mala spiritualia, quot ex bello inter Principes Christianorum necesse est oriri. Et licet hoc vel non faciat Papa, vel non sæpe faciat, hoc non est, quia non potest, ut dicit dominus Durand. sed quia timet scandalum, ne Principes putent hoc facere per ambitionem, vel veritus rebellionem Principum à Sede Apostolica. Et hac ipsa ratione potest aliquando Reges deponere, & etiam novos constituere, sicut aliquando factum est. Et certè nullus legitimè Christianus deberet negare hanc potestatem Papæ. Et ita tenet Palud. & Durand. de Potestate Eccles. & Henric. Gand. quotlibet. 6. art. 23. & ad hunc sentum intelligenda sunt jura, quæ dicunt Papam habere utrumque gladium, quæ multa sunt, & Doctores antiquiores hoc dicunt, sicut etiam S. Thom. in 1. Sententiar. ut citatum est.

*
omnes legitime Christiani eam potestati debent resistere, si quæ sunt contra, ut in qua sunt Dei nolunt confunderi et manifestum duorum capitulum in Republica inducere nolunt.

Imò non dubito quin Episcopi habeant hoc modo authoritatem temporalem in suo Episcopatu eadem ratione, qua Papa in orbe. Unde malè dicunt, & malè faciunt, vel Principes, vel Magistratus, qui contendunt impedire Episcopos, ne coerceant seculares à peccatis per pœnas pecuniarias, aut exilium, aut alias pœnas temporales. Hoc enim non est supra potestatem eorum, modò non faciant ex avaritia, & ad quæstum, sed ad necessitatem, & commodum rerum spiritualium. Et ex hoc loco iterum sumitur argumentum pro prima conclusione: si enim Papa esset dominus orbis, etiam Episcopus esset Dominus temporalis in suo Episcopatu, quia etiam in suo Episcopatu est Vicarius Christi: quod tamen adversarii negant.

optime dicunt, et facium; Dux enim gentium dominatur eorum, et autem non sic.

- 6 Quarta conclusio: Papa * nullam potestatem temporalem habet in barbaros istos, neque in alios infi-

deles. Hæc patet ex 1. & 3. Nam non habet potestatem temporalem, nisi in ordine ad spiritualia; sed non habet potestatem spiritualem in illos, ut patet 1. Corinth. 5. ergo nec temporalem.

Sequitur corollarium, quod * etiam si barbari no- 7
 lint recognoscere dominium aliquod Papæ, non ideo potest eis bellum inferri, & bona illorum occupari. Patet, quia nullum tale dominium habet. Et confirmatur hoc manifestè. Nam (ut infra dicetur, & adversarii fatentur) dato quod barbari nolint recipere Christum pro domino, non tamen possunt bello peti, aut aliquo malo affici: absurdissimum est autem, quod ipsi dicant, quod cum possint impune non recipere Christum, teneantur recipere Vicarium ejus, aliàs possint bello cogi, & spoliari omnibus bonis, imo & supplicio affici. Et confirmatur iterum, quia causa secundum istos: quare etiam si nolint recipere Christum, aut fidem ejus, non possunt cogi, est, quia non potest eis evidenter probari per rationes naturales: sed multo minus potest probari dominium Papæ: ergo etiam non possunt cogi ad recognoscendum hoc dominium. Et Sylvest. quamvis latissimè loquatur de potestate Papæ, tamen in verbo infidelis septimò, expressè tenet contra Hostiens. quod infideles non possunt bello cogi ad recognoscendum hoc dominium, nec hoc titulo possunt spoliari bonis suis. Et ita tenet Innocentius in dict. cap. *Quod super his*, de Voto. Et non est dubium quin S. Thom. sit hujus sententiæ 2. 2. q. 66. art. 8. ad 2. & Cajet. illic expressè, ubi dicit S. Thom. quod infideles non possunt spoliari suis bonis, nisi qui sunt subditi Principibus temporalibus, propter causas legum legitimas, propter quas etiam alii subditi possunt privari. Imò nec Saraceni inter Christianos unquam isto titulo fuerunt spoliati suis bonis, aut aliquo incommodo affecti. Nam si iste titulus est sufficiens ad inferendum eis bellum, hoc tantundem est, ac si quis dicat, quod ratione infidelitatis possunt spoliari. Certum est enim quod nullus infidelium recognoscit hoc dominium: nullus autem doctor, nec
 etiam

etiam inter adversarios est, qui hoc concedat, scilicet quòd solo titulo infidelitatis possunt spoliari: ergo omnino est sophisticum, quod isti Doctores dicunt, quod si infideles recognoscunt dominium Romani Pontificis, non possunt bello infestari, benè autem si non recognoscunt. Nullus enim recognoscit.

Ex quo patet, quòd nec iste titulus est idoneus contra barbaros, vel quia Papa dederit provincias illas tanquam dominus absolute, vel quia non recognoscunt dominium Papæ, habent Christiani causam justæ belli contra illos. Et hanc sententiam tenet Cajetan. latè 2.2. q.66. art.8. ad 2. Nec authoritas Canonistarum in contrarium multum debet movere: quia (ut supra dictum est) hæc tractanda sunt ex jure divino, & plures, & majores contrarium tenent, inter quos etiam est Joann. Andr. nec habent pro se aliquem textum, nec etiam gravis authoritas Archiepisc. Florent. hoc loco recipienda est, secutus est enim August. Anch. sicut aliàs solet sequi Canonistas. Ex dictis patet, quod Hispani cum primum navigaverunt ad terras barbarorum, nullum jus secum afferebant occupandi provincias illorum.

Et ideo alius titulus est, qui potest prætendi in jure inventionis, nec alius titulus à principio prætendebatur: & hoc solo titulo primo navigavit Columbus Januensem. Et videtur quòd hic titulus sit idoneus, quia illa, quæ sunt deserta, fiunt jure gentium & naturali occupantis. Institut. de Rerum division. §. *Fera bestia*. Ergo cum Hispani fuerint primi, qui invenerint, & occupaverint illas provincias, sequitur quod jure possident, sicut si solitudinem inhabitatam hæctenus invenissent.

Sed de isto titulo, qui tertius est, non oportet multa verba facere: quia ut supra probatum est, barbari erant veri domini, & publice, & privatim. Jus autem gentium est, ut quod in nullius bonis est, occupanti concedatur: ut habetur expressè in dict. §. *Fera bestia*. Unde cum illa bona non carerent domino, non cadunt sub illo titulo. Et sic licet iste titulus cum

*Titulus 3. in-
pugnatur.*

alio

alio aliquid facere possit (ut infra dicetur) tamen per se nihil juvat ad possessionem illorum, non plusquam si illi invenissent nos.

Et ideo quartus titulus prætenditur, quia scilicet nolunt recipere fidem Christi, cum tamen proponatur eis, & sub oblationibus admoneantur, ut recipiant: & videtur quod iste titulus sit legitimus ad occupandas terras barbarorum. Primò, quia barbari tenentur recipere fidem Christi, quia: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nullus autem condemnatur nisi pro mortali. Et Actor. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Cum ergo Papa sit Minister Christi, saltem in spiritualibus, videtur quod saltem authoritate Papæ possent cogi ad recipiendam fidem Christi: & si requisiti nolint recipere, jure belli possit agi contra eos. Imò videtur, quod etiam Principes sua authoritate hoc possint, quia sunt Ministri Dei: (1) *Et vindices in iram eis, qui malè agunt.* Isti autem pessimè agunt, non recipientes fidem Christi: ergo possunt cogi à Principibus. Secundò, quia si Galli nolent obedire Regi suo, posset Rex Hispaniæ cogere illos ut obedirent: ergo si nolunt obedire Deo, qui est verus & supremus Dominus, possunt Principes Christiani cogere illos barbaros, ut obediant. Non enim videtur quod debeat esse peioris conditionis causa Dei, quàm hominum. Et confirmatur: Quia sicut arguit Scotus 4. dist. 4. q. 9. de pueris infidelium baptizandis, potius debet aliquis cogi ad obediendum domino superiori, quàm inferiori. Si ergo cogi possent barbari ut obedirent Principibus suis: ergo multo magis ut obediant Christo, & Deo.

Tertiò, quia si blasphemarent publicè Christum, possent bello cogi, ut desisterent ab hujusmodi blasphemis, ut Doctores concedunt, & verum est. Possemus enim bello persequi, si uterentur Crucifixo ad irrisionem, vel quocumque modo abuterentur ad ignominiam rebus Christianis, ut fingentes ad illusionem Sacramenta Ecclesiæ, vel aliquod simile. Quod etiam

(1)
Ad Rom. 13.

etiam patet. Nam si facerent injuriam Regi Christiano, etiam defuncto, possemus vindicare injuriam: multo ergo magis si faciant injuriam Christo, qui est Rex, & Dominus Christianorum. Nec de hoc est dubitandum, quia si Christus viveret inter mortales, & pagani facerent ei injuriam, non est dubium quin possemus bello persequi injuriam: ergo etiam nunc. Sed majus peccatum est infidelitas, quam blasphemia, quia ut S. Thom. dicit, & probat 2. 2. q. 10. art. 3. infidelitas est gravissimum inter peccata, quæ contingunt in perversitate morum, quia opponitur directè fidei, & blasphemia non opponitur directè fidei, sed confessioni fidei. Infidelitas etiam tollit principium conversionis in Deum, scilicet fidem, non autem blasphemia. Si ergo pro blasphemia in Christum possunt Christiani bello persequi infideles: ergo pro ipsa infidelitate. Et confirmatur: Quòd blasphemia non sit ita magnum peccatum, sicut infidelitas. Quia pro infidelitate est poena capitalis Christiano per leges civiles, non autem pro blasphemia.

8 Pro responsione sit prima propositio: Barbari * priusquam aliquid audissent de fide Christi, non peccabant peccato infidelitatis, eo quòd non crederent in Christum. Hæc propositio est ad literam S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. ubi dicit, quòd apud eos, qui nihil audierunt de Christo, infidelitas non habet rationem peccati, sed magis poenæ, quia talis ignorantia divinorum, ex peccato primi parentis secuta est. *Qui autem* (inquit) *sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, sed non propter peccatum infidelitatis.* Unde Dominus dicit Joann. 15. *Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent.* Quod exponens Augustinus dicit, quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum. Idem videtur dicere S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 6. & q. 34. art. 2. ad 2.

Hæc propositio est contra multos Doctores, & primò contra Altiliod. 3. part. in q. *Utrum fidei possit subesse falsum.* Ubi dicit, quòd non potest aliquis habere ignorantiam invincibilem, non solum Christi, sed cu-

Resp. & impugn. 4. tit.

juscumque articuli fidei : quia si faciat quod in se est, Dominus illuminabit, sive per Doctorem intrinsecum, sive extrinsecum : & sic semper est peccatum mortale credere aliquid contrarium articulis fidei. Ponit exemplum de vetula, cui Episcopus prædicaret aliquid contra fidei articulum. Et generaliter dicit, quòd ignorantia juris divini neminem excusat. Eadem fuit opinio Guillelmi Parisiens. qui eodem modo argumentatur. Vel enim talis facit quod in se est, & illuminabitur : si non facit, non excusatur. Et in eadem sententia videtur fuisse Gerson. de Spirituali vita animæ, lect. 4. *Concors (inquit) est sententia Doctorem, quòd in his, quæ sunt juris divini, non cadit ignorantia invincibilis, quantum facienti quod in se est, Deus semper assistat paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitacionem.* Et Hugo de Sancto Victore lib. 2. part. 9. cap. 5. dicit neminem excusari per ignorantiam à præcepto baptismi suscipiendi : quia nisi sua culpa obstiterit, audire & scire poterit, ut exemplum est de Cornelio Act. 10. Hanc sententiam & opinionem limitat Adrian. in quodlibet. q. 4. *Ea, inquit, quæ sunt juris divini, sunt in duplici differentia. Quædam sunt, ad quorum scientiam Deus non obligat omnes universaliter, ut sunt apices juris divini, & difficultates circa illud, & circa Scripturam sacram, & præcepta : & circa hæc bene potest cadere ignorantia invincibilis, etiam si quis faciat totum quod in se est. Alia sunt, ad quorum scientiam Deus generaliter obligat omnes, ut articuli fidei, præcepta universalis legis : & de his est verum, quòd Doctores dicunt, quòd non potest quis excusari per ignorantiam. Si enim quis faciat quod in se est, illuminabitur à Deo per Doctorem interiorem, vel exteriorem.*

Sed nihilominus conclusio posita videtur expressè de intentione S. Thom. Et probatur : Tales, qui nunquam audierunt quicquam quantumcunque sint aliàs peccatores, ignorant invincibiliter : ergo talis ignorantia non est peccatum. Antecedens patet ex illo ad Rom. 10. *Quomodo credent, nisi audiant : quomodo au-*

tem audient sine predicante? Ergo si non est eis prædicata fides, ignorant invincibiliter, quia non possunt scire. Neque Paulus condemnat infideles, quia non faciunt quod in se est, ut illuminentur à Deo: sed quia cum audissent, non crediderunt. Nunquid (inquit) non audierunt? Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum. Ex hoc condemnat illos, quia in omnem terram fuit prædicatum Evangelium, aliàs non condemnaturus quantumcunque haberent alia peccata.

Unde etiam decipitur Adrianus in alio puncto circa materiam de ignorantia. Dicit enim in eodem quodlib. quòd etiam in materia morum si quis adhibet omnem industriam, & diligentiam ad sciendum ea quæ oportet, non satis est ad excusationem ignorantiae, nisi per contritionem peccatorum disponat se ad hoc, ut illuminetur à Deo: ut si quis dubitat de aliquo contractu, & quærit à viris doctis, & aliàs laborat ad sciendum veritatem, & putat esse licitum: si fortè non est licitus, & exercet, non excusatur, si fortè aliàs est in peccato, quia non facit totum quod in se est ad vincendum ignorantiam, & licet stet, quòd etiam si disponat se ad gratiam, non illuminetur: tamen non excusatur, nisi tollat hoc impedimentum, scilicet peccatum. Unde si de eodem casu, & contractu Petrus, & Joannes dubitant, & faciunt æqualem diligentiam humanam, & uterque putat esse licitum: Petrus autem est in gratia, Joannes in peccato: Petrus habet ignorantiam invincibilem, Joannes vincibilem: & si uterque exercent contractum, Petrus excusatur, Joannes non excusatur. Fallitur inquam in hoc, sicut à me disputandum est latè prima secundæ, in materia de ignorantia. Mirabile enim esset dicere, quòd in nulla materia juris divini possit habere ignorantiam invincibilem infidelis, imò quicumque est in peccato mortali. Imò sequitur, quòd ille Petrus, qui erat in gratia, & ignorabat invincibiliter aliquid circa usuram, aut simoniam, solùm per hoc quod caderet in mortale, illa ignorantia fieret vincibilis, quòd absurdum est.

Unde dico, quòd * ad hoc, quòd ignorantia imputetur, & sit peccatum, vel vincibilis, requiritur negligentia circa illam materiam, puta, quia noluit audire, vel auditum non credidit: & è contrario ad ignorantiam invincibilem satis est, quòd fecerit humanam diligentiam ad sciendum, etiam si aliàs sit in mortali. Unde quantum ad hoc idem est iudicium de existenti in peccato, & de existenti in gratia nunc & statim post adventum Christi, vel post passionem ejus. Nec possit Adrianus negare, quin paulo post passionem Domini Judæi, qui erant in India, vel Hispania, ignorarent invincibiliter passionem Domini, quantumcumque essent in mortali, imò expressè hoc ipse concedit in 1. q. ad 4. in materia de observantia legalium. Et certum est, quòd Judæi absentes à Judea, sive essent in peccato, sive non, habebant ignorantiam invincibilem de Baptismo, aut de Fide Christi. Sicut ergo tunc poterat cadere ignorantia invincibilis de hoc, ita & nunc apud eos, apud quos non est facta annuntiatio de Baptismo. Sed in hoc decipiuntur isti Doctores, quia patant, quod si ponamus ignorantiam invincibilem de Baptismo, aut Fide Christi, quòd statim consequitur, quòd possit aliquis salvari sine Baptismo, aut Fide Christi: quod tamen non sequitur. Barbari enim ad quos non pervenit annuntiatio Fidei, aut Religionis Christianæ, damnabuntur propter peccata mortalia, aut idololatriam, sed non propter peccatum infidelitatis, ut dicit S. Thom. 2. 2. ubi supr. quòd si facerent quod in se est, benè vivendo secundum legem naturæ, ita est, quod Dominus provideret, & illuminaret illos circa nomen Christi: non ideo tamen sequitur, quòd si malè vivant, imputetur eis ad peccatum ignorantia, aut infidelitas circa Baptismum, & Fidem Christianam.

Secunda propositio: Barbari * non ad primum requiruntur Fidei Christianæ tenentur credere ipsum, ita quòd peccent mortalitèr, non credentes solum per hoc, quod simpliciter annuntiatur eis, & proponitur, quòd vera Religio est Christiana, & quòd Christus est

Salvator, & Redemptor mundi, sine miraculis, aut quacunque alia probatione, aut suasionem. Probatum hæc conclusio ex prima. Si enim antequam aliquid audissent de Religione Christiana, excusabantur, non obligantur de novo per hujusmodi simplicem propositionem, & annuntiationem, cum talis annuntiatio nullum sit argumentum, aut motivum ad credendum. Imò, ut Cajet. ait 2. 2. quæst. 1. art. 4. temerè, & imprudenter quis crederet aliquid, maxime in his, quæ spectant ad salutem, nisi cognoscat à viro fidedigno illud asseri. Quod barbari non cognoscunt, cum ignorent qui, aut quales sint, qui eis novam Religionem proponunt. Et confirmatur, quia ut ait S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. ad secundum argum. & art. 5. ad 1. ea quæ sunt fidei, sunt visa, & evidentia sub ratione credibilis. Non enim fidelis crederet nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquod hujusmodi: ergo ubi neque hujusmodi signa, neque aliquod aliud ad persuadendum concurrat, non tenentur barbari credere. Et confirmatur, quia si simul Saraceni eodem modo proponerent barbaris sectam suam simpliciter, sicut Christiani, non tenerentur eis credere, ut certum est: ergo nec Christianis sine aliquo motivo, & suasionem proponentibus, quia non possunt, nec tenentur divinare utra sit verior Religio, nisi appareant probabiliora motiva pro altera parte. Hoc enim esse citò credere, quod est levis corde, ut dicit Ecclesiasticus cap. 19. Et confirmatur per illud: (1) *Si signa non fecissem, &c. peccatum non haberent*: ergo ubi nulla fiunt signa, neque motiva, nullum erit peccatum.

II Ex qua propositione sequitur, * quod si solum illo modo proponatur fides barbaris, & non recipiant, non hac ratione possunt Hispani inferre illis bellum, neque jure belli contra eos agere. Patet, quia sunt innocentes quantum ad hoc, nec fecerunt aliquam injuriam Hispanis.

Et confirmatur hoc corollarium, quia ut S. Thom. tradit 2. 2. quæst. 40. art. 1. ad bellum justum requiritur

(1)

Joan. 15.

tur causa iusta, ut scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde Augustinus dicit lib. 83. q. *Iusta bella solent diffiniri, qui ulciscuntur injurias, si gens, vel civitas peccanda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.* Si ergo nulla præcessit à barbaris injuria, nulla est causa iusti belli. Et hæc est sententia communis omnium Doctorum, non solum Theologorum, sed etiam Jurisconsultorum, ut Hostiensis, Innocentii, & aliorum. Et ponit eam disertè Cajet. 2. 2. q. 66. art. 8. nec scio aliquem Doctorem, qui oppositum sentiat. Unde hic non esset legitimus titulus ad occupandas Provincias barbarorum, & spoliandos priores dominos.

Tertia propositio: Si * barbari rogati, & admo 12
niti, ut audiant pacificè loquentes de religione, nolent audire, non excusarentur à peccato mortali. Probat: Quia, ut supponimus, illi habent gravissimos errores, de quibus non habent rationes verisimiles, aut probabiles: ergo si quis admoneat eos, ut audiant, ac deliberent de rebus spectantibus ad religionem, tenentur saltem audire, & consultare. Item necessarium est eis ad salutem credere in Christum, & baptizari. (1) *Qui crediderit, &c.* Sed non possunt credere, nisi audiant: (2) ergo tenentur audire, aliàs essent extra statum salutis, sine culpa sua, si non tenentur audire.

(1)
Marc. ultim.

(2)
Ad Rom. 10.

Quarta propositio: Si * fides Christiana propona- 13
tur barbaris probabiliter, id est cum argumentis probabilibus, & rationabilibus, & cum vita honesta, & secundum legem naturæ studiosa, quæ magnum est argumentum ad confirmandam veritatem: & hoc non semel, & perfunctoriè, sed diligenter, & studiosè, barbari tenentur recipere fidem Christi sub pœna peccati mortalis. Probat ex 3. conclusione. Quia si tenentur audire: ergo, & acquiescere auditis si sunt rationabilia: & patet manifestè ex illo: (3) *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:*
qui

(3)
Marc. ultim.

qui verò non crediderit, condemnabitur. Et per illud:

(1) Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

(1)
Astor. 4.

14 Quinta propositio: Non * satis liquet mihi, an fides Christiana fuerit barbaris, hæcenus ita proposita, & annuntiata, ut teneantur credere sub novo peccato. Hoc dico, quia (ut patet ex secunda propositione) non tenentur credere, nisi proponatur eis fides cum probabili persuasione. Sed miracula, & signa nulla audio, nec exempla vitæ adeò Religiosa: imò contrà, multa scandala, & sæva facinora, & multas impietates. Unde non videtur quod Religio Christiana satis commodè, & piè sit illis prædicata, ut illi teneantur acquiescere: quanquam videntur multi Religiosi, & alii Ecclesiastici viri, & vita, & exemplis, & diligenti prædicatione sufficienter operam, & industriam adhibuisse in hoc negotio, nisi ab aliis, quibus alia cura est, impediti essent.

15 Sexta propositio: Quantuncumque * fides annuntiata sit barbaris probabiliter, & sufficienter, & noluerint eam recipere: non tamen hac ratione licet eos bello persequi, & spoliare bonis suis. Hæc conclusio est expressa S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. ubi dicit, quod infideles, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Judæi, nullo modo sunt compellendi ad fidem. Et est conclusio communis Doctorum etiam in jure Canonico, & Civili. Et probatur: Quia credere est voluntatis, timor autem multum minuit de voluntario. (2) Et ex timore servili dumtaxat accedere ad Mysteria, & Sacramenta Christi, sacrilegum est. Item probatur ex cap. De Judæis 45. dist. De Judæis autem præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre, cui enim vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. Non est dubium quin sententia Concilii Toletani sit, ut non agatur cum Judæis minis, & terroribus ad recipendam finem. Et idem dicit expressè Greg. in cap. Qui sincera, eadem dist. Qui sincera (inquit) intentione extraneos à Christiana Religione, ad fidem cupiunt perfectam perducere, blandimentis debent,

(2)
3. Ethic.

non asperitatibus studere: nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta sui ritus voluerint cultura removere, suas illic magis quàm Dei causas probantur attendere. Item probatur propositio ex usu, & consuetudine Ecclesiæ. Nunquam enim Imperatores Christiani, qui sanctissimos, & sapientissimos Pontifices à consilio habebant, bellum intulerunt infidelibus, eo quòd nollent recipere Christianam Religionem. Item bellum, nullum argumentum est pro veritate Fidei Christianæ: ergo per bellum barbari non possunt moveri ad credendum, sed ad fingendum se credere, & recipere fidem Christianam, quod immane, & sacrilegum est. Et quamvis Scot. in 4. dist. 4. q. ultim. dicat, quod Religiosè fieret, si infideles cogentur à principibus minis, & terroribus ad fidem: hoc tamen non videtur intelligere, nisi de infidelibus, qui aliàs sunt subditi Principum Christianorum, de quibus postea dicetur. Barbari autem non sunt tales: unde puto quod nec Scotus hoc assereret de barbaris istis. Patet itaque, quod neque iste titulus idoneus est, & legitimus ad occupandas Provincias barbarorum.

Alius titulus prætenditur seriò, & est titulus quintus, scilicet peccata ipsorum barbarorum. Dicunt enim quod licet non possint bello infestari ratione infidelitatis suæ, aut quia non recipiunt fidem Christianam, possunt tamen bello peti, propter alia peccata mortalia, quæ multa habent, & ipsa gravissima, ut ajunt. Circa peccata autem mortalia distinguunt. Dicunt enim, quòd sunt aliqua peccata, quæ non sunt contra legem naturæ, sed solum contra legem divinam positivam: & pro his barbari non possunt infestari bello. Alia autem sunt contra naturam, ut esus carnis humanæ, concubitus indifferens, cum matre, sororibus, & cum masculis: & pro his possunt infestari bello, & cogi, ut ab his desistant. Et ratio utriusque est, quia circa alia peccata, quæ sunt contra legem positivam, non potest eis ostendi evidenter, quòd malè faciant: circa alia autem quæ sunt contra legem naturæ, potest eis ostendi, quòd offendunt Deum; & per consequens

possunt coerceri ne offendant eum amplius. Præterea possunt cogi ut servant legem, quàm ipsi profitentur, ea autem est lex naturæ: ergo. Hæc est opinio Archiepiscopi Florent. 3. part. tit. 22. cap. 5. §. 8. post August. de Anch. idem Sylvest. in verb. *Papa*. §. *Septimo*: & est opinio Innocenc. in cap. *Quòd super bis*. de Voto. ubi expressè dicit: *Credo quòd si Gentiles, qui non habent nisi legem naturæ contra legem naturæ faciant, poterunt per Papam puniri*. Et arguitur Genes. 19. ubi *Sodomitæ puniti sunt à Deo*. Cùm autem *Dei judicia sint nobis exemplaria, non video quare Papa, qui est Vicarius Christi, hoc non possit*. Hæc Innocen. Et eadem ratione poterunt autoritate Papæ puniri à Principibus Christianis.

¶ 6 Sed pono conclusionem: Principes * Christiani, etiam autoritate Papæ non possunt coercere barbaros à peccatis contra legem naturæ. Nec ratione illorum eos punire. Probatum primo. Quia isti præsupponunt falsum, videlicet, quod Papa habeat jurisdictionem in illos, ut supra dictum est. Secundò, quia vel intelligunt universaliter pro peccatis contra legem naturæ, ut pro furto, fornicatione, adulterio, vel peculiariter pro peccatis contra naturam, de quibus S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 11. & 12. quomodo peccatum contra naturam dicitur non solum quia est contra legem naturæ, sed contra ordinem naturalem, quod 2. ad Corinth. 2. vocatur immunditia, secundum Gloss. ut concubitus puerilis, & bestialis, vel fœminæ ad fœminam: de quo ad Rom. 1. Si secundo modo solum, contra arguitur. Quia homicidium est ita grave, vel gravius peccatum, & ita manifestum, quod si pro illis licet: ergo & pro homicidio. Item blasphemia est ita grave peccatum, & ita manifestum, ergo. Si primo modo, id est generaliter pro omni peccato contra legem naturæ: contra, pro fornicatione non licet: ergo nec pro aliis peccatis quæ sunt contra legem naturæ. Antecedens patet: (1) *Scripti vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis*. Et præterea, si quis *frater nominatur inter vos fornicator, aut idolis serviens, &c.* Et infra: *Quid enim mihi de his, quæ foris sunt judica-*

*Resp. 2^o in 2^a
pug. 5. tit.*

(1)
1. Ad Cor. 5.

re? ubi S. Thom. dicit: *Pralati acceperunt potestatem super eos tantum, qui fidei se subdiderunt.* Ubi aperte patet, quod Paulus dicit non spectare ad eum iudicium de infidelibus, & fornicariis idololatriis. Item nec omnia peccata contra legem naturæ possunt evidenter ostendi, saltem omnibus. Item hoc tantundem est dicere, ac si quis dicat, quod propter infidelitatem liceat barbaros debellare: omnes enim sunt idololatræ. Item non licet Papæ inferre bellum Christianis, quia sunt fornicarii, aut fures, imo quia cynedi: nec ideo potest publicare terras eorum, & dare aliis Principibus, hoc enim modo cum in omni Provincia sint multi peccatores, quotidie possent mutari regna.

Et confirmatur graviora enim peccata sunt hæc apud Christianos, qui sciunt illa esse peccata quam apud barbaros, qui ignorant esse peccata. Item mirum est quod Papa non possit ferre leges infidelibus, & possit exercere iudicia, & inferre pœnas. Item arguitur, & certè videtur convincere, quia vel barbari tenentur ferre pœnas illatas pro illis peccatis, vel non. Si non tenentur: ergo nec Papa potest inferre. Si tenentur: ergo tenentur recognoscere Papam tanquam dominum, & legislatorem: ergo si non recognoscant, jam propter hoc solum potest eis inferri bellum: quod etiam isti negant, ut supra dictum est. Et profectò mirum est quod possint impune negare auctoritatem, & jurisdictionem Papæ: & tamen teneantur subire iudicium ejus. Item non possunt acceptare iudicium Papæ, quæ non sunt Christiani. Nullo enim alio jure Papa potest eos condemnare aut punire, nisi quia Vicarius Christi. Sed isti fatentur, tam Innocentius, quam August. de Anch. quàm etiam Archiepis. & Sylvest. quod non possunt puniri, quia non recipiunt Christum: ergo nec quia non recipiunt iudicium Papæ. Hoc enim præsupponit illud.

Et confirmatur, quod nec iste titulus, nec præcedens sit sufficiens. Quia etiam in veteri Testamento, ubi tamen armis res gerebantur, nunquam populus Israel occupavit terras infidelium: vel quia essent infide-

deles, & idololatræ, vel quia haberent alia peccata contra naturam, qui multa habebant, quia erant idololatræ, & alia peccata contra naturam habebant, ut quia sacrificabant filios suos, & filias suas dæmon iis: sed vel ex speciali dono Dei, vel quia transitum impediebant, vel eos offenderant. Item quid isti vocant, profiteri legem naturæ? si est cognoscere, non totam cognoscunt: si est velle servare legem naturæ, contra, etiam volunt servare totam legem divinam. Si enim scirent legem Christianam esse divinam, vellent servare, ergo non magis profiterentur legem naturæ, quàm Christianam. Item profectò majores probationes habemus ad probandum legem Christi esse à Deo, & esse veram quàm ad probandum quòd fornicatio est mala, vel cavenda alia, etiam lege naturali prohibita. Ergo si possunt cogi ad observandum legem naturæ, quia potest probari: ergo etiam ad observationem legis evangelicæ.

Restat alius, & sextus titulus, qui potest prætendi, vel prætenditur, scilicet per electionem voluntariam. Hispani enim cum ad barbaros perveniunt, significant eis, quemadmodum Rex Hispaniæ mittit eos pro commodis eorum, & admonent eos, ut illum pro domino, & Rege recipiant, & acceptent. Et illi retulerunt placere sibi. Et nihil tam naturale est, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi. Instit. de Rerum divisione, §. *Per traditionem.*

Sed ego pono conclusionem. Nec iste titulus est idoneus. Patet primò: Quia deberet abesse metus, & ignorantia, quæ vitiant omnem electionem. Sed hæc maxime intervenit in illis electionibus, & acceptationibus. Nesciunt enim barbari quid faciunt, imò fortè nec intelligunt quid petunt Hispani. Item hoc petunt circumstantes armati ab imbelli turba, & meticulosa. Item cum illi (ut supra dictum est) haberent veros dominos, & Principes, non potest populus sine alia rationabili causa accersere novos dominos: quod est in detrimentum priorum. Item nec è contrariò ipsi domini possunt novum Principem creare sine assensu populi. Cum er-

Impug. 6. tit.

ego in hujusmodi electionibus, & acceptationibus non concurrant omnia requisita ad legitimam electionem, omnino ille titulus non est idoneus, nec legitimus ad occupandas, & obtinendas illas Provincias.

Septimus titulus est, qui possit prætendi, scilicet ex speciali dono Dei: dicunt enim nescio qui, quod Dominus in suo peculiari judicio condemnavit istos barbaros omnes ad perditionem, propter abominationes suas, & tradidit in manus Hispanorum, sicut olim Cananæos in manus Jndæorum.

Impug. 7. tit.

Sed de hoc nolo multum disputare, quia periculosè crederetur alicui prophetiam asserenti contra communem legem, & contra regulas Scripturæ, nisi miraculis confirmaretur doctrina sua: quæ tamen nulla proferuntur ab hujusmodi prophetis. Item dato quòd ita esset, quòd Dominus perditionem barbarorum facere constituisset, non tamen ideo consequitur, quòd ille, qui eos perderet, esset sine culpa, sicut nec erant sine culpa Reges Babylonix, qui contra Hierusalem ducebant exercitum, & filios Israel ducebant in captivitatem: licet revera totum fuerit ex peculiari Providentia Dei: sicut sæpe illis erat prædictum. Nec Jeroboam rectè avertit populum Israel à Roboam, quamvis hoc factum fuisset consilio Domini: sicut etiam Dominus per Prophetam comminatus fuerat: & utinam secluso peccato infidelitatis, non sint majora peccata in moribus apud aliquos Christianos, quam sunt inter illos barbaros. Scriptum quoque est 1. Joann. 4. *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint.* Et ut ait S. Thom. 1. 2. quæst. 68. *Dona dantur à Spiritu Sancto ad perficiendum virtutes. Unde ubi fides, aut auctoritas, aut providentia ostendit quid agendum sit, non est recurrendum ad dona.* Hæc de falsis, & non idoneis titulis occupandi provincias barbarorum sufficiant.

Sed notandum, quòd ego nihil vidi scriptum de hac quæstione, nec unquam interfui disputationi, aut consilio de hac materia: unde fieri posset, ut alii fortasse fundent titulum, & justitiam hujus negotiationis,

nis, & principatus in aliquo prædictorum, non sine ratione aliqua. Sed ego hæcenus non possum aliud intelligere, nisi quod dictum est: unde si non essent alii tituli quàm isti, profectò malè consultum esset saluti Principum, vel potius eorum, ad quos spectat hæc detegere. Nam Principes sequuntur aliorum consilium: quia per se hæc examinare non possunt. *Quid prodest, inquit Dominus, homini si universum mundum lucretur, seipsum verò perdat, & detrimentum sui faciat?* Matth. 16. & Marc. 8. & Luc. 9.



DE TITULIS LEGITIMIS,
quibus Barbari potuerint venire
in ditionem Hispanorum.

S U M M A.

1. Barbari, quomodo potuerunt venire in ditionem Hispanorum ratione naturalis societatis, & communitatis.
2. Hispani habent jus peregrinandi ad Indorum barbarorum provincias, & illic degendi, sine eorum tamen nocumento aliquo, nec possunt ab illis prohiberi.
3. Hispanis licet apud Indos barbaros negotiari, sine patria tamen incommodo, importando merces, quibus illi carent, &c. & efferendo inde aurum, & argentum, vel alia quibus abundant, nec illorum Principes possunt impedimento esse quominus subditi exerceant commercia inter Hispanos, &c.
4. Barbaris, non licet prohibere Hispanos à communicatione, & participatione illorum, quæ apud eos sunt communia tam civibus, quàm hospitibus.
5. Liberi, si apud Indos nascantur ex parentibus Hispanis illic domicilium habentibus, & velint esse cives, non possunt arceri, vel à civitate, vel à comodo aliorum civium.

6. Bar-

6. Barbari, si bellent prohibere Hispanos à commercio cum ipsis, &c. quid esse agendum.
7. Hispani, si omnibus modestissimè tentatis, non possunt consequi securitatem cum Barbaris, seu Indis, nisi civitates occupando, & subjiciendo illos, an hoc facere licitè possint, sic civitates occupare, & ipsos subjicere.
8. Hispani, quando, & in quo casu possent sevirè in barbaros tanquam in perfidos hostes, & in illos omnia belli jura prosequi, eos spoliare, imò & in captivitate redigere, quin etiam & dominos priores deponere, & novos constituere.
9. An barbari causa Religionis Christiane propagandæ potuerint in Hispanorum ditionem venire. Et quod Christiani habent jus prædicandi, & annuntiandi Evangelium in provinciis barbarorum.
10. Papa potuit negotium conversionis Indorum barbarorum solis Hispanis demandare, & omnibus aliis, non solum prædicationem, sed etiam commercium interdicerè, si ita expediret ad Christianæ Religionis propagationem.
11. Barbari non sunt debellandi, neque suis bonis privandi, si permittant Hispanos liberè, & sine impedimento Evangelium prædicare, sive illi fidem recipiant, sive non.
12. Barbari, sive eorum domini, sive ipsa multitudo, impediunt Evangelii promulgationem, quomodo ab Hispanis (absque scandalo tamen) possint coerceri. Et quid dicendum de his, qui prædicationem admittunt, conversionem tamen, aut interficientes, aut punientes, ad Christum conversos, aut alios deterrentes impediunt.
13. Barbari, quomodo potuerunt in Hispanorum ditionem venire, eo quòd cum essent conversi, & Christiani effecti, eorum Principes vi, aut metu volentes eos ab idololatria revocare, ab Hispanis fuerint protecti, & sub eorum tutelam recepti.
14. Barbari in Hispanorum venire potuerunt ditionem: quia cum bona pars eorum esset ad Christum conversa,

Papa illis petentibus, aut non petentibus, potuit ex rationabili causa dare illis Christianum Principem, ut est Hispanorum Rex, aliis dominis infidelibus repulsis.

15. *An barbari in ditionem Hispanorum venire potuerint propter tyrannidem suorum dominorum, vel propter leges tyrannicas in injuriam innocentium.*
16. *Barbari Indi potuerunt in Hispanorum ditionem venire per veram, & voluntariam electionem.*
17. *Barbari, societatis, & amicitiae titulo potuerunt venire in ditionem Hispanorum.*
18. *An Hispani potuissent barbaros redigere sub ditionem suam si certò constaret eos esse amentes.*

NUNC dicam de legitimis titulis, & idoneis, quibus barbari venire potuerunt in ditionem Hispanorum.

Primus titulus.

1 Primus titulus * potest vocari naturalis societatis, & communicationis.

2 Et circa hoc sit prima conclusio: Hispani * habent jus peregrinandi in illas provincias, & illic degendi, sine aliquo tamen nocumento barbarorum, nec possunt ab illis prohiberi. Probatum primò ex jure gentium, quod vel est jus naturale, vel derivatur ex jure naturali. Instit. de Jure naturali gent. *Quòd naturalis ratio inter omnes gentes constituit, vocatur jus gentium.* Apud omnes enim nationes habetur inhumanum sine aliqua speciali causa hospites & peregrinos malè accipere: è contrariò autem humanum, & officiosum, habere benè erga hospites: quod non esset, si peregrini malè facerent, accedentes ad alienas nationes. Secundò: A principio orbis (cum omnia essent communia) licebat unicuique in quamcunque regionem vellet, intendere, & peregrinari. Non autem videtur hoc demptum per rerum divisionem. Nunquam enim fuit intentio gentium per illam divisionem tollere hominum invicem communicationem: & certè temporibus Noè fuisset inhumanum. Tertio: Omnia licent, quæ non sunt prohibita, aut aliàs sunt.

in injuriam, aut detrimentum aliorum. Sed (ut supponimus) talis peregrinatio Hispanorum est sine injuria aut damno barbarorum: ergo est licita. Quarto, non liceret Gallis prohibere Hispanos à peregrinatione Galliarum, vel etiam habitatione, aut è contrario, si nullo modo cederet in damnum illorum, nec facerent injuriam: ergo nec barbaris. Item quinto: Exilium est poena etiam inter capitales: ergo non licet relegare hospites sine culpa. Item sexto: Hæc est una pars belli, prohibere aliquos tanquam hostes à civitate, vel provincia, vel expellere jam existentes. Cum ergo barbari non habeant justum bellum contra Hispanos, supposito quòd sint innoxii: ergo non licet illis prohibere Hispanos à patria sua. Item septimò facit illud Poetæ:

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem.

Permittit patria, hospitio prohibemur arena?

(1)

Eccles. 17.

Item octavò: *Omne animal diligit sibi simile.* (1) ergo videtur quòd amicitia inter homines sit de jure naturali: & quòd contra naturam est vitare consortium hominum innoxiorum. Item nonò facit illud: (2)

(2)

Matth. 25.

Hospes eram, & non collegistis me. Unde cum ex jure naturali videatur esse recipere hospites, illud Christi judicium statuatur cum omnibus. Decimò: *Jure naturali communia sunt omnium, & aqua profluens, & mare: item flumina, & portus,* atque naves jure gentium undecumque licet applicare. Instit. de Rerum divisione, & eadem ratione videntur publica: ergo neminem licet ab illis prohibere: ex quo sequitur, quòd barbari injuriam facerent Hispanis, si prohiberent illos à suis regionibus. Item undecimò, ipsi admittunt omnes alios barbaros undecumque: ergo facerent injuriam non admittentes Hispanos. Item duodecimò: Quia si Hispanis non liceret peregrinari apud illos, vel hoc esset jure naturali, aut divino, aut humano: naturali & divino certè licet. Si autem lex humana esset, quæ prohiberet sine aliqua causâ à jure naturali, & divino, esset

esset inhumánum, nec esset rationabilis, & per consequens non haberet vim legis. Decimotertiò: Vel Hispani sunt subditi illorum, vel non. Si non sunt subditi, ergo non possunt prohibere. Si sunt subditi, ergo debent eos bene tractare. Item decimoquartò: Hispani sunt proximi barbarorum, ut patet ex Evangelio (1) de Samaritano. Sed tenentur diligere proximos, (2) sicut seipsum: ergo non licet prohibere illos à patria sua sine causa. Augustin. de Doctrina Christiana: *Cùm dicitur: Diliges proximum tuum, manifestum est omnem hominem proximum esse.*

(1)

Luc. 104.

(2)

Matth. 22.

8 Secunda propositio: Licet * Hispanis negotiari apud illos, sine patriæ tamen damno, puta importantes illuc merces, quibus illi carent: & adducentes illinc vel aurum, vel argentum, vel alia, quibus illi abundant. Nec Principes illorum possunt impedire subditos suos ne exercent commercia cum Hispanis, nec è contrariò Principes Hispanorum possunt commercia cum illis prohibere. Probatur ex prima. Primò, quia etiam hoc videtur jus gentium, ut sine detrimento civium peregrini commercia exercent. Item secundò eodem modo probatur: Cùm hoc liceat jure divino: ergo lex quæ hoc prohiberet sine dubio, non esset rationabilis. Item tertiò: Principes tenentur diligere Hispanos jure naturali: ergo non licet eis si potest fieri sine detrimento illorum, prohibere illos à commodis suis sine causa. Quartò: Quia videntur facere contra illud proverbium: *Non facies alteri, quod tibi fieri non vis.* Et in summa certum est, quòd non plus possunt barbari prohibere Hispanos à commercio suo, quàm Christiani possunt prohibere alios Christianos. Clarum est autem, quòd si Hispani prohiberent Gallos à commercio Hispaniarum, non propter bonum Hispaniæ, sed ne Galli participant aliquam utilitatem, lex esset iniqua, & contra charitatem. Si autem hoc lege caveri justè non potest, nec etiam factò fieri, quia lex non est iniqua, nisi propter executionem legis. Et ut dicitur ff. de Justit. & jure, *velut vim inter homines omnes cognationem quandam,*

natura constituit. Unde contra jus naturale est, ut homo hominem sine aliqua causa aversetur. *Non enim homini homo lupus est, ut ait Ovidius, sed homo.*

Tertia propositio: Si * quæ sunt apud barbaros 4 communia tam civibus, quàm hospitibus, non licet barbaris prohibere Hispanos à communicatione, & participatione illorum. Exempli gratia: Si licet aliis peregrinis, vel effodere aurum in agro communi, vel ex fluminibus, vel piscari margaritas in mari, vel in flumine: non possunt barbari prohibere Hispanos, sed eo modo duntaxat, quo aliis, licet ipsis hæc & hujusmodi facere, dummodo cives, & naturales incolæ non graventur. Hæc probatur ex prima, & secunda. Nam si licet Hispanis peregrinari & negotiari apud eos: ergo licet eis uti legibus, & commodis omnium peregrinorum. Secundò: Quia quæ in nullius bonis sunt, jure gentium sunt occupantis. *Instit. de Rerum divis. §. Fera bestia.* Ergo si aurum in agro, vel margaritæ in mari, aut aliud quodcumque in fluminibus non est appropriatum, jure gentium erit occupantis, sicut & pisces in mari. Et quidem multa videntur procedere ex jure gentium, quòd quia derivatur sufficienter ex jure naturali, manifestam vim habet ad dandum jus, & obligandum. Et dato quòd non semper derivetur ex jure naturali, satis videtur esse consensus majoris partis totius orbis, maximè pro bono communi omnium. Si enim post prima tempora creati orbis, aut reparati post diluvium, major pars hominum constituerit, ut legati ubique essent inviolabiles, ut mare esset commune, ut bello capti essent servi, & hoc ita expediret, ut hospites non exigenterentur: certè hoc haberet vim, etiam aliis repugnantibus.

Quarta propositio: Imò * si ex aliquo Hispano 5 nascantur ibi liberi, & velint esse cives, non videtur quòd possint prohiberi, vel à civitate, vel à commodis aliorum civium: dico ex parentibus habentibus illic domicilium. Probatur: Quia hoc videtur esse de jure gentium, ut civis dicatur, & sit, qui natus est in civitate, ff. de Appel. l. Cives. Et confirmatur: Quia cum

cùm homo sit animal civile, talis natus in una civitate, non est civis alterius civitatis. Si ergo non esset civis illius, non esset civis alicujus civitatis, per quod impediretur à jure naturali, & gentium: imo si qui vellent accipere domicilium in aliqua civitate illorum, ut accipiendo uxorem, vel alia ratione, qua alii peregrini solent fieri cives: non videtur quod possint prohiberi plusquam alii: & per consequens gaudere privilegiis civium sicut alii, modo etiam subeant onera aliorum. Etiam facit, quòd hospitalitas commendatur: (1) *Hospitales invicem*: & 1. ad Timoth. 3. de Episcopo: *Oportet Episcopum hospitalis esse.* Unde è contrario nolle accipere hospites, & peregrinos, est de se malum.

(*)
1. Petr. 4.

6 Quinta propositio: * Si barbari velint prohibere Hispanos in supra dictis à jure gentium, puta vel commercio, vel aliis, quæ dicta sunt, Hispani primo debent ratione, & suasionibus tollere scandalum, & ostendere omni ratione se non venire ad nocendum illis, sed pacifice velle hospitari, & peregrinari sine aliquo incommodo illorum: & non solum verbis, sed etiam ratione ostendere, juxta illud: *Omnia sapientes prius verbis experiri decet.* Quòd si reddita ratione barbari nolunt acquiescere, sed velint vi agere, Hispani possunt se defendere, & omnia agere ad securitatem suam convenientia: quia vim vi repellere licet, non solum hoc, sed si aliter tuti esse non possunt, artes, & munitiones ædificare: & si acceperint injuriam, illam auctoritate Principis bello prosequi, & alia belli jura agere. Probat: Quia causa belli justis est ad propulsandam & vindicandam injuriam, ut supra dictum est ex S. Thom. 2. 2. q. 40. Sed barbari prohibentes à jure gentium Hispanos, faciunt eis injuriam: ergo si necesse sit ab obtinendum jus suum bellum gerere, possunt hoc licitè facere. Sed est notandum, quòd cum barbari isti sint natura meticulosi, & aliàs stolidi, & stulti, quantumcumque Hispani velint eos, demere à timore & reddere eos securos de pacifica conversatione: possunt adhuc meritò timere, videntes homines cultu

extraneos, & armatos, & multo potentiores se. Et ideo si commoti hoc timore concurrunt ad exigendos, vel occidendos Hispanos, liceret quidem Hispanis se defendere, & servato moderamine inculpatae tutelae, nec alia belli jura liceret exercere in illos, puta vel parata victoria, & securitate, occidere illos, vel spoliare, vel occupare civitates eorum, quia in illo casu sunt innocentes, & meritò timent, ut supponimus. Et ideo debent Hispani se tueri: sed quantum fieri poterit cum minimo detrimento illorum, quia est bellum dumtaxat defensivum. Nec est inconveniens, cum ex una parte est jus, & ex altera ignorantia invincibilis, quòd sit bellum justum ex utraque parte. Ut sicut Galli tenent Burgundiam cum probabili ignorantia, credentes pertinere ad eos, Imperator autem noster habet jus certum ad illam provinciam, potest bello repetere, & illi illam defendere: sic potest contingere cum barbaris, & hoc multum est considerandum. Alia enim sunt jura belli adversus homines verè noxios, & injurios, & alia adversus innocentes, & ignorantes. Sicut etiam aliter vitandum est scandalum Pharisaeorum, aliter pusillorum, & infirmorum.

Sexta propositio: Si * omnibus tentatis, Hispani 7 non possunt consequi securitatem cum barbaris, nisi occupando civitates, & subjiciendo illos, licitè possunt hoc etiam facere. Probatnr: Quia *finis belli est pax, & securitas*: ut dicit August. ad Bonifac. postquam autem (ut dictum est) licet Hispanis bellum suscipere, vel etiam si necesse sit, inferre: ergo licet omnia facere necessaria ad finem belli, scilicet ad obtinendam securitatem, & pacem.

Septima conclusio: Imò * si postquam Hispani omni 8 diligentia, & re, & verbo ostendissent, non stare per eos quin barbari pacificè, & sine damno suarum rerum agant, nihilominus barbari perseverarent in malitia sua, & contenderent ad perditionem Hispanorum: jam tunc non tanquam cum innocentibus, sed tanquam cum perfidis hostibus agere possent, & omnia belli jura in illos profequi, & spoliare illos, & in captivitatem re-
di-

digere, & dominos priores deponere, & novos constituere, moderatè tamen pro qualitate rei & injuria tum. Hæc conclusio satis patet, quia si licet eis bellum indicare: ergo etiam jura belli persequi.

Et confirmatur: Quia non debent esse melioris conditionis, quia sunt infideles. Sed hæc omnia licent adversus Christianos, si semel esset injustum bellum: ergo etiam licent adversus illos. Item hoc est generale jus gentium, ut omnia capta in bello fiant victoris, ut habetur in l. *Si quid in bello*, & l. *Hostes*, ff. de Captivis, & cap. *Jus gentium*, 1. dist. & expressius Institut. de Rerum division. §. *Item quæ ab hostibus*, ubi dicitur, quòd jure gentium, quæ ab hostibus accepimus, statim nostra fiunt, adeò ut etiam homines in nostram servitutem deducantur. Item, quia (ut Doctores dicunt in materia de bello) Princeps, qui habet justum bellum, fit ipso jure Judex hostium, & potest eos juridicè punire, & condemnare pro qualitate injuriarum. Et confirmantur omnia supradicta: Quia legati jure gentium sunt inviolabiles, & Hispani sunt legati Christianorum: ergo barbari tenentur eos audire saltem benigniter, & non repellere. Iste ergo est primus titulus quo Hispani potuerunt occupare provincias, & principatum barbarorum, modò fiat sine dolo, & fraude, & non quærant fictas causas belli. Si enim barbari permitterent Hispanos pacificè negotiari apud illos, nullam possent Hispani ex hac parte prætere justam causam occupandi bona illorum, non plusquam Christianorum.

- 9 Alius titulus potest * esse, scilicet causa Religionis Christianæ propagandæ: pro quo sit prima conclusio: Christiani habent jus prædicandi, & annuntiandi Evangelium in provinciis barbarorum. Hæc conclusio nota est ex illo: *Prædicate Evangelium omni creature*, &c. Item: *Verbum Domini non est alligatum*. (1) Secundò patet ex prædictis: Quia si habent jus peregrinandi, & negotiandi apud illos: ergo possunt docere veritatem volentes audire, maximè de spectantibus ad salutem, & fœlicitatem multò magis, quàm de spec-

(1)
2. Timothæ 2.

spectantibus ad aliquam humanam disciplinam. Tercio: quia aliàs illi essent extra statum salutis, si non liceret Christianis ire ad eos ad annuntiandum Evangelium. Quarto: Quia correctio fraterna est de jure naturali, sicut & dilectio. Cum ergo omnes illi sint non solum in peccatis, sed extra statutum salutis: ergo ad Christianos spectat corrigere, & dirigere eos, imò videtur quod teneantur ad hoc. Quinto & ultimo: Quia sunt proximi, ut supra dictum est: *Sed unicus mandavit Deus de proximo suo.* (1) Ergo spectat ad Christianos instruere illos ignorantes, de divinis rebus.

(1)
Eccles. 17.

Secunda conclusio: Licet * hoc sit commune & 10
liceat omnibus, tamen Papa potuit hoc negotium mandare Hispanis, & interdicere omnibus aliis. Probat: Quia licet, ut supra dictum est, Papa non sit dominus temporalis, tamen habet potestatem in temporalibus in ordine ad spiritualia: ergo cum spectet ad Papam specialiter curare promotionem Evangelii in totum orbem, si ad prædicationem Evangelii in illis provinciis commodius possent Principes Hispani dare operam, potest eis committere, & interdicere omnibus aliis: & non solum interdicere prædicationem, sed etiam commercium, si hoc ita expediret ad Religionis Christianæ propagationem, quia potest ordinare temporalia, sicut expedit spiritualibus. Si ergo hoc ita expedit, ergo spectat ad auctoritatem & potestatem summi Pontificis: sed omnino videtur ita expedire, eo quòd si indiscriminatim ex aliis provinciis Christianorum concurrent ad illas provincias, possent se invicem facillè impedire, & excitare seditiones: unde & tranquillitas impediretur, & turbaretur negotium fidei, & conversio barbarorum. Præterea cum Principes Hispani suis auspiciis, & sumptibus primi omnium eam navigationem susceperint, & tam feliciter novum orbem invenerint: justum est, ut ea peregrinatio aliis interdicator, & ipsi solum fruantur inventis. Sicut etiam pro pace conservanda inter Principes, & Religione amplificanda, potuit Papa provin-
cias

cias Saracendorum inter Principes Christianos ita distribuere, ne alius in alterius partes transeat: sic etiam posset pro commodo Religionis Principes creare, & maximè ubi antea nulli fuissent Principes Christiani.

11 Tertia conclusio: Si * barbari permittant Hispanos liberè & sine impedimento, prædicare Evangelium, sive illi recipiant Fidem, sive non: non licet hac ratione intentare illis bellum, nec aliàs occupare terras illorum. Hæc probata est superiùs, ubi confutavimus quartum titulum: & per se patet, quia nunquam est bellum justum, ubi nulla præcessit injuria, ut dicit S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1.

12 Quarta conclusio: Si * barbari, sive ipsi domini, sive etiam multitudo impediunt Hispanos quominus liberè annuntient Evangelium, Hispani reddita prius ratione ad tollendum scandalum, possunt illis invitis prædicare, & dare operam ad conversionem gentis illius: & si sit opus propter hoc, bellum suscipere, vel inferre, quousque parent opportunitatem & securitatem prædicandi Evangelium. Et idem est iudicium, si etiam permittentes prædicationem, impediunt conversionem, occidentes, vel aliter punientes conversos ad Christum, vel minis aliter alios deterrentes. Hæc patet: Quia faciunt in hoc barbari injuriam Hispanis, ut patet ex dictis, habent ergo justam belli causam. Secundò etiam: Quia impediretur commodum ipsorum barbarorum, quod Principes eorum non possunt impedire justè. Ergo in favorem illorum qui opprimuntur, & patiuntur injuriam, possunt Hispani movere bellum, maximè cum res sit tanti momenti. Ex qua etiam conclusione patet, quòd etiam hac ratione, si aliter negotium Religionis procurari non potest, licet Hispanis occupare terras, & provincias illorum, & novos dominos creare, & antiquos deponere, & prosequi jure belli, quæ in aliis bellis justis licitè fieri possent, servato semper modo, & ratione, ne ultra procedatur, quam opus sit: & ut potiùs de proprio jure remittatur, quàm aliud quod non licet, invadendo, & semper om-

omnia dirigendo magis ad commodum barbarorum, quam ad proprium quæstum.

(1)
1. Ad Cor. 6.

Sed considerandum valdè est quod Paul. dicit: (1) *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Hæc enim omnia quæ dicta sunt, intelliguntur per se loquendo. Fieri enim potest, ut per hæc bella, cædes, & spolia, potius impediretur conversio barbarorum, quam quæreretur, & propagaretur. Et ideo hoc in primis cavendum est, ne offendiculum ponatur Evangelio. Si enim ponatur, cessandum esset ab hac ratione evangelizandi, & alia quærenda esset. Sed nos ostendimus, quod per se hæc licent. Ego non dubito quin opus fuerit vi & armis ut possent Hispani illic perseverare; sed timeo ne ultra res progressa sit, quam jus fasque permittebant. Iste ergo potuit esse secundus titulus legitimus, quo barbari potuerunt cadere in ditionem Hispanorum. Sed semper habendum est præ oculis quod statim dictum est, ne hoc quod per se licitum est, reddatur malum per accidens: quia bonum est ex integra causa, malum autem per circumstantiam, ex Aristot. 3. Ethicor. & Dionys. 4. cap. de Divinis nominibus.

Alius titulus potuit * esse, qui derivatur ex isto, 13 & est: Si qui ex barbaris conversi sunt ad Christum, & Principes eorum, vi, aut metu, volunt eos revocare ad idololatriam, Hispani hac ratione etiam possunt, si aliàs fieri non potest, movere bellum, & cogere barbaros ut desistant ab illa injuria, & contra pertinaces jura belli proficere, & per consequens aliquando dominos deponere, sicut in aliis bellis justis: & iste potest poni tertius titulus, & non solum titulus Religionis, sed amicitiae, & societatis humanæ. Ex hoc enim quod aliqui barbari sint conversi ad Religionem Christianam, sunt facti amici, & socii Christianorum: & debemus operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Ad Galat. 6.

Alius titulus potest esse: Si * bona pars barbarorum 14 conversi essent ad Christum sive jure, sive injuria: id est, dato quod minis, aut terroribus, vel aliàs
non

non servatis servandis, dummodo verè essent Christiani, Papa ex rationabili causa posset, vel ipsis petentibus, vel etiam non petentibus, dare illis Principem Christianum, & auferre alios dominos infideles. Probatum: Quia si ita expediret ad conservationem Religionis Christianæ, quia timetur ne sub dominis infidelibus apostatæ fiant, id est deficient à fide, vel illa occasione graventur à suis dominis: in favorem fidei Papa potest mutare dominos. Et confirmatur: Quia (ut Doctores dicunt) & expressè S. Thom. 2.2. q. 10. art. 10. Ecclesia posset omnes servos Christianos, qui serviunt infidelibus, liberare, etiam si aliàs essent legitimi captivi. Et hoc expressè dicit Innocent. in dict. cap. *Superbis*, de Voto. Ergo magis poterit liberare alios subditos Christianos, qui non sunt tam astricti, sicut servi. Et confirmatur: Quia tantum, vel plus, tenetur uxor viro, sicut subditus domino, cum illud vinculum sit juris divini, hoc autem non: sed in favorem fidei liberatur uxor fidelis à viro infideli, si maritus ei molestus est pro religione, ut patet ex Apost. 1. ad Cor. 7. & cap. *Quanto*, de Divortiiis. Imò ita nunc consuetum est, ut ipso facto, quod alter conjugum convertitur ad fidem, sit liber ab alio conjugum infideli: ergo etiam Ecclesia in favorem fidei, & ad vitandum periculum, potest liberare omnes Christianos ab obedientia, & subjectione dominorum infidelium, secluso scandalo. Et ponitur iste quartus titulus legitimus.

- 15 Alius titulus posset * esse propter tyrannidem, vel ipsorum dominorum apud barbaros, vel etiam propter leges tyrannicas in injuriam innocentum, puta quia sacrificant homines innocentes, vel aliàs occidunt indemnatos ad vescendum carnibus eorum. Dico etiam, quòd sine autoritate Pontificis possunt Hispani prohibere barbaros ab omni nefaria consuetudine, & ritu, quia possunt defendere innocentes à morte injusta. Hoc probatur: Quia unicuique mandavit Deus de proximo suo: & illi omnes sunt proximi: ergo quilibet potest defendere illos à tali tyrannide, & oppressione, & hoc maximè spectat, ad Principes. Item pro-

batur Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trabuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Nec hoc solum intelligitur cum actu ducuntur ad mortem, sed etiam possunt cogere barbaros, ut cessent à tali ritu: & si nolunt, hac ratione possunt eis bellum inferre, & jura belli in eos persequi. Et si aliter tolli non potest sacrilegus ritus, possunt mutare dominos, & novum principatum inducere. Et quantum ad hoc habet verum illa opinio Innocenc. & Archiepisc. quòd pro peccatis contra naturam possunt puniri. Nec obstat, quòd omnes barbari consentiant in hujusmodi leges, & sacrificia, nec volunt se super hoc vindicari ab Hispanis. In his enim non ita sunt sui juris, ut possint seipos, vel filios suos tradere ad mortem. Et iste posset esse quintus titulus legitimus.

Alius titulus posset esse * per veram, & voluntariam electionem, putà si barbari ipsi intelligentes prudentem administrationem, & humanitatem Hispanorum, ultrò vellent accipere in Principem Regem Hispaniæ tam domini, quàm alii: hoc enim fieri posset, & esset legitimus titulus etiam de lege naturali. Quælibet enim Respublica potest sibi constituere dominum, nec ad hoc esset necessarius consensus omnium, sed videtur sufficere consensus majoris partis. Quia sicut aliàs disputavimus in his, quæ spectant ad bonum Reipublicæ, illa quæ constituuntur à majori parte, tenent, etiam aliis contradicentibus: aliàs nihil posset geri pro utilitate Reipublicæ, cum difficile sit, ut omnes conveniant in unam sententiam. Unde si in aliqua civitate, aut Provincia, major pars esset Christianorum, & illi in favorem fidei, & pro bono communi vellent habere Principem Christianum, credo quòd possent eligere, alijs invitis, etiam relinquendo alios dominos infideles: & dico quòd possent eligere Principem, non solum sibi, sed toti Reipublicæ, sicut & Galli pro bono suæ Reipublicæ mutaverunt Principes, & ablatò regno à Childerico, tradiderunt Pipino, Caroli magni patri: quam mutationem Zacharias Pontifex comprobavit. Et hic potest poni sextus titulus.

17 Alius titulus posset esse causa * sociorum, & amicorum. Cum enim ipsi barbari inter se gerant aliquando legitima bella, & pars, quæ injuriam passa est, habet jus bellum inferendi, potest accersere Hispanos in auxilium, & præmia victoriæ illis communicare. Ut feruntur fecisse Talcathedani contra Mexicanos, qui cum Hispanis composuerunt, ut eos juvarent ad debellandos Mexicanos: haberent autem quicquid jure belli, ad eos spectare poterat. Quod enim hæc sit causa justa belli pro sociis, & amicis, non est dubium, ut etiam declarat Cajet. 2.2. q.40. art.1. Quia æquè potest Respublica advocare extraneos ad vindicandum inimicos contra extraneos malefactores. Et confirmatur: Quia profecto hac maximè ratione Romani dilataverunt Imperium suum, dum scilicet sociis, atque amicis auxilia præstabant, & ea occasione justa bella suscipientes, jure belli in possessionem novarum Provinciarum veniebant. Et tamen Imperium Romanum approbatur tanquam legitimum à Beato Aug. lib. 3. *De Civit. Dei*, & à S. Thom. opusculo 21. & Sylvester Constantinum Magnum pro Imperatore habuit, & Ambrosius Theodosium. Non videtur autem quo alio juridico titulo venerint Romani in possessionem orbis, nisi jure belli, cujus maximæ occasiones fuerunt defensio, & vindicatio sociorum. Sicut, & Abraham ad vindicandum Regem Salem, & alios Reges qui cum eo fœdus percusserant, dimicavit contra quatuor Reges illius regionis, Genes. 14. à quibus ipse nullam injuriam accepit. Et iste videtur septimus, & ultimus titulus, quo potuerunt, aut possent venire barbari eorumque Provincia in possessionem, & dominium Hispanorum.

18 Alius titulus posset * non quidem afferi, sed revocari in disputationem, & videri aliquibus legitimus. De quo ego nihil affirmare, sed nec omnino condemnare ipsum audeo: & est talis, Barbari enim isti, licet ut supra dictum est, non omnino sint amentes, tamen parum distant ab amentibus: & ita videtur, quod non sint idonei ad constituendam vel administrandam legitimam Rempublicam etiam intra terminos humanos, & ci-

viles. Unde nec habent leges convenientes, neque magistratus, imò nec sunt satis idonei ad gubernandam rem familiarem: unde etiam carent, & literis, & artibus, non solum liberalibus, sed etiam mechanicis, & agricultura diligenti, & opificibus, & multis aliis rebus commodis, imò necessariis ad usus humanos. Posset ergo quis dicere, quòd pro utilitate eorum possent Principes Hispani accipere administrationem illorum, & constituere illis per oppida præfectos, & gubernatores: imò etiam illis dare novos dominos, dummodo constaret hoc illis expedire. Hoc inquam posset suaderi, quia si omnes erant amentes, non dubium est quin hoc esset non solum licitum, sed convenientissimum: imò tenerentur ad hoc Principes, sicut, si omninò essent infantes. Sed videtur quantum ad hoc eadem ratio de illis, & de amentibus, quia nihil, aut paulo plus valent ad gubernandum se ipsos, quàm amentes: imò quàm ipsæ feræ, & bestię, nec mitiori cibo quam feræ, nec penè meliori utuntur: ergo eodem modo possent tradi ad gubernationem sapientiorum.

Et confirmatur hoc apparenter. Nam si fortuna aliqua omnes adulti perirent apud illos, & manerent pueri, & adolescentes habentes quidem aliqualem usum rationis, sed intra annos pueritię, & pubertatis: videretur profectò, quòd possent Principes recipere curam illorum, & gubernare illos quandiù essent in tali statu. Quòd si hoc admittitur videtur certè non negandum, quin idem fieri posset circa parentes barbaros supposita hebetudine, quam de illis referunt qui apud eos fuerunt, quæ, multò inquit, major est, quàm apud alias nationes sit in pueris & amentibus. Et certè hoc posset fundari in præcepto charitatis, cum illi sint proximi nostri, & teneamur bona illorum curare. Et hoc (ut dixi) sit sine assertione propositum, & etiam cum illa limitatione, ut fieret propter bona, & utilitatem eorum, & non tantum ad quæstum Hispanorum. In hoc enim est totum periculum animarum, & salutis: & ad hoc posset etiam prodesse illud, quòd supra dictum est, quòd aliqui sunt natura servi: nam tales videntur omnes isti

bar-

barbari, & sic possent ex parte gubernari ut servi.

Sed ex tota disputatione videtur sequi, quod si cessarent omnes isti tituli, ita quod barbari nullam rationem justi belli darent, nec vellent habere Hispanos Principes, &c. Quod cessaret tota illa peregrinatio, & commercium cum magna jactura Hispanorum, & etiam proventus principum magnum detrimentum acciperent, quod non esset ferendum.

Respondetur primo: Commercium non oporteret ut cessaret, quia ut jam declaratum est, multa sunt apud barbaros, quibus ipsi abundant, & per commutationem possent Hispani adhibere. Item multa etiam, sunt quæ ipsi pro desertis habent, vel sunt communia omnibus volentibus occupare: & Lusitani magnum commercium habent cum similibus gentibus, quas non subjecerunt, & cum magno commodo. Secundo: Fortasse regii reditus non minores essent. Nam æquè justè posset imponi vectigal super aurum, & argentum quod à barbaris reportaretur, vel ad quintam partem, vel etiam ad majorem pro rei qualitate & merito cum navigatio fuerit à Principe inventa, & sua autoritate essent tuti negotiatores. Tertio patet, quod jam postquam ibi facta est conversio multorum barbarorum, nec expediret, nec liceret Principi omnino dimittere administrationem illarum provinciarum.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA.

DE INDIS, SIVE DE JURE BELLI
Hispanorum in Barbaros.

RELECTIO POSTERIOR.

SUMMA.

1. Christianis licet militare, & bella gerere.
2. Bellum gerendi, aut indicendi penes quem sit auctoritas.
3. Bellum defensivum, quilibet posset suscipere, & gerere etiam privatus.
4. Invasus à latrone, aut inimico, an possit repercutere invasorem, si possit fugiendo evadere.
5. Respublica qualibet habet auctoritatem indicendi, & inferendi bellum.
6. Princeps eandem auctoritatem habet ad indicendum, & inferendum bellum, sicut Respublica.
7. Respublica quid est, & quis propriè dicatur Princeps.
8. Respublica, aut Principes plures, si habeant unum communem dominium, aut Principem, an possint per se inferre bellum sine auctoritate superioris Principis.
9. Reguli, sive Principes, qui non præsumunt Reipublicæ perfectæ, sed sunt partes alterius Reipublicæ, non possunt bellum inferre, aut gerere. Et quid dicendum de civitatibus.
- XO. Belli justî, quæ possit esse ratio, & causa. Et quòd justî belli causa non sit diversitas Religionis, probatur.
- XI. Imperii amplificatio non est justa causa belli.
- XII. Principis gloria propria, aut aliud commodum, non est belli justa causa.

13. *Injuria accepta, est unica & sola causa justa ad inferendum bellum.*
14. *Injuria qualibet, & quanta vis, non sufficit ad bellum inferendum.*
15. *Bello justo existente, licet omnia facere quae ad defensionem boni publici sunt necessaria.*
16. *Bello justo licet recuperare omnes res perditas, & illarum partem.*
17. *Bello justo licet occupare ex bonis hostium impensam belli, & omnia damna ab hostibus injustè illata.*
18. *Princeps justì belli recuperatis rebus ab hostibus, quid ulterius possit facere.*
19. *Principi justì belli, licet parta victòria, recuperatis rebus, ac pace etiam & securitate habita, vindicare injuriam ab hostibus acceptam, & animadvertere in hostes, & punire illos pro injuriis illatis.*
20. *Bellum, ut dicatur justum, non semper est satis Principem credere se habere justam causam.*
21. *Belli justitia summoperè, & magna cum diligentia examinanda est.*
22. *Subditi, an teneantur examinare causam belli. Et quomodo si subdito constet de injustitia belli, non liceat ei militare, etiam si Princeps imperet.*
23. *Subditi, si habeant conscientiam de injustitia belli, non licet illis sequi bellum, sive errnet, sive non.*
24. *Senatores, Reguli, & universaliter omnes, qui admittuntur, vel vocati, vel etiam ultro venientes ad consilium publicum, vel Regis, tenentur injusti belli causam examinare.*
25. *Belli causas examinare qui non teneantur, sed possint fide adhibita majoribus, licitè militare.*
26. *Subditos militantes quando non excusaret ignorantia de injustitia belli.*
27. *Belli justitia, si sit dubia, quid faciendum. Et quomodo si Princeps unus sit in legitima possessione, manente dubio, non possit alius bello, & armis repetere.*
28. *Civitas, aut Provincia, de qua dubitatur, an habeat legitimum possessorem, maximè si est deserta morte legitimi domini, &c. quid in tali casu sit agendum.*

29. *Dubitans de jure suo, etiamsi pacificè possideat, quomodo examinare teneatur diligenter causam, si forte possit certum scire vel pro se, vel pro alio.*
30. *Examinata causa, quandiu rationabiliter perseverat dubium, legitimus possessor non tenetur cedere possessioni, sed potest licitè retinere.*
31. *Subditis non solum licet in bello defensivo in re dubia sequi Principem suum in bellum, sed etiam in bello offensivo.*
32. *Bellum an possit ex utraque parte esse justum. Et quomodo seclusa ignorantia hoc non possit contingere.*
33. *Princeps, sive subditus, qui ex ignorantia sequutus est bellum injustum, si postea constiterit ei de injustitia belli, an teneantur restituere.*
34. *Innocentes interficere in bello, an liceat.*
35. *Innocentes interficere, nunquam per se & ex intentione licet.*
36. *Interficere an liceat infantes & fœminas in bello contra Turcas. Et quid dicendum de agricolis apud Christianos, togatis, peregrinis, hostibus, & Clericis.*
37. *Interficere innocentes per accidens, etiam scienter, aliquando licet, & aliquando non.*
38. *Innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, an liceat interficere.*
39. *Spoliare an liceat innocentes inter hostes. Et quibus rebus sint spoliandi.*
40. *Bellum, si satis commodè geri potest, non spoliando agricolas, aut alios innocentes: videtur non licere eos spoliare. Et quid dicendum de peregrinis, & hospitiibus, qui sunt apud hostes.*
41. *Hostes, si nolint restituere res injuria ablatas, & non possit, qui est latus, aliunde recuperare, quomodo possit undecumque satisfactionem capere, sive à nocentibus, sive ab innocentibus.*
42. *Innocentes, & pueri licet non sint interficiendi, an saltem liceat ducere eos in captivitatem, & servitutem.*
43. *Obsides, qui vel tempore induciarum, vel peracto bel-*

bello, ab hostibus recipiuntur, utrum interfici possint, si hostes fidem frangerent, & conventis non starent.

44. Interficere an liceat omnes in bello nocentes.
45. Interficere licet indifferenter omnes, qui in actuali conflictu praelii, vel in opugnatione, aut defensione civitatis contra pugnant, & quandiu, res est in periculo.
46. Interficere licet nocentes, parva victoria, & rebus jam extra periculum positis.
47. Interficere non semper licet omnes nocentes solum ad vindicandum injuriam.
48. Interficere aliquando, & licet & expedit omnes nocentes, & hoc maximè in bello contra infideles. Et quid in bello contra Christianos.
49. Captivos, aut deditos, an liceat interficere, supposito quòd etiam fuerunt nocentes.
50. Capta in bello justo, utrum fiant capientium, & occupantium. Et quomodo capta injusto bello usque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per injuriam, & etiam impensarum fiant occupantium.
51. Mobilia omnia quomodo jure gentium fiant occupantis, etiamsi excedant compensationem damnorum.
52. Militibus an liceat civitatem permitttere in pradam. Et quomodo non sit illicitum, sed & necessarium.
53. Militibus non licet pradas agere, aut incendia facere sine auctoritate, aliàs tenerentur ad restitutionem.
54. Occupare licet, & tenere agrum, arces, & oppida hostium quantum necessarium fuerit ad damnorum illatorum compensationem.
55. Occupare licet ab hostibus, & tenere arcem aliquam, aut civitatem proparanda securitate, & vitando periculo, aut pro defensione, & ut tollatur ab hostibus occasio nocendi, &c.
56. Hostes mulctare parte agri, licet ratione injuria illata, & nomine pœnae, hoc est ad vindictam. Et quomodo hac etiam ratione potest arx, aut oppidum cum moderamine occupari.
57. Tributa an liceat victis hostibus imponere.
58. Principes hostium an liceat deponere, & novos po-

nere & constituere, vel sibi principatum restituere. Et quomodo non passim, & ex quacumque causa belli justis hoc liceat facere.

59. *Principes hostium quando legitimè possent deponi, ostenditur.*

60. *Canones, seu regula belligerandi describuntur.*

QUIA possessio, & occupatio provinciarum illorum barbarorum, quos Indos vocant, videntur tandem maximè jure belli posse defendi: ideò postquam in priori Relectione de titulis disputavi, quos Hispani possunt prætere ad alias provincias, sive justis, sive injustis: visum est de jure belli brevem disputationem habere, ut Relectio superior absolutior videatur. Sed quia temporis angustia pressi non poterimus hic tractare omnia, quæ in hac materia tractari possent & disputari, non licuit extendere calamum pro amplitudine, & dignitate argumenti, & materia, sed quantum brevis temporis patiebatur. Itaque solum notabo propositiones præcipuas in hac materia cum probationibus brevissimis, abstinens me à multis dubiis, quæ in hac disputatione conferri possent.

Tractabo autem quatuor quæstiones. Prima: An omnino Christianis sit licitum bella gerere. Secunda: Apud quem sit autoritas, aut gerendi, aut indicendi bellum. Tertia: Quæ possint, & debeant esse causæ justis belli. Quarta: Quid in bello justo, & quantum liceat in hostes.

Arg.

Quantum ad primum, posset videri, quòd omnino bella sint interdicta Christianis. Prohibitum enim videtur eis se defendere, juxta illud: *Novos defendentes, charissimi, sed date locum ira.* (1) Et Dominus in Evangelio: *Si quis te percuserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et ego dico vobis non resistere malo.* (2) *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* (3) Neque satis videtur respondere, quòd omnia hæc non sunt in præcepto, sed in consilio. Satis enim magnum inconveniens esset, si bella omnia, quæ à Christianis suscipiuntur, sunt contra consilium Domini.

(1) Ad Rom. 12.

(2) Matth. 5.

(3) Matth. 26.

In contrarium est sententia omnium Doctorum, & usus receptus in Ecclesia.

Pro quæstionis explicatione notandum: quòd licet inter Catholicos satis conveniat de hac re, Lutherus tamen, qui nihil incontaminatum reliquit, negat Christianis etiam adversus Turcas licere arma sumere: innixus tum locis Scripturæ supra positis, tum etiam, quod si Turcæ ait invadant Christianitatem, illa est voluntas Dei, cui resistere non licet. In qua tamen re non ita potuit imponere Germanis hominibus ad armatis, sicut in aliis suis dogmatibus. Et Tertullianus non adeò videtur abhorre ab hac sententia, qui libro de corona militis, disputat, an in totum Christianis militia conveniat. Et tandem profectò in hanc sententiam declinare videtur, ut Christiano militare interdictum putet. *Cui, inquit, nec litigare quidem licet.*

Sed relictis extraneis opinionibus, sit responsio ad quæstionem unica conclusione: Licet * Christianis militare, & bella gerere. Hæc conclusio est Augustin. in multis locis. Nam contra Faustum, & lib. 83. Quæstionum, & de verbis Domini, & 2. lib. contra Manich. & in Sermone de puero Centurionis, & in Epistola ad Bonifacium disertè eam astruit. Et probatur conclusio, ut probat Augustin. ex verbis Joann. Baptistæ (1) ad milites. *Neminem concutiatis, nemini injuriam feceritis. Quòd si Christiana disciplina* (inquit August.) *omnino bella culparet, hoc potius consilium salutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma, sequæ militiæ omninò subtraherent. Dicitur est autem eis: Neminem concutiatis, contenti estote estipendis vestris.* Secundo probatur ratione S. Thom. 2.2. q. 40. art. 1. Licet fringere gladium, & armis uti adversus interiores malefactores, & seditiosos cives, secundum illud: (2) *Non sine causa gladium portat, Minister enim Dei est vindex in iram ei, qui malè agit:* ergo etiam licet uti gladio, & armis adversus hostes exteriores. Unde Principibus dictum est: (3) *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Tertio: In lege naturæ hoc licuit, ut patet de Abraham, qui pugnavit contra qua-

(1)
Lutheri sentent.

(1)
Luc. 3.

(2)
Ad Rom. 13.

(3)
Psalm. 135.

(1)
Genes. 14.

tuor Reges. (1) Item in lege scripta, ut patet de David, & Machab. Sed lex Evangelica nihil interdicit, quod jure naturali licitum sit, ut S. Thom. eleganter tradit 12. q. 107. art. ult. unde & dicitur lex libertatis Jacob. 1. & 2. ergo quod licebat in lege naturæ, & scripta, non minus licet in lege Evangelica.

Et quia de bello defensivo revocari in dubium non potest, quia vim vi repellere licet, ff. *de Justitia, & jure, l. Vim vi*. Quartò probatur etiam de bello offensivo, id est in quo non solum defenduntur, aut etiam repetuntur res, sed ubi petitur vindicta pro injuria accepta. Probatur inquam autoritate August. lib. 83. q. & habetur cap. *Dominus* 23. q. 2. *Justa bella solent diffiniri, quæ ulciscuntur injurias, si gens, vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexit, quod à suis improbè factum est, vel rederet quod per injuriam ablatum est*. Probatur etiam quintò de bello offensivo: Quia bellum etiam defensivum geri commodè non potest, nisi etiam vindicetur in hostes, qui injuriam fecerunt, aut conati sunt facere: fierent enim hostes audaciores ad iterum invadendum, nisi timore pœnæ deterreantur ab injuria. Probatur sextò: Quia finis belli est pax, & securitas reipublicæ, ut August. inquit de verb. Domini, & ad Bonif. sed non potest esse securitas in republica, nisi hostes coerceantur metu belli ab injuria: esset enim onnino iniqua conditio belli, si hostibus invadentibus injustè rempublicam, solum liceret reipublicæ avertere hostes, nec possent ulterius persequi. Probatur septimò ex fine, & bono totius orbis. Prorsus enim orbis consistere in fœlici statu non posset, imò esset rerum omnium pessima conditio, si tyranni quidem, & latrones, & raptores possent impune, injurias facere, & opprimere bonos, & innocentes, nec liceret vicissim innocentibus animadvertere innocentes. Probatur octovò, & ultimò: Quia in moralibus potissimum argumentum est ab autoritate, & exemplis sanctorum, & bonorum virorum, sed fuerunt multi tales, qui non solum bello defensivo tutati sunt patriam, resque suas, sed etiam

bello offensivo prosecuti sunt injurias ab hostibus acceptas, vel attentatas, ut patet de Jonatha, & Simone, (1) qui vindicaverunt mortem Joannis fratris sui contra filios Jambri. Et in Ecclesia Christiana patet de Constantino Magno, Theodosio majore, & aliis clarissimis & Christianissimis Imperatoribus, qui multa bella utriusque generis gesserunt, cum haberent in Consiliis Sanctissimos, & Doctissimos Episcopos.

(1)
1. Mach. 24

- 2 Secunda quaestio: Apud * quem sit authoritas gerendi, aut indicendi bellum. Pro qua sit prima propositio: Bellum * defensivum quilibet potest suscipere, & gerere, etiam privatus. Hæc patet: Nam vim vi repellere licet. ff. *Ubi supra*. Unde hoc bellum quilibet potest gerere sine authoritate cujuscumque alterius, non solum pro defensione personæ, sed etiam rerum, & bonorum.

Quæst. 2.
principal.

- 4 Sed circa istam conclusionem dubitatur primò: An * invasus à latrone, aut inimico, possit repercutere invasorem, si possit fugiendo evadere. Et Archiepiscopus quidem respondet, quòd non. Quia jam non est defensio cum moderamine inculpatae tutelæ: quilibet enim tenetur se defendere quantum poterit cum minimo detrimento invasoris. Si ergo resistendo oportet aut occidere, aut graviter vulnerare invasorem, potest autem se liberare fugiendo: videtur quòd teneatur. Sed Panormit. cap. *Olim de Restit. spoliat.* distinguit. Si enim invasus magnum dedecus subiret fugiendo, non tenetur fugere, sed potest repercutiendo, injuriam repellere: si verò non faceret jacturam famæ, aut honoris, ut monachus, aut rusticus invasus à nobili, & forti viro, tenetur potius fugere. Bart. autem in l. 1. ff. *de Pœnis*, & in l. *Furem*, ff. *de Sicariis*. Indistinctè tenet, quòd licet se defendere, nec tenetur fugere: quia fuga est injuria. l. *Item apud Labeonem*, ff. *de Injuriis*. Si autem pro rerum defensione licitum est armis resistere, ut in dict. cap. *Olim*, & in cap. *Dilect.* de Sentent. excommunic. lib. 6. multo magis pro arcenda injuria corporali, quæ major est quàm rerum jactura l. *In Servorum*, ff. *de Pœn.* Et hæc opinio potest probabiliter
&

Dubium.

& satis tutò teneri, maxime cum jura civilia hoc concedant, ut in dict. l. *Furem*. Autoritate autem legis nemo peccat, quia leges dant jus in foro conscientiae. Unde etiam si jure naturali non liceret occidere pro defensione rerum, videtur quod jure civili factum sit licitum: & hoc revera secluso scandalo, videtur licere non solum laico, sed etiam Clerico, & Religioso viro.

Secunda propositio: Quælibet * Respublica habet 5
 auctoritatem indicendi, & inferendi bellum. Pro probatione est notandum quòd differentia est quantum ad hoc inter privatam personam, & Rempublicam: quia privata persona habet quidem jus defendendi se, & sua, ut dictum est: sed non habet jus vindicandi injuriam, imò nec repetendi ex intervallo temporis res ablatas. Sed defensio oportet ut fiat in præsentis periculo, quod Jurisconsulti dicunt incontinenti. Unde transacta necessitate defensionis, cessat licentia belli. Credo tamen, quod per injuriam percussus possit statim repercutere, etiam si invalor non deberet ultra progredi. Sed ad vitandam ignominiam, & dedecus posset qui Colaphum (exempli gratia) accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed (ut dictum est) ad vitandam infamiam, & ignomianiam. Sed respublica habet auctoritatem non solum defensionis, sed etiam vindicandi se, & suos, & persequendi injurias. Quod probatur, quia ut Arist. tradit 3. Polit. Resp. debet esse sibi sufficiens: sed non posset sufficienter conservare bonum publicum, & statum Reipublicæ si non possit vindicare injuriam, & animadvertere in hostes. Fierent enim (ut supra dictum est) mali promptiores, & audaciores ad injuriam inferendam, si possent impune, hoc facere: & ideo necessarium est ad commodam rerum mortalium administrationem, ut hæc auctoritas concedatur Reipublicæ.

Tertia propositio: Eandem * auctoritatem habet 6
 quantum ad hoc Princeps, sicut Respublica. Hæc est sententia August. expressè contra Faustum. *Ordo, inquit, naturalis paci accommodatus, hoc postulat, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principes sit.* Et

ratione probatur : Quia Princeps non est nisi ex electione Reipublicæ : ergo gerit vicem, & auctoritatem illius : inò jam ubi sunt legitimi Principes in Republica, tota auctoritas residet penes Principes, neque sine illis aliquid publicè aut bello, aut pace geri potest.

7 Sed tota difficultas est quid * est Respublica, & quis propriè dicitur Princeps? Ad hoc breviter respondetur; quod Respublica propriè vocatur perfecta communitas: sed hoc ipsum est dubium quæ sit perfecta communitas.

Pro quo notandum, quod perfectum idem est quod totum. Dicitur enim imperfectum, cui aliquid deest, & è contrario perfectum, cui nihil deest. Est ergo perfecta Respublica, aut communitas, quæ est per se totum, id est, quæ non est alterius Reipublicæ pars, sed quæ habet proprias leges, proprium consilium, & proprios magistratus, quale est Regnum Castellæ, & Aragoniæ, & Principatus Venetorum, & alii similes.

Nec enim obstat quin sint plures Principatus, & Respublicæ perfectæ sub uno Principe. Talis ergo Respublica, aut Princeps illius, habet auctoritatem indicendi bellum, & solùm talis.

8 Sed ex hoc ipso dubitari meritò potest, an * si plures hujusmodi Respublicæ, aut Principes habeant unum communem dominum, aut Principem, an possint per se inferre bellum sine auctoritate superioris Principis. Et respondeo, quod sine dubio possunt, ut Reges, qui sunt subjecti Imperatori, possunt invicem belligerare, non expectata auctoritate Imperatoris: quia (ut dictum est) Respublica debet sibi esse sufficiens, nec sufficeret sibi sine tali facultate.

9 Ex quibus sequitur, & patet, quod * alii Reguli, sive Principes, qui non præsunt Reipublicæ perfectæ, sed sunt partes alterius Reipublicæ non possunt bellum inferre, aut gerere, quemadmodum Dux Albanus, aut Comes Beneventanus: sunt enim partes Regni Castellæ, & per consequens non habent perfectas Respublicas. Sed cum hæc sint magna ex parte, aut jure gentium, aut humano, consuetudo potest dare facultatem, & auctori-

ritatem belli gerendi. Unde si qua civitas, aut alius Princeps obtinuit antiqua consuetudine jus gerendi per se bellum, non est ei neganda hæc authoritas, etiam si aliàs non esset Respublica perfecta. Item etiam necessitas hanc licentiam, & authoritatem concedere posset. Si enim in eodem regno una civitas aliam oppugnet, vel aliquis ex Ducibus alium Ducem, & Rex negligeret, aut non auderet vindicare injurias illatas, possit civitas, aut Dux, qui passus est injuriam, non solum se defendere, sed etiam bellum inferre, & animadvertere in hostes, & malefactores etiam occidere: quia aliàs neque defendere quidem commodè se posset. Non enim hostes abstinerent se ab injuria. Si illi qui patiuntur injuriam, contenti essent solum se defendere. Qua ratione etiam conceditur privato homini ut possit invadere inimicum, si aliter non patet ei via se defendendi ab injuria, & hæc satis de ista quæstione.

Quæst. 3.
Principal.

Tertia quæstio est: Quæ * possit esse ratio, & 10 causa justæ belli. Quæ quæstio magis necessaria est ad hanc causam, & disputationem barbarorum. Pro qua sit prima propositio: Causa justæ belli non est diversitas Religionis. Hæc probata fuit prolixè in priori relectione. Ubi impugnâvimus quartum titulum qui prætendi potest ad possessionem barbarorum: quia scilicet nolunt recipere fidem Christianam. Et est sententia S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. & communis sententia Doctorum: neque scio aliquem qui contrarium sentiat.

Secunda propositio: Non * est justa causa belli am- 11 plicatio Imperii. Hæc notior est, quam ut probatione indigeat, aliàs esset æquè justa causa ex utraque parte belligerantium, & sic essent omnes innocentes. Ex quo iterum sequitur quod non liceret occidere illos: & implicat contradictionem: quod esset justum bellum, & quod non liceat occidere illos.

Tertia propositio: Non * est justa causa belli, aut 12 gloria propria, aut aliud commodum Principis. Hæc etiam nota est. Nam Princeps debet, & bellum, & pacem ordinare ad bonum commune Republicæ nec publicos redditus pro propria gloria aut commodo ero-

gare, & multo minus cives suos periculis exponere. Hoc enim interest inter Regem legitimum, & tyrannum, quod tyrannus ordinat regimen ad proprium quæstum, & commodum: Rex autem ad bonum publicum, ut tradit Aristot. 4. Politic. 10. Item habet auctoritatem à Republica: ergo debet uti illa ad bonum Reipublicæ. Item leges debent esse nullo privato commo-
modo, sed pro communi utilitate civium conscriptæ, ut habetur dist. 4. cap. *Erit autem lex*, ex Isidoro: ergo etiam leges belli debent esse pro communi utilitate, & non propria Principis. Item hoc differunt liberi à servis, ut Arist. tradit 1. Polit. cap. 3. & 4. quod domini utuntur servis ad propriam utilitatem, non servorum: liberi autem non sunt propter alios, sed propter se. Unde quod Principes abutantur civibus: cogendo eos militare, & pecuniam in bellum conferre, non pro publico bono, sed pro privato suo commo-
do, est cives servos facere.

13 Quarta propositio: Unica * est, & sola causa justa inferendi bellum, injuria accepta. Hæc probatur primo auctoritate August. lib. 83. quæst. *Justa bella solent diffiniri, &c.* Ut supra, & est determinatio S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. & omnium Doctorum. Item bellum offensivum est ad vindicandum injuriam, & animadvertendum in hostes, ut dictum est. Sed vindicta esse non potest, ubi non præcessit culpa, & injuria: ergo. Item non majorem auctoritatem habet Princeps supra extraneos, quàm supra suos; sed in suos non potest gladium stringere, nisi fecerint injuriam: ergo neque in extraneos. Et confirmatur ex eo, quod supra allatum est ex Paulo (1) de Principe: *Non sine causa gladium portat: minister enim Dei est vindex in iram ei qui male agit.* Ex quo constat, quod adversus eos, qui nobis non nocent, non licet ita gladio uti, cum occidere innocentes prohibitum sit jure naturali. Omitto nunc si fortè Deus specialiter aliud præciperet, ipse enim est dominus vitæ, & mortis, & posset pro suo jure aliter disponere.

14 Quinta propositio: Non * qualibet, & quantavis

injuria sufficit ad bellum inferendum. Hæc probatur: Quia nec etiam in populares, & naturales licet pro quacumque culpa pœnas atroces exequi, ut mortem, aut exilium aut confiscationem bonorum. Cum ergo quæ in bello geruntur, omnia sint gravia, & atrocias, ut cedes, incendia, vastationes: non licet pro levibus injuriis bello persequi authores injuriarum, quia juxta mensuram delicti debet esse plagarum modus. (1)

(1)
Deut. 25.

Quest. 4.
principal.

Quarta quæstio est de Jure belli, quid scilicet, & quantum liceat in bello justo. De qua sit prima propositio: In * bello licet omnia facere, quæ necessaria 15 sunt ad defensionem boni publici. Hæc nota est, cum ille sit finis belli, Rempublicam defendere, & conservare. Item hoc licet privato in defensione sui, ut probatum est: ergo multo magis licet Reipublicæ, & Principi.

Secunda propositio: Licet * recuperare omnes res 16 perditas, & illarum precium. Hæc etiam est notior quam ut indigeat probatione. Ad hoc enim vel inferitur, vel suscipitur bellum.

Tertia propositio: Licet * occupare ex bonis hos- 17 tium impensam belli, & omnia damna ab hostibus injustè illata. Hæc patet: Quia ad omnia illa tenentur hostes qui fecerunt injuriam: ergo Princeps potest omnia illa repetere, & bello exigere. Item ut prius. Quia cum non patet alia via, licet privato occupare omne debitum à debitore. Item si quis esset legitimus judex utriusque partis gerentis bellum, deberet condemnare injustos aggressores, & authores injuriæ, non solum ad restituendas res ablatas, sed etiam ad resarciendum impensam belli, & omnia damna. Sed Princeps, qui gerit justum bellum, habet se in causa belli tanquam judex, ut statim dicemus: ergo etiam ille potest omnia illa ab hostibus exigere.

Quarta propositio: Non * solum hæc licent, sed 18 ulterius etiam progredi potest Princeps justii belli quantum scilicet necesse est ad parandam pacem, & securitatem ab hostibus, puta diruere arcem hostium, & in hostico etiam munitionem erigere, si hoc necesse sit ad

vitandum periculum ab hostibus. Probatur: Quia, ut supra dictum est, finis belli est pax, & securitas: ergo gerenti bellum justum licet omnia, quæ necessaria sunt ad consequendam pacem, & securitatem. Item tranquillitas, & pax computantur inter bona humana. Unde nec summa etiam bona faciunt statum felicem sine securitate: ergo si hostes eripiunt, & turbant tranquillitatem Reipublicæ licet vindicare ab illis per media convenientia. Item contra hostes intraneos, hoc est contra malos cives, licet hæc omnia facere: ergo etiam contra hostes extraneos. Antecedens patet: Si quis enim in Republica fecit injuriam civi, Magistratus non solum cogit authorem injuriæ satisfacere læso, sed etiam si timetur ab illo, cogitur dare fidejussores, aut recedere à civitate, ita ut vitetur periculum ab illo. Ex quibus patet, quòd parta victoria, & recuperatis rebus, licet ab hostibus exigere obsides, naves, arma, & alia quæ sine fraude, & dolo necessaria sunt ad retinendum hostes in officio, & vitandum ab illis periculum.

19 Quinta propositio: Nec * tantum hoc licet, sed etiam parta victoria, & recuperatis rebus, & pace etiam, & securitate habita, licet vindicare injuriam ab hostibus acceptam, & animadvertere in hostes, & punire illos pro injuriis illatis. Pro cujus probatione notandum, quòd Principes non solum habent auctoritatem in suos, sed etiam in extraneos ad coercendum illos, ut abstineant se ab injuriis, & hoc jure gentium, & orbis totius auctoritate. Imò videtur quòd jure naturali, quia aliter orbis stare non posset nisi esset pœnes aliquos vis, & auctoritas deterrendi improbos, & coercendi, ne bonis, & innocentibus noceant. Ea autem quæ necessaria sunt ad gubernationem, & conservationem orbis, sunt de jure naturali, nec alia ratione probari potest, quòd Respublica jure naturali habeat auctoritatem afficiendi supplicio, & pœnis cives suos, qui Reipublicæ sunt perniciosi. Quòd si Respublica hoc potest in suos, haud dubium quin orbis possit in quoscumque perniciosos, & nequaquam homines: & hoc non nisi per Principes: ergo pro certo Principes possunt puni-

re hostes qui injuriam fecerunt Reipublicæ, & omnino postquam bellum ritè, & justè susceptum est, hostes obnoxii sunt Principi tanquam judici proprio. Et confirmatur hæc: Quia revera nec pax, nec tranquillitas, quæ est finis belli, aliter haberi potest, nisi hostes malis, & damnis afficiantur, quibus deterreantur, ne iterum aliquid tale committant. Quæ omnia etiam probantur, & confirmantur autoritate, & exemplis bonorum. Ut enim suprâ citatum est Machabæi gesserunt bella non solum ad recipiendas res amissas, sed ad vindicandum injurias. Quod idem fecerunt Christianissimi Principes, & religiosissimi Imperatores. Et præterea non tollitur ignominia, & dedecus Reipublicæ profligatis tantum hostibus, sed etiam severitate pœnæ afflictis, & castigatis. Princeps autem non solum res alias, sed honorem, & autoritatem Reipublicæ defendere tenetur, & conservare.

Ex omnibus suprâ dictis oriuntur multa dubia. Et primum quidem dubium circa justitiam belli, utrum ad bellum justum sufficiat quòd Princeps credat se habere justam causam. Ad hoc sit prima propositio: Non * semper hoc satis est. Probatur primò: Quia in aliis 20 minoribus causis non sufficit nec Principi, nec privatis, quod credant se justè agere, ut notum est. Possunt enim errare vincibiliter, & affectatè: & ad actum bonum non sufficit sententia cujusque, sed oportet ut fiat secundum judicium sapientis, ut patet 2. Ethic. Item aliàs sequeretur, quòd plurimum essent bella justa ex utraque parte. Communiter enim non contingit, quòd Principes gerant bellum mala fide, sed credentes se justam causam sequi: & sic omnes bellantes essent innocentes, & per consequens liceret non interficere in bello. Item aliàs etiam Turcæ, & Saraceni gererent justa bella adversus Christianos: Putant enim se obsequium præstare Deo.

Secunda propositio: Oportet * ad bellum justum 21 magna diligentia examinare justitiam, & causas belli, & audire etiam rationes adversariorum, si vellint ex æquo, & bona disceptare. *Omnia enim sapienti* (ut ait

ait Comicus) *verbis prius experiri oportet, quàm armis.* & oportet consulere probos, & sapientes viros, & qui cum libertate, & sine ira, aut odio, & cupiditate loquantur. *Haud enim facile verum cernitur* (ut ait Crispus) *ubi illa officiant.* Hæc manifesta est. Nam cum in rebus moralibus difficile sit verum & justum attingere, si negligenter ista tractentur, facile errabitur, nec talis error excusabit authores, maximè in re tanta, & ubi agitur de periculo & calamitate multorum, qui tandem sunt proximi, & quos diligere tenemur, sicut nos ipsos.

22 Secundum dubium: An * subditi teneantur examinare causam belli, vel an possint militare nulla diligentia circa hoc adhibita, quemadmodum lictores exequi possunt decretum prætoris sine alia examinatione. De hoc dubio sit prima propositio: Si subdito constat de injustitia belli, non licet militare, etiam ad imperium Principis. Hæc patet: Quia non licet interficere innocentem quacunque autoritate; sed hostes sunt innocentes in eo casu: ergo non licet interficere illos. Item Princeps peccat inferendo bellum in eo casu, sed non solum qui malè agunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. (1) Ergo milites etiam mala fide pugnantes non excusantur. Item non licet interficere cives innocentes mandato Principis: ergo nec extraneos.

Dubium 2.

(1)
Ad Rom. 1.

23 Ex quo sequitur corollarium: Quòd * etiam si subditi habeant conscientiam de injustitia belli, non licet sequi bellum, siue errent, siue non. Patet: Quia omne quod non est ex fide, peccatum est. (2)

24 Secunda propositio: Senatores * & Reguli, & universaliter qui admittuntur, vel vocati, vel etiam ultrò venientes ad consilium publicum, vel Principis, debent & tenentur examinare causam justæ belli. Patet: Quia quicumque potest impedire periculum & damna proximorum, tenetur, maximè ubi agitur de periculo mortis, & majorum malorum, quale est in bello: Sed tales possunt consilio suo & autoritate causas belli examinantes avertere bellum, si forte injustum est.

(2)
Ad Rom. 14.

ergo tenentur. Item si negligentia istorum bellum injustum gereretur, isti videntur consentire: imputatur enim alicui quod potest & debet impedire, si non impedit. Item quia solus Rex non sufficit ad examinandas causas belli, & verisimile est quod potest errare, imò quod errabit magno cum malo, & pernicie multorum: ergo non ex sola sententia Regis, imò nec ex sententia paucorum, sed multorum, & sapientum, & proborum debet geri bellum.

Tertia propositio: Alii * minores, qui non admittuntur, nec audiuntur apud Principem, aut in consilio publico, non tenentur examinare causas belli, sed possunt credentes majoribus licite militare. Probatum primò: Quia nec fieri potest, nec expediret reddere rationem negotiorum publicorum omnibus de plebe. Item quia homines inferioris ordinis, etiam si intelligerent injustitiam belli, prohibere non possent, & sententia eorum non audiretur: ergo frustra examinarent causas belli. Item quia ejusmodi hominibus, nisi contrarium constiterit, sufficiens argumentum debet esse pro justitia belli, quod publico consilio & auctoritate geratur: ergo non est opus illis ulteriori examinatione.

Quarta propositio: Nihilominus * possent esse talia argumenta, & indicia de injustitia belli, quod ignorantia non excusaret etiam hujusmodi subditos militantes. Patet: Quia posset esse talis ignorantia affectata, & pravo studio adversus hostes concepta. Item aliàs infideles excusarentur, sequentes Principes suos in bello contra Christianos, & non liceret illos interficere: quia certum est, quod credunt se habere justam causam belli. Item excusarentur milites, qui crucifixerunt Christum ex ignorantia, sequentes edictum Pilati. Item etiam excusaretur populus Judæorum, qui persuasus à majoribus, clamabat: *Tolle, tolle, crucifige eum.*

Dub. 3. Tertium dubium: Quid * faciendum, cum justitia belli dubia est, hoc est, cum in utramque partem sunt rationes apparentes & probabiles. Prima propo-

fitio, quoad ipsos Principes. Videtur, quod si unus est in legitima possessione, manente dubio, non possit alius bello, & armis repetere. Ut, exempli gratia, si Rex Francorum est in legitima possessione Burgundiæ, si etiam est dubium an habeat jus ad illam necne, non videtur quod Imperator possit armis repetere: & è contrario, nec Rex Francorum Neapolim, aut Mediolanum, si dubium est cujus juris sint. Probat: Quia in dubiis melior est conditio possidentis: ergo non licet spoliare possessorem in re dubia. Item si res ageretur coram iudice legitimo, numquam in re dubia spoliaret iudex possessorem: ergo dato quod ille Princeps, qui prætendit jus, sit iudex in illa causa: non potest licitè spoliare possessorem manente dubio de jure. Item in rebus, & causis privatorum nunquam in causa dubia licet spoliare possessorem legitimum: ergo nec in causis principum, leges enim sunt Principum: si ergo secundum leges humanas non licet in causa dubia spoliare legitimum possessorem: ergo meritò potest objici Principibus: *Patere legem, quam ipse tuleris. Quod enim quisque juris in alios statuit, ipse eodem jure uti debet.* Item aliàs esset bellum justum ex utraque parte, & bellum nunquam componi posset. Si enim in causa dubia licet uni armis repetere: ergo alteri defendere; & postquam unus recuperasset, posset iterum alius reposcere: & sic nunquam esset finis bellorum cum pernicie & calamitate populorum.

28. Secunda propositio: Si * civitas, aut provincia, de qua dubitatur, non habet legitimum possessorem, ut si deserta est morte legitimi domini, & dubitatur an hæres sit Rex Hispaniæ aut Rex Galliarum, nec potest certum sciri: jure videtur, quod si unus velit componere, & dividere, vel compensare pro parte, quod alter tenetur recipere conditionem, etiam si sit potentior, & possit armis totum occupare: nec haberet justam causam belli. Probat: Quia alius non facit injuriam in pari causa: petendo æqualem partem. Item in privatis causis, etiam in re dubia, non liceret totum occupare. Item eodem modo bellum esset justum ex utraque par-

parte. Item justus judex neutri totum addiceret, & attribueret.

Tertia propositio: Qui * dubitat de jure suo etiam 29
si pacificè possideat, tenetur examinare causam diligen-
ter, & audire pacificè rationes alterius partis, si fortè
possit certum scire vel pro se, vel pro alio. Hæc pro-
batur: Quia jam non bona fide possidet qui dubitat,
& negligit scire veritatem. Item in causâ matrimonia-
li, si quis etiam legitimus possessor incipit dubitare,
utrum hæc mulier sit sua, vel alterius: certum est
quòd tenetur rem examinare: ergo eadem ratione in
aliis causis. Item Principes sunt judices in propriis cau-
sis, quia non habent superiores. Sed certum est, si quis
contra legitimum possessorem opponit aliquid, quòd
judex tenetur examinare causam: ergo etiam Principes
in re dubia tenentur examinare causam.

Quarta propositio: Examinata * causa quandiu ra- 30
tionabiliter perseverat dubium, legitimus possessor non
tenetur cedere possessioni, sed potest licitè retinere.
Patet primò: Quia judex non posset eum expoliare:
ergo nec ipse tenetur cedere, nec in toto, nec in par-
te. Item in causa matrimoniali in re dubia non tene-
tur cedere, ut in cap. *Inquisitioni*, de Sententia excom.
& in cap. *Dominus*, de Secundis nupt. ergo nec in aliis
causis. Et Adrianus expressè q. 2. quodlibet. 2. tenet,
quòd dubitans, licitè potest retinere possessionem: hoc
quoad ipsos Principes in re dubia. Sed quoad subdi-
tos in dubio belli justi, Adrianus quidem quodlib. 2.
ad 1. argumentum principale dicit, quòd subditus dubi-
tans de justitia belli, id est, utrum causa, quæ allega-
tur, sit sufficiens, vel simpliciter an subsit causa suf-
ficiens ad indicendum bellum: non potest licitè etiam
ad imperium superioris militare in tali bello. Probat,
quia exponit se periculo peccati mortalis. Item quia
quod non est ex fide peccatum est, quod secundum
Doctores & veritatem, non solùm intelligitur contra
conscientiam certam, aut contra opinativam, sed etiam
contra dubiam. Idem videtur tenere Sylvestr. verbo
Bellum, 1. §. 9.

31 Sed sit quinta propositio : Primò non * est dubium quin in bello defensivo liceat subditis in re dubia sequi Principem suum in bello , imò quòd teneantur sequi. Sed etiam de bello offensivo. Probatur. Primò, quia Princeps, ut dictum est, nec potest semper, nec debet reddere subditis rationes belli: & si subditi non possint militare nisi postquam scirent justitiam belli, Respublica periclitaretur vehementer, & pateret injuriæ hostium. Item in dubiis tutior sequenda est pars. Sed si subditi in casu dubii non sequantur Principem suum in bello, exponunt se periculo prodendi hostibus Rempublicam: quod multo gravius est, quàm pugnare contra hostes cum dubio: ergo debent potius pugnare. Item manifestè probatur: Quia licet tenetur exequi sententiam judicis etiam si dubitet an sit justa: contrarium enim esset valdè periculosum. Item hoc argumentum videtur defendere Augustin. contra Manich. *Justus si fortè etiam sub Rege homine sacrilege militet, rectè potest eo jubente bellare: si, quòd sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est.* 23. q. 1. quod culpatur. Ecce August. diffinientem expressè si non est certum, id est, si dubium est an sit contra Dei præceptum, quòd licitum est subdito bellare. Nec Adrianus se expedire potest ab illa Augustini authoritate, quamvis se in omnem partem vertat. Sine dubio enim conclusio nostra est determinatio August.

Nec valet dicere, quòd talis debet tollere dubium, & formare sibi conscientiam, quòd bellum sit justum: nam stat quòd moraliter loquendo non possit, sicut in aliis dubiis. Adrianus autem videtur errasse in hoc, quod putavit, si dubito an hoc bellum sit justum Principi, vel utrum sit causa justa hujus belli, quòd statim consequatur, quòd dubitent utrum liceat mihi ire ad hoc bellum, necne. Fateor enim quòd nullo modo licet facere contra dubium conscientiae, & si dubito, an liceat mihi facere hoc, necne, pecco si faciam; sed non sequitur, dubito an sit justa causa hujus belli: ergo dubito an liceat mihi bellare, vel

militare in hoc bello. Imò oppositum sequitur. Si enim dubito an bellum sit justum, sequitur quod licet mihi ad imperium Principis mei bellare, sicut non sequitur, licet dubitat an sententia judicis justa sit, ergo dubitat an liceat ei exequi sententiam, imò scit quòd tenetur exequi: & idem est de hoc dubio: ego dubito an hæc sit vxor mea: ergo teneor ei reddere debitum.

Quartum dubium est: An * possit esse bellum justum ex utraque parte. 32

Dub. 4.

Respondetur: Prima propositio: Seclusa ignorantia manifestum est, quòd non potest contingere. Quia si constat de jure, & justitia utriusque partis, non licet in contrarium bellare, nec offendendo, nec defendendo. Secunda: Posita ignorantia probabili facta aut juris potest esse ex ea parte qua vera justitia est, bellum justum per se, ex altera autem parte bellum justum, id est excusatum à peccato bona fide; quia ignorantia invincibilis excusat à toto. Item saltem ex parte subditorum sæpe potest contingere. Dato enim quòd Princeps, qui gerit bellum injustum, sciat injustitiam belli, tamen (ut dictum est) subditi bona fide possunt sequi Principem suum: & sic ex utraque parte subditi licitè pugnant.

Dub. 5.

Sed ex hoc sequitur quintum dubium: Utrum * qui ex ignorantia sequutus est bellum injustum, si postea constiterit ei de injustitia belli, teneatur restituere, sive loquamur de Principe, sive de subdito. 33

Prima propositio: Si quidem habebat probabilitatem de injustitia belli, tenetur adveniente notitia de injustitia, restituere ablata, quæ nondum consumpsit, id est quantum factus est locupletior: non autem quæ consumpsit, quia regula juris est, quòd qui non est in culpa, non debet esse in damno: sicut qui bona fide fuit in convivio lautissimo furis, ubi scilicet res furtivæ consumptæ sunt, non tenetur restituere, nisi fortè quantum domi consumpsisset. Si autem dubitavit de injustitia belli, sequutus auctoritatem Principis. Sylvest. in verbo *Bellum* 1. §. 9. dicit, quòd tenetur

tur de omnibus, quia mala fide pugnavit.

Sed sit secunda propositio conformiter ad supra dicta. Nec iste tenetur de consumptis, sicut nec alius, quia (ut dictum est) licitè, & bona fide pugnavit. Sed esset verum, quòd Sylvester dicit, si revera dubitasset, an liceret ire ad bellum, quia jan facit contra conscientiam.

Sed est multum considerandum, quòd stat, quòd bellum sit justum & licitum per se, illicitum autem per accidens, stat enim quòd quis habeat jus ad recuperandam civitatem, aut provinciam, & tamen ratione scandali fiat prorsus illicitum. Cùm enim, ut supra dictum est, bella geri debeant pro bono communi, si ad recuperandam unam civitatem, necesse est quòd sequantur majora mala in Republ. ut vastatio multarum civitatum: cædes magna mortalium, irritatio Principum, occasiones novorum bellorum in perniciem Ecclesiæ: item quòd paganis detur opportunitas invadendi & occupandi terras Christianorum: indubitatum est quin teneatur Princeps potiùs cedere juri suo, & abstinere se bello. Clarum est enim quòd si Rex Gallorum, verbi gratia, haberet jus ad recuperandum Mediolanum, ex bello autem & Regnum Galliæ, & ipsa provincia Mediolanensis paterentur in toleranda mala, & calamitates graves: non licet ei recuperare: quia bellum ipsum aut fieri debet, vel propter bonum Galliæ, aut Mediolani: quando ergo è contrario utriusque magna mala ex bello futura sunt, non potest bellum justum esse.

Circa aliam quæstionem quantum liceat in bello justo, sunt etiam multa dubia.

34 Primum: An * liceat in bello interficere innocentes: & videtur quòd sic, quia filii Israel primò interfecerunt infantes, ut patet Jos. 6. in Jerich. & postea Saul. 1. Reg. 15. interfecit pueros in Amalec. utrumque ex autoritate, & mandato Domini. Quæcunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut patet ad Rom. 15. ergo & nunc si bellum sit justum, licebit interficere innocentes.

Dubium 2.

De hoc dubio sit prima propositio: Nunquam * 35
 licet per se & ex intentione interficere innocentem.
 Probatum primò: Exod. 13. *Infantem & justum non occi-*
des. Secundò: Fundamentum justì belli est injuria, ut
 supra ostensum est; sed injuria non est ab innocente:
 ergo non licet bello uti contra illum. Tertiò: Non
 licet in Republica pro delictis malorum punire inno-
 centes: ergo etiam nec pro injuria malorum licet
 punire innocentes apud hostes. Quartò: Aliàs jam bel-
 lum esset justum ex utraque parte, seclusa ignoran-
 tia: quòd esse non potest, ut ostensum est. Et patet
 consequentia, quia innocentes, certum est quòd pos-
 sunt se defendere contra quemcunque conantem inter-
 ficere. Et confirmatur totum hoc Deuter. 20. Manda-
 tur filiis Israel, ut cum vi ceperint civitatem, alios
 quidem interficiant, parcent autem mulieribus, &
 parvulis.

Ex quo sequitur, quòd * etiam in bello contra 36
 Turcas non licet interficere infantes. Patet, quia sunt
 innocentes. Imò nec scæminas. Patet, quia quantum
 ad bellum spectat, præsumuntur innocentes, nisi fortè
 constaret de aliqua scæmina, quòd esset in culpa. Imò
 idem videtur judicium de innoxiiis agricolis apud
 Christianos, imò de alia gente togata, & pacifica, quia
 omnes præsumuntur innocentes, nisi contrarium const-
 taret. Hac etiam ratione sequitur quòd nec licet in-
 terficere peregrinos, nec hospites, qui versantur apud
 hostes, quia præsumuntur innocentes, nec revera sunt
 hostes. Eadem ratione nec Clericos, nec Religiosos,
 quia præsumuntur innocentes in bello, nisi constet de
 contrario, ut cum actualiter pugnat.

Secunda propositio: Per * accidens autem etiam 37
 scienter aliquando licet interficere innocentes, puta
 cum oppugnatur arx, aut civitas justè, in qua tamen
 constat multos esse innocentes, nec possunt machinæ
 solvi & alia tela, vel ignis subjici ædificiis, quin etiam
 opprimantur innocentes, sicut nocentes. Probatum:
 Quia aliàs non posset geri bellum contra ipsos nocen-
 tes, & frustraretur justitia bellantium; sicut è contra-

riò si oppidum oppugnatur injustè, & justè defenditur, licet mittere machinas, & alia tela in obsessores, & in castra hostium, dato quòd inter illos sint aliqui pueri, aut innocii. Sed tamen est considerandum, quòd paulò ante dictum est, quòd oportet cavere ne ex ipso bello sequantur majora mala, quàm vitentur per ipsum bellum: si enim ad summam belli victoriam parum confert expugnare arcem, aut oppidum, ubi est præsidium hostium, & sunt multi innocentes, non videtur quòd liceat ad expugnandum paucos nocentes, occidere multos innocentes, subjiciendo ignem, vel machinas, vel alia ratione, qua indifferenter opprimantur innocentes cum nocentibus. Et tandem nunquam videtur licitum interficere innocentes, etiam per accidens, & præter intentionem, nisi quando bellum justum expediri & geri aliter non potest, juxta illud Matth. 13. *Sinite crescere zizania, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.*

38 Sed circa hæc potest dubitari: An * liceat interficere innocentes, à quibus tamen in futurum immineret periculum, puta, pueri Saracenorum sunt innocentes: sed timendum meritò est, ne facti adulti, pugnent contra Christianos, & inferant bellum cum periculo. Et præterea etiam togati puberes apud hostes, qui non sunt milites, præsumuntur innocentes: sed isti postea sument arma, & inferent periculum, an liceat tales interficere.

Dubium incidens.

Et videtur quòd sic, eadem ratione qua per accidens licet interficere alios innocentes. Item Deuter. 20. præcipitur filiis Israel, ut cum expugnaverint aliquam civitatem, interficiant omnes puberes, non est autem præsumendum, quòd omnes essent nocentes.

Respondetur ad hoc: Licet posset fortasse defendi: quòd in tali casu possint interfici, tamen credo, quòd nullo modo licet, quia non sunt facienda mala, ut vitentur etiam alia mala majora. Et intolerabile est, quòd occidatur aliquis pro peccato futuro. Et præterea sunt alia remedia ad cavendum in futurum ab illis, ut captivitas, exilium, &c. ut statim di-

dicemus. Unde sequitur, quòd siue jam parta victoria, siue in actu bellum geratur, si constat de innocentia alicujus militis, & milites possunt eum liberare, tenentur.

Ad argumentum in contrarium, respondeo, quòd illud factum fuit speciali mandato Dei, qui iratus, & indignatus contra populos illos, voluit perdere omnino. Sicut misit ignem in Sodomam, & Gomorrham, qui devoraret tam innocentes, quàm nocentes: ipse autem est dominus omnium, nec dedit hanc licentiam ex lege communi. Et ad illud Deuter. 20. posset eodem modo responderi: sed quia illic data est lex belli communis in omne tempus futurum, potius videtur, quòd illud Dominus dixit, quia revera omnes puberes reputantur in civitate inimica nocentes, & non possunt distingui innocentes à nocentibus: ideo omnes possunt interfici.

Dubium 2.

Secundum dubium est: An * liceat in bello justo spoliare innocentes: sitque prima propositio. 39 Certum est, quòd licet spoliare innocentes bonis, & rebus quibus hostes adversum nos usuri sunt, ut armis, navibus, machinis. Patet: Quia aliter victoriam consequi non possemus, quæ est finis belli, imò etiam licet accipere pecunias innocentum, & comburere, & corrumpere frumenta, occidere equos, si ita opus est, ad debilitandum hostium vires.

Ex quo sequitur corollarium, quòd si bellum sit perpetuum, licet indifferenter expoliare omnes apud hostes tam nocentes quàm innocentes: quia ex opibus suorum hostes alunt bellum injustum: & contra debilitantur vires eorum si cives eorum spoliantur.

Secunda propositio: Si * bellum satis commodè 40 geri potest, non spoliando agricolas aut alios innocentes, videtur quòd non liceat eos spoliare. Hoc tenet Sylvest. in verb. *Bellum* 1. §. 10. quia bellum fundatur in injuria: ergo non licet jure belli uti in innocentes, si aliunde potest compensari injuria. Imò addit Sylvest. quòd etiam si fuerit justa causa spoliandi

di innocentes, transacto bello, tenetur victor restituere illis quicquid superest.

Sed hoc non puto esse necessarium: quia, ut infra dicitur, si jure belli factum est, omnia cedunt in favorem, & jus justum bellum gerentium. Unde si licite sunt capta puto quod non sunt obnoxia restitutioni. Dictum tamen Sylvestri pium est, & non improbabile. Spoliare autem peregrinos, & hospites, qui sunt apud hostes, nisi constet de culpa illorum, nullo modo licet, quia illi non sunt de numero hostium.

41 Tertia propositio: Si * hostes nolunt restituere res injuria ablatas, & non possit, qui læsus est, aliunde commodè recuperare, potest undecunque satisfactionem capere, sive à nocentibus, sive ab innocentibus. Ut si latrones Galli fecerint prædas in agrum Hispanorum, & Rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionem, cum possit, possunt Hispani autoritate principis sui spoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantuncunque innocentes: quia licet fortè à principio Respublica aut Princeps Gallorum non fuerit in culpa: jam est in culpa, quia negligit vindicare, ut ait August. quod improbè à suis factum est, & Princeps læsus potest ex omni membro, & parte Reipublicæ satisfactionem accipere. Unde literæ marcharum, aut repræsaliarum, quæ à principibus in hujusmodi casibus conceduntur, non sunt per se injustæ, quia per negligentiam, & injuriam alterius Principis, concedit læso suus Princeps, ut possit recuperare bona sua etiam ab innocentibus. Sunt autem periculosæ, & præbent occasionem rapinarum.

42 Tertium dubium: Dato quod * non liceat interficere pueros, & alios innocentes, an saltem liceat ducere illos in captivitatem, & servitutem.

Dub. 5.

Sitque pro illius declaratione unica propositio: Eodem modo licet ducere innocentes in captivitatem, sicut licet spoliare illos, quia libertas, & captivitas inter bona fortunæ reponuntur: Unde quando bellum est

est talis conditionis, quòd licet spoliare indifferenter omnes hostes, & occupare omnia bona illorum, etiam licet ducere in captivitatem omnes hostes sive nocentes, sive innocentes. Et cum bellum adversus paganos sit hujusmodi, quia est perpetuum, & nunquam satisfacere possunt pro injuriis, & damnis illatis: ideo non est dubitandum quin liceat, & pueros, & foeminas Saracenorum ducere in captivitatem, & servitutem. Sed quia jure gentium inter Christianos videtur receptum, ut Christiani jure belli non fiant servi, in bello quidem inter Christianos non licet, sed si opus est ad finem belli captivos ducere etiam innocentes, ut pueros, & foeminas: non quidem in servitutem, sed ut pro illorum redemptione pecunias recipiamus licitum esset. Quod tamen extendendum non est ultra, quàm belli necessitas postulet, & consuetudo legitimè belligerantium obtinuit.

Dub. 4. Quartum dubium est: Utrum * saltem obsides, ⁴³ qui vel tempore judiciarum, vel peracto bello ab hostibus recipiuntur, interfici possint, si hostes fidem fregerint, & conventis non steterint.

Respondeo per unicam conclusionem. Si obsides aliàs sint de numero nocentum, puta qui tulerunt contra eos arma, interfici jure possunt in eo casu. Si autem sunt innocentes, ex supra dictis constat, quòd interfici non possunt, ut cum sint pueri, aut foeminae, aut alii innocentes.

Dub. 5. Quintum dubium: An * saltem in bello justo liceat interficere omnes nocentes. ⁴⁴

Pro responsione notandum est, quòd ut ex supra dictis patet, bellum geritur primò ad defendendum nos, & nostra. Secundò, ad recuperandum res ablatas. Tertio, ad vindicandum acceptam injuriam. Quarto ad pacem, & securitatem parandam.

His præmissis sit prima propositio: In * ipso actuali conflictu praelii, vel in oppugnatione, aut defensione civitatis licet indifferenter occidere omnes, qui contra pugnant: & breviter, quandiu res est in

periculo. Hoc patet: Quia aliter rem bene gerere non possent bellantes, nisi tollendo omnes impedientes, & contra pugnantes.

Sed totum dubium est, & difficultas, an parta jam victoria, & ubi periculum non est ab hostibus, an liceat interficere omnes qui contra arma tulerunt. Et videtur apertè quòd sic. Quia ut suprà dictum est, inter præcepta militaria, quæ Dominus dedit Deuter. 20. unum est, ut expugnata civitate hostium, interficerentur omnes habitatores. Verba illius loci sunt hæc: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo; sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus eam in manu tua, percuties omne quod in ea est generis masculini in ore gladii, absque mulieribus, & infantibus.*

Ratio pro parte affirmativa.

46 Secunda propositio: Parta * victoria, & rebus jam extra periculum positis, licet interficere nocentes. Probat: Quia (ut jam dictum est) non solum ordinatur bellum ad recuperandas res, sed etiam ad vindicandum injuriam: ergo pro injuria præterita licet interficere authores injuriæ. Item hoc licet in proprios cives malefactores: ergo etiam in extraneos, quia (ut supra dictum est) belli Princeps jure belli auctoritatem habet in hostes, sicut legitimus Judex, & Princeps. Item, quia licet in præsentia non esset periculum ab hostibus, tamen in futurum securitas non haberetur.

47 Tertia propositio: Solum * ad vindicandam injuriam non semper licet interficere omnes nocentes. Probat: Quia etiam inter cives non liceret, ubi etiam esset delictum totius civitatis, aut Provinciæ interficere omnes delinquentes, nec in communi rebellionem liceret occidere, & perdere totum populum. Unde pro simili factò Theodosius ab Ambrosio ab Ecclesia est prohibitus. Hoc enim esset contra publicum bonum, quod tamen est finis belli & pacis: ergo etiam non licet occidere omnes nocentes ex hostibus. Oportet ergo

go habere rationem injuriæ ab hostibus acceptæ, & damni illati, & aliorum delictorum. Et ex hac consideratione procedere ad vindictam, & animadversionem omni atrocitate, & inhumanitate seclusa. In hoc enim proposito Cicer. 2. Offic. ait, quod animadvertendum est in noxios quantum æquitas & humanitas patiantur. Et Salust. *Majores, inquit, nostri religiosissimi mortales nihil victis eripiebant, præter injuria licentiam.*

Quarta propositio: Aliquando * etiam licet & expedit interficere omnes nocentes. Probatur: Quia etiam bellum geritur ad parendum pacem, & securitatem: sed aliquando aliter obtineri securitas non potest, nisi tollendo omnes hostes: & hoc maximè videtur contra infideles, à quibus nunquam ullis conditionibus pax sperari potest. Et ideo unicum remedium est, tollere omnes, qui contra arma ferre possunt, modo jam fuerint in culpa. Et ita intelligendum est illud præceptum Deuter. 20. Aliàs autem in bello contra Christianos non puto, quod hoc sit licitum. Cùm enim necesse sit ut veniant scandala (ut habetur Matth. 18.) & bella inter Principes, si semper victor interficeret adversarios omnes, essent in perniciem generis humani, & Christianæ Religionis, & orbis citò in solitudinem redigeretur: nec bella pro bono publico, sed in publicam calamitatem perditè gererentur. Oportet ergo ut pro mensura delicti sit plagarum modus, nec ultra progrediatur vindicta, in quo etiam habenda est ratio & consideratio, quòd (ut suprà dictum est) subditi non tenentur, nec debent examinare causas belli, sed possunt sequi Principem suum in bellum, contenti auctoritate Principis, & publici consilii: unde pro majori parte, licet ex altera parte sit bellum injustum, tamen milites qui veniunt ad bellum, & pugnant in bello, aut defendunt, vel opugnant civitates ex utraque parte, sunt innocentes, & ideo cùm jam victi sunt, & non est periculum ab illis, credo quòd interfici non possunt, non modo omnes, sed ne unus quidem ex illis, si præsumitur, quòd bona fide in prælium venerunt.

*Respondetur
ad rationem
pro parte as-
firmativa.*

49 Sextum dubium: An * liceat interficere deditos aut captivos, supposito etiam quòd fuerunt nocentes.

Dub. 6.

Respondetur, quòd per se loquendo, nihil obstat quominus capti in bello justo, aut dediti, si fuerunt nocentes, interfici possint per se loquendo, servata æquitate: sed quia in bello multa jure gentium constituta sunt, videtur receptum consuetudine, & usu belli, ut captivi parva victoria, & periculo transeunte (nisi forte sint profugæ) non interficiatur, & servandum est jus gentium eo modo, quo inter bonos viros servari consuetum est. De deditis autem non lego, nec audio talem consuetudinem, imò in deditioibus arcium civitatum, solent qui se dediderunt cavere sibi conditionibus, ut salva sint capita, & salvi mittantur: scilicet veriti ne simpliciter, & nullis conditionibus dantur, interficiantur: & hoc aliquoties factum legimus. Unde non videtur iniquum, ut si oppidum nihil cavendo dedatur, mandato Principis, aut judicis, aliqui qui fuerunt nocentiores, occidantur.

50 Septimum dubium: Utrum * omnia capta in bello justo fiant capientium, & occupantium.

Dub. 7.

Prima propositio: Non est dubitandum, quin omnia capta in bello justo usque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per injuriam, & etiam impensarum, fiant occupantium. Nec indiget probatione hæc propositio: quia ille est finis belli, sed seclusa consideratione, & restitutionis, & satisfactionis, & stando in jure belli distinguendum est: nam capta in bello aut sunt mobilia, ut pecuniæ, vestes, argentum, aurum: aut immobilia, ut agri, oppida, arces. Quo supposito sit.

51 Secunda propositio: Mobilia * quidem jure gentium omnia fiunt occupantis, etiam si excedant compensationem damnorum. Hoc patet ex l. *Si quid in bello*, & l. *Hostes*, ff. de Capt. & cap. *Jus gentium*, l. dist. & expressius Instit. *De rer. divis.* §. *Item ea quæ ab hostibus*. Ubi dicitur, quod jure gentium, quæ ab hostibus capiuntur, statim nostra fiunt, adeò ut etiam liberi homines in nostram servitutem deducantur. Et Ambr. lib.

(1)
Genes. 14.
& 24. q. 5.

de Patriar. dicit, cum Abraham occidit quatuor Reges, prædam quidem fuisse Abrahamæ victoris, quanquam recusavit accipere. (1) Et confirmatur ex autoritate Domini, Deuter. 20. ubi de civitate expugnanda dicit: *Om-nem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Hanc sententiam tenet Adrianus in quæstione de restitutione, in particulari quæstione de bello. Et Sylvest. in verb. *Bellum* §. 2. & §. 9. ubi dicit quod qui justè pugnavit, non tenetur restituere prædam. 23. q. 7. *Si de rebus.* Ex quo infert, quòd capta in bello justò, non compensantur cum debito principali: ut tenet etiam Arch. 23. q. 2. *Dominus noster.* Ita tenet Bar. in dict. l. *Si quid in bello:* & hoc intelligitur, etiam si hostis sit paratus aliis satisfacere de damno, & injuriis. Quod tamen limitat Sylvest. & bene, quousque secundum æquitatem sit sufficienter satisfactum de damno, & injuria. Non enim est intelligendum, quòd si Galli exciderint unum pagum, aut innobile oppidum Hispaniæ, quòd liceat Hispanis etiam (si possint) prædari totam Galliam. Sed pro modo, & qualitate injuriæ arbitrio boni viri.

Dubium inci-
dent.

Sed ex hac determinatione sequitur dubium: An * 52
liceat permittere militibus civitatem in prædam.

Respondetur, & sit tertia propositio: Hoc de per se non est illicitum, si necessarium est ad bellum gerendum, vel deterrandos hostes, vel ad accendendum militum animos. Ita Sylvest. verbo *Bellum*, §. 10. Sicut etiam licet incendere civitatem ex rationabili causa. Sed tamen quia ex hujusmodi permissionibus sequuntur multa sæva, & crudelia præter omnem humanitatem, quæ à barbaris militibus committuntur, innocentum cædes, & cruciatus, virginum raptus, matronarum stupra, templorum spolia: ideo sine dubio, sine magna necessitate, & causa maximè civitatem Christianam prædæ tradere periniquum est. Sed si ita necessitas belli exigat, non est illicitum, etiam si credibile sit, quòd milites aliqua hujusmodi foeda, & illicita patrent, quæ tamen duces, & interdicerè, & quam possunt, prohibere tenentur.

Quarta propositio: His omnibus non obstantibus,
53 non * licet militibus sine authoritate Principis aut ducis prædas agere, aut incendia facere, quia ipsi non sunt iudices, sed executores, & aliter facientes tenentur ad restitutionem.

Sed de bonis, & rebus immobilibus major difficultas est, & sit quinta propositio: Non * est dubium quin
54 liceat occupare, & tenere agrum, & arces, & oppida hostium, quantum necessarium est ad compensationem damnorum illatorum: puta si hostes diruerunt arcem nostram, incenderunt civitatem, sylvas, aut vineas, aut oliveta: licebit occupare vicissim agrum hostium, aut arcem, aut oppidum, & tenere. Si enim licet capere compensationem ab hostibus pro rebus ablatis: certum est quod jurè divino, & naturali, non plus licet hanc recompensationem accipere in rebus mobilibus, quàm in immobilibus.

55 Sexta propositio: Etiam * ad parandam securitatem, & vitandum periculum ab hostibus, licet occupare, & tenere arcem aliquam, aut civitatem hostium necessariam ad defensionem nostram aut tollendam hostibus occasionem, unde possint nocere.

56 Septima propositio: Etiam * pro injuria illata, & nomine pœnæ, hoc est in vindictam, licet pro qualitate injuriæ acceptæ mulctare hostes parte agri, aut etiam hac ratione occupare arcem, aut oppidum. Sed hoc, ut diximus, debet fieri cum moderamine, & non quantum viribus, & potentia armorum occupari, & expugnari potest. Et si necessitas, & ratio belli postulat, ut major pars agri hostium occupetur, & plures civitates capiantur oportet ut compositis rebus, & peracto bello restituantur, tantum retinendo, quantum sit justum pro compensatione damnorum, & impensarum & pro vindicta injuriæ, servata æquitate, & humanitate, quia pœna debet esse proportionata culpæ: & intolerabile esset, quòd si Galli agerent prædas in pecora Hispanorum, vel incenderent pagum unum, quòd liceret occupare totum Regnum Francorum.

Quod autem hoc titulo liceat occupare, aut partem

tem

tem agrī, aut aliquam civitatem hostium, patet ex illo Deuter. 20. ubi datur licentia in bello occupandi civitatem, quæ pacem recipere noluerit. Item malefactores intrancos licet punire hoc modo, scilicet privando illos domo, aut agro, aut arce pro rei qualitate: ergo etiam extrancos. Item superior judex potest commodè multare authorem injuriæ, tollendo scilicet ab eo civitatem, aut arcem: ergo & Princeps, qui læsus est, hoc poterit, quia jure belli factus est tanquam judex. Item Imperium Romanum hoc modo, & titulo auctum, & amplificatum est, occupando scilicet jure belli civitates, & Provincias hostium à quibus injuriam acceperant, & tamen Imperium Romanorum tanquam justum, & legitimum defenditur ab August. Hieronymo, Ambr. Thoma, & aliis Sanctis Doctoribus. Imò posset videri approbatum à Domino in illo loco: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, & à Paulo, qui Cæsarem appellavit, & ad Rom. 13. admonet potestatibus sublimioribus, & principibus subditos esse, & tributa pendere eis, qui eo tempore omnes habebant auctoritatem ab Imperio Romano.

Dub. 8. Octavum dubium: Utrum * liceat imponere victis 57 hostibus tributa.

Respondetur, quòd sine dubio licet, non solum ad compensandum damna, sed etiam ratione pœnæ, & in vindictam. Hoc satis patet ex supradictis, & ex illo loco Deuter. 20. ubi dicit, quòd postquam ex justa causa accesserint ad expugnandum civitatem, si receperit eos, & aperuerit portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet illis sub tributo, & hoc jus, & usus belli obtinuit.

Dub. 9. Nonum dubium: An * liceat deponere Principes 58 hostium, & novos ponere, & constituere, vel sibi retinere Principatum.

Prima propositio: Hoc non passim, & ex quacunque causa belli justī licet facere: ut patet ex dictis. Nam pœna non debet excedere quantitatem, & rationem injuriæ, imò pœnæ sunt restringendæ, & favores ampliandi, quæ est non solum regula juris humani, sed
etiam

etiam naturalis, & divino : ergo dato quod injuria illata ab hostibus sit sufficiens causa belli, non semper erit sufficiens ad exterminationem Principatus hostis, & ad depositionem legitimorum, & naturalium Principum, hoc enim esset prorsus sævum, & inhumanum.

59. Secunda propositio : Non * est negandum quin aliquando possint contingere sufficientes, & legitimæ causæ vel ad mutandos Principes vel ad occupandum Principatum : & hoc vel pro multitudine, & atrocitate damnorum, & injuriarum, vel maximè quando aliter securitas, & pax ab hostibus obtineri non potest : & immineret grande periculum Reipublicæ ab illis, nisi hoc fieret. Hoc patet. Si enim licet occupare civitatem ex causa, ut dictum est : ergo tolere Principem civitatis. Et eadem est ratio de Provincia, & Principe Provinciæ, si causa major contingat.

Sed notandum circa 6.7.8. & 9. dubium, quod aliquando, imò frequenter non solum subditi, sed etiam Principes ipsi, qui revera non habent causam justam, tamen bona fide gerunt bellum, ita inquam bona fide, quòd excusantur ab omni culpa, puta cum facta diligenti examinatione, ex sententia doctorum, & bonorum virorum geritur bellum. Et cum nemo debeat sine culpa puniri in tali casu, quamvis liceat victorj recuperare res ablatas, & fortè impensam belli : tamen sicut non licet parva victoria quanquam interficere, ita nec ultra justam satisfactionem occupare, nec exigere in rebus temporalibus. Quia omnia alia fieri non possunt, nisi nomine pœnæ, quæ in innocentes cadere non debet.

Ex his omnibus possunt componi pauci canones, & 60 regulæ belligerandi. Primus canon : Supposito * quòd Princeps habet auctoritatem gerendi bellum, primum omnium debet non quærere occasiones, & causas belli : sed si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere, ut Paulus præcepit ad Rom.12. debet autem recogitare, quòd alii sunt proximi, quos tenemur diligere sicut nos ipsos, & quòd habemus omnes unum comunem Dominum, ante cujus tribunal tene-

mur rationem reddere. Est enim ultimæ immanitatis, causas quærere, & gaudere, quòd sint ad interficiendum, & perdendum homines, quos Deus creavit, & pro quibus Christus mortuus est: sed coactum & invitum venire oportet ad necessitatem belli.

Secundus canon. Conflato jam ex justis causis bello oportet illud gerere non ad perniciem gentis, contra quam bellandum est, sed ad consecutionem juris sui, & defensionem patriæ, & reipublicæ suæ, & ut ex illo bello pax aliquando, & securitas consequatur. Tertius canon. Parta victoria, & confecto bello, oportet moderatè, & cum modestia christiana victoria uti, & oportet victorem existimare se judicem sedere inter duas respublicas, alteram, quæ læsa est, alteram, quæ injuriam fecit: ut non tamquam accusator, sed tamquam judex sententiam ferat, qua satisfieri quidem possit reipublicæ læsæ. Sed quantum fieri poterit, cum minima calamitate, & malo reipublicæ nocentis: castigatis nocentibus, quantum licuerit: & maximè, quia plurimum inter Christianos tota culpa est penes principes. Nam subditi bona fide pro principibus pugnant: & est per iniquum, quod Poeta ait:

Ut quicquid delirant Reges plebentur Achivi.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA
RELECTIO.
DE MATRIMONIO.

SUMMA.

1. *Matrimonium quid sit.*
2. *Matrimonii quotuplex finis.*
3. *Jus conveniendi, an satis sit ad matrimonii essentialiam.*
4. *Consensus inter virum & fœminam, an sit de ratione matrimonii.*
5. *Matrimonium quantum ad suam essentialiam quid sit.*
6. *Matrimonii vinculum, quomodo ex lege naturali, aut divina non contrahatur, nisi conjugum ipsorum consensu, licet Deus sine dubio, nullo consensu viri & fœmine interposito, constituere possit.*
7. *Matrimonium, nulla auctoritate humana posset constitui, nisi consensu contrahentium.*
8. *Matrimonii consensus qualis sit.*
9. *Canon, sive regula universalis observanda, si ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oritur matrimonium.*
10. *Matrimonium, si quis deceptus contrahat, an teneatur.*

A N nibalem pœnum illum summum ducem, atque optimum Imperatorem rogatum aliquando, ut hominem quendam seniculum sophistam de re militari differentem audiret dixisse postquam audisset asserunt, se deliros senes vidisse multos, illo vero neminem magis ridiculum, qui cum prælio nunquam interfuisset, castra nunquam vidisset, præcepta tamen mili-

taria, præfente Annibale dare fufineret. Et ille quidem fuo jure hominis vanitatem ita irrifit, qui non præliorum modo bellica præcepta, fed Ducum omnium, & Imperatorum gefa ac ftragemata facta, dictaque omnia, vel Marte ipfo judice facile unus pergravaffet. At ego nefcio an ineptius aliquanto homine illo facturus fim, qui hodie, profeflus celibatum, apud vos patres & viri religiofiffimi de matrimonio fim orationem habiturus, qui fitis omnes, & ufu, & fpecte, & voto non folùm à nuptiis abhorrentes, & alieni, fed totius continentia, vel exempla clariffima, vel quantum in iftam adolefcentiam cadere potefit rudimenta certiffima, & indoles quamvis expectationem, vel fperam fuperatura. Verum fi me ab ifta fuggillatione non vendicat, vel quod Apofolus Paulus tam multa præcepta conjugibus, dederit ipfe quantum ego arbitrior matrimonii ignarus, vel quod fanctiffimi viri, & clariffimi Doctores volumina compofuerint certè excufabit me, quòd non mihi integrum fuit per amicos, & neceffarios argumentum, quod fueram meditatus, tractare, & mea profefione, & veffra expectatione fortalfè non indignum.

Cùm enim fuperioribus diebus delata effet in hanc Univerfitatem caufa de matrimonio illuftriffimorum Principum, Regumque Anglorum, atque per aliquot dies in illo graviffimo Doctorum, atque Magiftrorum jactata Senatu, & ventilata fuerit: contenderunt à me nonnulli mei invicem ftudiofi, ut de ea re prima mea relectione differerem: quibus, quia negare non licebat, cùm recepiffem, neceffarium mihi fuit, ut hoc alieno ære hodierna die me exolverem. Quamquam profectò tot fe mihi moleftam gravem caufam agreflo objecerunt, ut non mediocriter timeam, ne priufquam ad illam penetrare poffim, & tempore, & clepfidra, & veffra, quam mihi foletis præffare, benevola audientia deftituar. Ergo utcumque res cafura fit, veffrum erit, & fi quæ non expectabatis, audieritis, & quæ expectabatis, adhuc defideraveritis, meo nomine boni confulere, & meis conaribus & ftudiis (ut hætenus feciftis) vel favere, vel connivere.

Locus igitur à me relegendus in præsentiarum, & commentandus habetur Matth. 19. & Marc. 10. & afferitur à Magistro sentent. 4. lib. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* In cujus loci explicatione tres erunt quæstiones & partes. In prima de constitutione matrimonii. In secunda de impedimentis. In tertia de dissolutione agendum est.

Et quia secundum Ciceronem 1. Officior. *Omnia, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci:* ideo ante omnia quæritur * quid sit matrimonium, an (ut quidam putant) matrimonium sit jus inter virum, & fœminam, quo mutuò liceat uti ad liberorum procreationem, aut (ut simplicius dicam) ad copulam carnalem.

Quæst. 1.

Et videtur quod sic: quia omnis usus fœminæ extra matrimonium est illicitus: ergo matrimonium est jus hujus usus. Præterea per matrimonium nihil aliud videtur fieri, quamquòd vir, & mulier consequantur facultatem utendi invicem corporibus suis, ad usus generationis: & sic facultas hæc nihil aliud videtur esse, quàm jus licitè utendi: ergo.

Argument. pro parte affirmativa.

In contrarium est, quòd matrimonium exigit inseparabilitatem, ut ex themate hujus disputationis patet, & Apostol. (1) *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: & si discesserit, manere innuptam, & vir uxorem non dimittat.*

(1)
1. Ad Cor. 7.

Ad hujus dubii explicationem præmitto fundamentum ex Aristot. 2. Phys. quòd res naturales, necessitates suas ex fine habent: matrimonium autem ab Aristotele in lib. Politic. inter naturalia computatur. Dicit enim quòd homo plus est animal conjugale, quàm politicum: & tamen idem dicit hominem esse natura animal civile: habet ergo matrimonium suos fines, propter quos est institutum. Deus autem, qui author, & institutor est matrimonii, illud non frustra, sed propter finem condidit.

2. Est * autem duplex finis matrimonii secundum Aristotelem, Primus & potissimus, procreatio, & edu-

catio prolis, & in esse naturali, & in esse rationali, hoc est ad vitam, & virtutem civilem: quia dans formam, dat consequentia ad formam, ut dicitur in lib. *de Generat.* id est, ea, quæ rei naturali conveniunt in quantum talis est, ut ignis dat non solum formam ignis, sed & calorem, & alias proprietates ignis: sic etiam ad patres spectat, non solum dare substantiam, sed & quæ hominis sunt, ut homo est, scilicet vitam secundum rationem, sive politicam. Est enim homo natura animal civile, sicut & ignis natura calidus, & ideo ad parentes spectat non solum conferre necessaria ad vitam naturalem, sed etiam ad vitam civilem. Alter finis est, mutua obsequia, & officia inter virum, & foeminam. Sicut enim homo est animal infirmum, & alterius opis egens, ita est animal civile: & ideo quia non omnia munia ad vitam hominum degendam sunt competentia, aut omnino viris, aut omnino foeminis, sed quædam spectant ad viros, ut arare, ædificare, & similia, quædam autem ad foeminas, ut nere, & cætera, junguntur mares, & foeminæ.

Jeci fundamentum ad omnia penè, quæ in mea relectione disputaturus sum. Nam secundum Aristotelem lib. *de Anima*, dubia omnia contingentia de re aliqua, ex diffinitione illius solvenda sunt. Ea autem, quæ sunt propter finem, optimè diffiniuntur per finem, quare & dubia incidentia de matrimonio ex fine matrimonii explicanda sunt.

Sic ergo dico, quòd * ad matrimonii essentiam non satis est jus conveniendi. Probat: Nam si vagus concubitus esset licitus, non satis esset ad rationem matrimonii. Patet: Quia illo posito, frustraretur talis conjunctio utroque fine matrimonii. Probat: Si enim etiam vagus concubitus esset licitus, scilicet liber congressus viri cujuslibet cum qualibet foemina, matrimonii finis haberi nullo modo posset. Nam certè præterquamquòd ex tali concubitu rara solet proles contingere, non posset proles commodè, aut procreari, aut educari, incerto scilicet patre, non solum quoad civilem, sed & quantum ad naturalem vitam, cum foemi-

Resp. ad rationes pro parte affirmativa alatas.

na sit infirmior, & improvidentior sine viro, quam ut totam filiorum curam sustinere possit: & certus pater esse non potest, si concubitus est promiscuus; & dato etiam, quod una esset unius viri, tamen sine mutua obligatione impediretur adhuc uterque finis matrimonii. Nam neque procreatio prolis esset certa ex libera conjunctione, neque educatio à parentibus, qui invicem convivere non tenentur, & instructio moralis esse vix posset, cum oporteret filium apud matrem educari propter naturales necessitates, & rursus à patre doceri, qui tunc cum matre non habitaret. Præterea mutua obsequia, & beneficia constare non possent, cum omnis beneficentia ex amore proficiscatur, qui esse non posset viri in foeminam: quæ alios viros pateretur, nec foeminæ in virum, qui cum aliis rem haberet. Atque ideò dico, quòd præter illud jus requiritur obligatio mutua certi viri ad certam foeminam, & perpetua ad procreationem liberorum. Probat: Sine tali obligatione non constabit finis matrimonii: ea autem posita, constabit: ergo illa exigitur. Confirmatur ex Apost. (1) *Quæ sub viro est mulier vivente viro, alligata est legi.* Et (2) *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: ergo requiritur obligatio.*

(1)
Ad Rom. 7.
(2)
1. Corinth. 7.

4 Secundò dubitatur, & oritur dubium ex solutione primi dubii: An * de ratione matrimonii sit consensus inter virum, & foeminam.

Et videtur quod sic: Quia de ratione matrimonii est obligatio, quæ non potest provenire, nisi ex pacto, & consensu inter virum, & foeminam: ergo exigitur consensus inter foeminam, & virum. Et confirmatur: Nam ex sententia omnium Jurisconsultorum, & Theologorum, matrimonium non transigitur, aut conficitur nisi consensu contrahentium, ut etiam Magister ex Pandectis, & decretis allegat: ergo.

Arg. pro parte affirm.

In contrarium est, quòd omne jus, quod alicui competere potest ex pacto, potest convenire decreto legis superioris: in omnibus enim aliis negotiis, idem effectus, & obligatio, quæ nascitur ex contractu, & pac.

paçto, potest aliunde oriri, ut servitus, quæ ex pacto oriri potest, eadem jure belli, & aliis causis constituitur. Item translatio rerum, quæ pacto conficitur, eadem aut jure præscriptionis, aut alio titulo fieri potest. Non ergo videtur negandum quin etiam obligatio maritalis, quæ contrahentium consensu, & pactio-
ne firmari solet, aliunde etiam posset proficisci.

Resp. ad du-
bium.

Pro solutione hujus dubii dico, quòd de ratione matrimonii, absolutè loquendo, non est contractus, nec consensus inter virum, & foeminam. Probatum primò ex illo principio apud Theologos receptissimo: Quicquid Deus potest facere cum causa secunda, potest se solo facere. Si ergo pacto, & consensu viri, & foeminae constituitur matrimonium: ergo Deus se solo posset facere illam obligationem, non ex consensu, aut pacto aliquo viri, & foeminae. Sed mutuo utrunque obligando ad conjunctionem maritalem, eodem modo, sicut pacto, & conjunctione conjuncti erant. Confirmatur: Quia Deus habet majus dominium super virum, & foeminam, quàm ipsi in seiplos: si ergo ipsi habent tradendi sui corporis potestatem: ergo etiam Deus, & tale matrimonium esset ejusdem rationis cum matrimonio ex pactis, & consensu constituto: quia esset obligatio ejusdem rationis, & ad eosdem fines: atque hoc negare, perinde esset ac si quis contenderet murem à sole generatum, non esse verum murem ejusdem rationis cum mure genito à patre: quod olim à legitima Philosophia explosum est.

Confirmatur: Dominus præcepit: Osee 1. *Sume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationis.* Ex quo præcepto si fuisset de certa foemina, potuisset Osee illam etiam invitam in uxorem accipere, quia jam erat facta ipsius, quod graves Doctores, & egregii factum asserunt. Atque hoc pacto non est necesse recurrere ad divinam dispensationem in præcepto de fornicatione: quia Deus fecit, eam propriam Osee uxorem esse, quod etiam videtur ex serie dictæ prophetiæ, ubi illam uxorem vocavit, cur ergo non potuit etiam mutuo alterum in alterius tradere potestatem? Confirmatur ultimo:

mò : Inter primos parentes fuit verum matrimonium, de illis enim dictum est: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, &c.* Et præcepit illis Dominus: *Crescite, & multiplicamini.* Et Adam dixit: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi:* & tamen Scriptura non meminit pacti inter ipsos: ergo autoritate divina fuerant conjuncti, quòd Dominus in Evangelio dicere videtur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Nec potest dici, quòd factum est per illa verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quàm obrem relinquet homo, &c.* Nec unquam mihi placuit expositio illorum, qui ita dicunt. Nam primùm illa fuerunt verba solius Adæ, qui matrimonium solus facere non poterat. Deinde illa verba videntur esse post factum matrimonium. Habeo ergo pro certo, nec puto cuiquam dubitandum quin autoritate divina posset constitui matrimonium ejusdem rationis: sicut si consensu partium contraheretur, & forsan ita factum fuit. Palud. verò in 4. distin. 16. q. 1. art. 2. dicit, quòd fortasse illud matrimonium Deus fecit inter Adam, & Evam ipso dormiente, & quòd evigilans cognovit factum in se, & prophetavit faciendum in aliis: verius tamen, inquit, est, quòd non fuit à Deo immediatè, sed sibi fuit inspiratum, quòd consentiret, & ipso evigilante consenserunt mutuo, & sic secutum est vinculum. Sed ipse hoc dicit, nec tamen probat. Vide S. Thom. dist. 27. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2. & dist. 33. q. 1. art. 2. ad 5. & dist. 27. q. 1. art. 1. q. 3.

Itaque ex omnibus ultro, citròque jactatis, duo sunt, quæ pro compertis haberi possunt. Primum est, quòd
 5 * matrimonium quantum ad suam essentiam nihil aliud est, quàm vinculum, sive mutua, & individua, id est perpetua obligatio viri certi, ad certam foeminam, ad procreationem liberorum, sive ad usus generationis: ita ut per procreationem intelligamus, & filiorum, & familiæ institutionem. Secundum est, quòd hoc vinculum licet Deus quidem sine dubio, nullo consensu viri, & foeminæ interposito constituere possit, ex
 le-

lege tamen naturali, & divina non contrahitur, nisi conjugum ipsorum consensu.

Argum. contra prædicta.

Sed contra prædicta arguitur. Nam in contractu sponsalium est mutua obligatio ad usum matrimonialem: & tamen non est matrimonium: ergo non tota ratio matrimonii consistit in mutua obligatione, sed exigitur aliquis alius contractus, vel consensus.

Respondeo: Primum nego, quod in contractu sponsalium sit mutua obligatio, saltem immediata ad usum matrimonii. Non enim potest esse obligatio ad rem illicitam. Sola autem obligatione sponsalium stante, non est licitus usus matrimonii, imò esset fornicatio, cum exigatur ad id consensus de præsentis. Est enim in sponsaliis sola obligatio ad contrahendum matrimonium, in matrimonio autem est obligatio immediata ad usum matrimonii, & est actualis traditio corporis, unde nascitur talis obligatio: & ita intelligendum est, quod ratio matrimonii consistit in mutua traditione corporis, & obligatione ad usum corporis. Sed traditio intelligitur à quocumque fiat: nihil enim refert an fiat ab ipsis, qui traduntur, an à superiori. Secundò dico, quod per obligationem intelligo non solum jus, sed verum dominium. Non enim ita uxor debet viro corpus vel usum corporis, sicut qui pecuniam ex aliqua stipulatione debet, quæ quidem debitoris, non creditoris est, quamvis debita sit: sed corpus uxoris non est uxoris, sed viri, & contra: ut Paul. dicere videtur. Unde etiam matrimonium non solum est mutua obligatio, sed translatio corporis ad usum generationis.

Quæst. quædam disput.

Verum ex hoc loco oritur latus disputationis campus. Si enim ita est, ut de ratione matrimonii non sit aut contractus aliquis, aut consensus conjugum, sed factis est mutua obligatio ad usum matrimoniales cum actuali traditione corporum, & hoc ipsum Deus universorum dominus non solum potest facere, non expectata cujusvis auctoritate, sed etiam aliquando fecit an potestatem istam reliquerit Reipublicæ vel Ecclesiæ, itaque Ecclesia, vel Imperator posset constituere matrimonium sine consensu, ut scilicet possit ex causa

fœ-

foeminam viro in uxorem dare, aut utroque, aut certe altero invito.

Et videtur quòd sic, quia in omnibus aliis negotiis omne jus, quod convenit alicui ex pacto vel consensu, potest convenire ex ordinatione legis. Tam enim in Republica seculari, quàm in Ecclesiastica invenitur potestas transferendi ex legitimis causis dominium rei ab uno ad alterum dominum, priori domino invito. Cur hanc potestatem in hac una re coarctamus, & contrahimus, ut non possit Ecclesia ex quacumque causa dare viro jus, & potestatem in corpus foeminæ, aut è contrariò? Potest siquidem Princeps domum, agrum, equum pecuniam unius legitimi domini, ob criminis, aut stipulationis, aut alicujus conditionis causam transferre in novum dominum, priore etiam reclamante: cur Ecclesia hoc non poterit ex probabili, & justa causa facere de corpore subditorum? Possit ergo Ecclesia constituere, ut post sponsalia, & copulam, esset matrimonium utroque contrahentium invito. Confirmatur: Si hoc non possit Ecclesia, esset propter vinculum inter conjuges: sed majus vinculum est redigere aliquem in servitutem: & tamen hanc potestatem habet, & ei non negamus, imò, & parentes liberos in servitutem dare, jus fasque aliquando fuit: cur ergo hanc potestatem in matrimonio, scilicet hominis tradendi tam obstinatè negamus?

Argum. pro parte affirmativa.

Præterea Aristoteles in Politicis dicit, quòd homo plus est Reipublicæ quàm sui ipsius: ergo Respublica habet majus dominium super ipsum, quàm ipsemet. Sed ipse potest se obligare: ergo si indiget Respublica persona istius ad istos usus scilicet matrimonii, videtur quòd possit uti illo etiam invito, sicut possit illum etiam exponere morti propter salutem totius communitatis.

Argum. 2.

Quòd si maximè obviam eatur huic disputationi per hoc, quod non idem jus sit superioribus in res hominum aut in corpora aut in personas eorum, non tamen satis videtur res expediri. Nescio enim unde exploratum habeatur, non residere hanc potestatem in su-

Argum. 3.

terioribus, cum tamen eis vitæ, & mortis potestatem non negemus: quod majus videtur, quàm potestas collocandi uxorem viro.

Argum. 4.

Præterea, Ecclesia videtur hoc jam fecisse, quia habetur in cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis, quod si quis contrahat cum conditione impossibili, vel turpi, habetur pro matrimonio, dummodo illa conditio non sit contra substantiam matrimonii; ut, contraho tecum si me feceris Deum, vel, si Petrum occidas, tunc est verum matrimonium, & tamen est sine consensu: ergo, &c. Nec sufficit dicere, quod illud matrimonium est præsumptum, quia nulla videtur præsumptio contra eum, qui apposuit turpem vel impossibilem conditionem.

Argum. 5.

Item, & certè fortiùs, Ecclesia potest facere aliquem monachum professum etiam invitum: & tamen hoc est majus vinculum, cum dirimat matrimonium: ergo etiam poterit Ecclesia facere ex non marito maritum. Major probatur ex 1. cap. *de Regularibus*, lib. 6. ubi decernitur, quod si quis perseveraverit in monasterio scienter, & voluntariè, ultra annum, habeatur pro professo etiam sine consensu: & est verus monachus, etiam si nollit: nec est professio præsumpta, sed vera, & est obligatus in foro interiori. Et certè oportet ostendere hanc exceptionem, unde scilicet habeatur, quod omnia alia quæ fieri possunt per contractum voluntarium, possunt fieri autoritate superioris, & hoc solùm non potest.

Argum. 6.

Item si hoc negatur Ecclesiæ, esset propter nimiam libertatem, quam Deus voluit esse in matrimoniis contrahendis. Sed contra: Ecclesia cogit per excommunicationes, & alias pœnas eos qui contraxerunt sponsalia ad contrahendum matrimonium, quod adimit libertatem: imò posset Princeps statuere pœnam mortis si quis non duceret sponsam: ergo postquam hoc modo potest adimere libertatem, quare negatur de matrimonio?

Argum. 7.

Item si Christus potuit (ut certum est) hanc potestatem dare Ecclesiæ, videtur quòd saltem in casu de-

derit, puta si tota Ecclesia periclitaretur, nisi filius Regis duceret filiam Regis Turcarum, alias Christianam, & volentem, & ille primus filius Regis nullo modo vellit, quare Papa non poterit eum cogere? cogere inquam, hoc est, obligare tantum, ac si omnino duxisset illam.

Item in illo casu vel simili potest Ecclesia præcipere ut ducat, & excommunicare nisi ducat. Hoc autem omnino tollit libertatem, cum nullo modo possit evadere damnationem nisi ducat: ergo non obstat libertas, quin possit Ecclesia constituere verum matrimonium.

Argum. 8.

Item quæ à Deo sunt, ordinata sunt: (1) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Sed hoc expediret multum Reipublicæ, ut talis potestas esset in superioribus, cum aliquando esset remedium ad constituendam pacem, & ad tollendum bella perniciofa.

Argum. 9.

(1)

*Ad Rom. 13.
& Genes. 1.*

Et confirmatur: Casu quo essent decem homines, & sceminae, ut tempore Noe, quare non posset cogi vir ad accipiendum uxorem?

Nonne poterat cogere Noe filios suos, & filias? certe non videretur intolerabilis error, si quis vellet defendere quod post sponsalia posset Ecclesia matrimonium constituere, & obligare aliquem, sequuta copula, altero etiam invito.

Sed quia Theologis non licet in suis disputationibus, sicut Jurisconsultis aliquid insolens, novum, & inauditum contra majorum auctoritatem asserere: ideò fecutus communem opinionem teneo, quòd * matrimonium nulla auctoritate humana potest constitui, nisi consensu contrahentium. Probat, ex tali conjunctione frustraretur utroque sine matrimonium: ergo Ecclesia non potest. Assumptum probatur. Primus enim finis matrimonii, scilicet procreatio proles, & educatio certe esse non posset inter invitos, & se non invicem amantes, cum commercium matrimoniale sit magnum signum amoris. Et propter hoc, Paul. (2) commendat viris ut diligant uxores suas, & Dominus in Genesi: *Propter hanc, &c.* Quia scilicet non possunt matrimonialia

*Resp. ad hanc
quest.*

(2)

*Ad Ephes. 5.
& Colos. 3.*

officia impendi sine mutuo amore, & animorum concordia, quæ inter eos, qui inviti juncti essent, malè coalescere posset, conjugibus malè inter se convenientibus, & de liberis diversa sentientibus.

Secundus etiam finis multo minus consequi posset. Nam officia, & mutua obsequia nisi ex amore proficisci non possunt, qui contingere aut vix, aut nunquam posset, si matrimonia inter invitos constituerentur. Confirmatur: Quia potestas humana omne vinculum quod potest constituere, potest dirimere. Sed Ecclesia non potest dirimere vinculum matrimonii: ergo nec constituere. Major patet: Quia in omnibus aliis translationibus rerum sicut potest Princeps rem transferre invito domino, ita etiam post translationem potest invito secundo, priori domino restituere, non obstante quacumque possessione, & usu rei: ita quod eandem potestatem habet ad rescindendum contractum, sicut ad constituendum: sed non potest Papa rescindere contractum matrimonii, saltem partibus invitis, vel post matrimonii usum, juxta illud: *Quod Deus conjunxit, &c.* ergo. Et certè nulla ratio est, ut ex aliqua causa Ecclesia posset matrimonium constituere invitis partibus, rescindere autem etiam ipsis poscentibus nullo casu possit. Tertiò: Si eodem tempore Petrus per verba de præsentis contraheret cum Maria, & Papa traderet in matrimonium Mariam Joanni: tunc vel nullum esset matrimonium: vel illa esset uxor duorum. Patet: Ibi sunt duæ causæ sufficientes ad constituendum matrimonium: ergo vel utraque habet effectum: & sic illa erit uxor duorum: vel se mutuò impediunt, & tunc nullum esset matrimonium: & nunquam sciri posset, an aliquod esset verum matrimonium, vel non, quia dubitari posset an Papa vellit eam tradere alteri.

Et si dicas, quòd in eo casu autoritas superioris major est, & per consequens illa esset uxor Joannis: contra, & est quartum argumentum: Si hoc Papa potest: ergo & quilibet Episcopus in sua Diocesi. Nescio enim quid Papa posset in tota Ecclesia, quod non possit Episcopus in suo Episcopatu, nisi fortè in illis quæ de se spec-

tant

tant ad universalem Ecclesiam, ut determinatio fidei: omnia enim alia quæ Papa potest, videntur Episcopi etiam posse in sua diœcesi, nisi quod in aliquibus potestas eorum contracta est jure, ut in dispensationibus votorum, & impedimentorum matrimonii. Quinto: Ecclesia nunquam usa est hac potestate, nec in lege naturæ, nec in lege scripta, nec in lege Evangelica, cum tamen non sit dubitandum quin aliquando expediret uti hac potestate: ergo signum est non esse talem potestatem in Ecclesia. Sexto: Ecclesia cogit aliquem ad contrahendum matrimonium, ut post sponsalia; nolentes autem non jungit tanquam conjuges: & tamen in omnibus aliis si quis nollet reddere debitum, cogitur ad reddendum debitum decretis & pœnis: ergo si Ecclesia posset dare maritum puellæ, ipsa invita, deberet post sponsalia, etiam si nollet tradere eam in manus viri: quod tamen numquam tentavit facere.

Ad argumenta in contrarium patet, quid dicendum sit. Dicimus enim quod in omnibus aliis translationibus, & vinculis non impeditur finis propter quem inventæ & institutæ sunt. In proposito autem (ut ostensum est) omnino tolleretur finis matrimonii. Secundo dicimus, quod in aliis translationibus si forte post factum sequatur majus inconveniens, potest remedium adhiberi. Possunt enim revocari in priorem, aut meliorem statum, matrimonium autem semel ritè perfectum dirimi, aut revocari non potest: & ideò non est tantum periculum, si fiant sine consensu eorum, ad quos spectant: & ideò etiam timor impedit matrimonium, & non alia. Tertio etiam videtur potissima ratio, quia in omnibus aliis negotiis idem effectus sequitur, si aliqua translatio fiat autoritate superioris, vel hominum voluntate, & pacto. In eisdem enim usus est dominus rei, qui eam sibi vendicat autoritate legis, aut præscriptione, aut quovis alio legitimo titulo, ac si habuisset emptione, aut donatione domini, & idem est de pecunia, & omnibus aliis: matrimonium autem in eos usus Deus, & natura constituerunt, qui nisi à voluntariis exigi nullo modo possunt. Nunquam enim

*Ad argum.
resp.*

enim quisquam invitus operam liberis dare poterit procreandis, aut procreatos educare, & instituere.

Quare omnino si maximè Princeps, aut Ecclesia posset viro uxorem, aut è contrariò mulieri maritum dare, omnino ea donatio inefficax esset, etiam in illos effectus, aut usus: quare prorsus vana esset hujusmodi potestas. Secus autem est de Deo, qui non solum corpora, sed animas, & corda habet in potestate, & suo nutu mortales in quæcumque officia voluerit, volentes, aut nolentes trahere potest: & non minorem potestatem habet ad jungendum invicem corpora vinculis conjugalibus, quàm animas mutua benevolentia, & amore. Quartò dicimus, quòd in tali necessitate, qua teneretur quis uxorem ducere, respublica posset quidem hujusmodi compellere; sed si omnino nollet, non posset invito uxorem dare: unde non excusantur filia Lot ideò quòd etiam credentes fortasse nullos alios superesse in genere humano, ingressæ sunt ad patrem, non solum quia incestæ, sed quia ad non suum virum accesserunt.

De secundo puncto primæ partis.

SED restat inquirere: Qualis* sit iste consensus ma- 8
trimonii. Nec tamen est in animo omnia, quæ de consensu matrimoniali à Doctoribus disputantur, tractare; (esset enim infinitum) sed solum unicum locum delegi, de quo Jurisconsulti, & Theologi ambigunt, & contendunt, & adhuc sub iudice lis est: An scilicet contractus per verba de præsentì, & cum consensu interposita conditione de futuro, adveniente illa conditione, matrimonium teneat, non revocato priori consensu, ut, Accipio te in uxorem, si pater tuus consenserit, vel si pater tuus obierit. Et pono etiam, quòd contractus fiat cum intentione contrahendi matrimonium posita conditione. Et quidem illustres, & celeberrimi Doctores Pontificii Juris defendunt assertoriam partem, prorsus affirmantes firmari eo casu
ma-

Quest. difficilior.

matrimonium adveniente conditione, nec opus esse novo consensu, aut contractu. Panorm. cap. *De illis*, de Condit. apposit. Hostiens. in Summa, quod etiam sentiunt Theologi non ignobiles, inter quos videtur esse Petrus Palud. author alioqui quantivis pretii, in 4. dist. 29. q. 2. conclus. 8.

Pro sententia affirmativa.

Et contendunt argumentis hoc confirmare. Primum in omnibus aliis contractibus conditionatis, adveniente conditione, manet contractus absolutus, nullo novo consensu requisito, ut si contrahatur sic: Do tibi centum libras ferri, si navis mea salva venerit: Do domum, si nuptui dederis filiam: Vendo agrum, si pater obierit: conditione posita, tenet contractus: ergo etiam in matrimonio.

Arg. 1.

Secundò, si hoc negetur matrimonio, quod conceditur aliis pactis, hoc esse non potest, nisi ratione libertatis singularis, quæ in matrimoniis præ aliis exigitur; sed hoc ipsum est contra libertatem, scilicet non posse contrahere cum quis voluerit, & pro tempore quo voluerit, & sicut voluerit: ergo si quis nunc vult contrahere pro crastino die, & non pro hodierno, omnino videtur contra libertatem, quòd impediatur.

Arg. 2.

Præterea ille contractus non est sponsalium: ergo est matrimonialis. Consequentia est nota. Antecedens probatur: Quia si esset sponsalium, vel pro tempore quo fit, vel pro tempore conditionis. Non primum, quia quod impedit matrimonium, impedit sponsalia, scilicet defectus conditionis: nec secundum, quia contractus sub conditione, quando ponitur conditio, manet purus, id est, ac si esset sine conditione, ut sic: Contraho tecum, si habes facultatem patris tui: si conditio adest, tantum valet: sicut, Contraho tecum absolutè sine conditione: ergo pro tempore, quo ponitur conditio, jam contractus ille manet absolutus, & per consequens est matrimonium. Confirmatur, quòd non sint sponsalia pro nunc: quia ex illo contractu non nascitur publicæ honestatis justitia, ut habetur cap. unico, *de Sponsalib.* lib. 6. ubi dicit quòd in sponsalibus conditionatis, non contrahitur publicæ honestatis justitia,

Arg. 3.

tia,

tia, nisi purificatus fuerit contractus per conditionis eventum, & tamen ex sponsalibus nascitur publicæ honestatis iustitia.

Arg. 4.

Item contractus nihil efficit nisi ex intentione contrahentium, sed isti intendunt efficere matrimonium, & non sponsalia: ergo si non efficiunt matrimonium, nihil efficiunt: cujus contrarium patet, quia obligatur talis illo contractu, posita conditione, ut dicitur in cap. supra citat. & cap. *Super eo*, de Condit. opposit.

Arg. 5.

Præterea: Si talis contractus fieret tempore, quo ponitur conditio, esset verum matrimonium. Sed idem videtur operari ille contractus præteritus, si interim non est revocatus, sicut si nunc esset: ergo videtur quòd faciat matrimonium.

Arg. 6.

Sextò arguitur in cap. *De illis*, de Condit. apposit. dicitur quòd si quis his verbis juraverit fœminam se ducturum uxorem, si dederit pecuniam: si non dederit, non est reus perjurii, nisi consensus de præsentì intervenierit: aut copula carnalis fuerit subsequuta: ergo à contrario sensu, si sit consensus, erit reus perjurii. Sed in proposito, ut supponimus, est consensus de præsentì: ergo erit matrimonium.

Arg. 7.

Item, si contraho tecum pro crastina die, adveniente crastina die, videtur quòd sit matrimonium, non pro nunc, sed pro crastina die. Probatur: Sicut si dicat: Si crastina dies fuerit, vel si sol oriatur cras, duco te in uxorem, est matrimonium: ergo etiam cum alia conditione, si adveniat conditio, quæ suspendit contractum: videtur contractus purus, & per consequens matrimonium. Idem enim videtur pro crastina die, & pro tempore, quo dederis mihi centum aureos.

Arg. 8.

Præterea: Si quis contraheret his verbis: Contraho tecum, si consentias, & contrahas mecum; ipsa respondente: Contraho; est verum matrimonium, & tamen illa conditio est etiam de futuro: ergo à simili si dicat: Contraho tecum, si intra annum consenseris, posita conditione, erit verum matrimonium. Assumptum probatur. Nam in contractu matrimonii ita videtur contingere, quòd alter prius dicat: Contraho

tecum, & adveniente consensu alterius, perficitur matrimonium: unde semper videtur quò efficacia consensus dependeat à futuro.

In contrarium est communis sententia Theologorum, ex quorum autoritate, & doctrina pono canonem universalem: Si * ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oritur matrimonium, quicquid postea supervenerit, sive sit ætas, sive copula carnalis, sive dispensatio super impedimentum, sive conditio appolita contractui, numquam erit matrimonium, nisi de integro omnia ponantur, quæ necessaria sunt, & de essentia matrimonii.

*Resp. ad
questionem.*

Unde dico, quòd ad legitimum matrimonium, & verum, sicut sufficit, ita exigitur mutuus consensus expressus, & purus in præsentem, hoc est, pro tempore pro quo contrahunt, & pro tempore pro quo matrimonium conficitur: & sic in dubio oblato solùm sunt sponsalia, etiam adveniente conditione. Probatum primo: Matrimonium est Sacramentum novæ legis, quod non videtur dependere de futuro, & rati habitatio non efficit Sacramentum: ergo. Præterea (ut habetur in cap. *Super eo*, de Condit. appolit.) Tali superveniente conditione non est matrimonium, quia tunc si matrimonium jam esset ratum, & integrum, non esset cogendus ad contrahendum, sed ad cohabitandum, vel consummandum matrimonium; sed cogitur contrahere; ergo talis contractus non habetur pro matrimonio. Præterea: Matrimonium conficitur ex consensu; sed ille consensus non fuit sufficiens: ergo nec est sufficiens posita conditione. Probatum minor: Si talis ante adventum conditionis revocet consensum, jam non est matrimonium, ut etiam authores contrariæ sententiæ tenent: ergo nec nunc etiam, si non dissentiant. Probatum ista consequentia: Quia dissensus non tollit, nec irritat virtutem contractus: ergo si contractus habeat vim conficiendi matrimonium, non obstante dissensu, efficit matrimonium. Quòd verò dissensus non irritet illum contractum, patet.

Quia non obstante quocumque dissensu, compelle-

tur ad contrahendum, ut patet ex illo cap. *Super eo*, aliàs contractus conditionalis esset nullius roboris, si per solam voluntatem alterius contrahentium rescinderetur.

Præterea: Si tentaret contrahere cum alia ante advenum conditionis, teneret matrimonium: ergo etiam adveniente conditione, non tenet matrimonium cum prima. Probatur consequentia: Quia sine dubio si quis habet potestatem contrahendi cum alia, habet potestatem non contrahendi cum ista.

*ad sp. ad Arg.
Res. 1. & 2.*

Ad argumenta autem in contrarium dico ad primum, quòd certè ex natura contractus non habetur, quòd adveniente conditione, sit translatio rei, cum primus contractus solùm videatur promissivus, sed hoc disponitur legibus, quòd qui promissit, velit nolit stet promissis, quòd (ut supra dictum est) in matrimonio leges disponere non possunt. Vel potest dici absolute, quòd in aliis negotiis tenet contractus adveniente conditione, non autem in matrimonio propter summam illam libertatem, quam Deus voluit esse in matrimonio, ut scilicet quicumque nondum habet uxorem, sit in ejus libertate, & potestate, vel accipere, vel non accipere, quare cum etiam secundum adversarios talis ante advenum conditionis non haberet uxorem, in ejus potestate est ducere, aut non ducere: & per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dico, quòd tale pactum est sponsalium pro nunc, & pro tempore etiam conditionis.

Ad quartum dico, quòd quantumcumque habeat intensionem non sponsaliorum, sed matrimonii, tamen in favorem matrimonii hoc valet, & intelligitur illa clausula, Si non valet ut ago, valeat ut valere potest.

Ad septimum, aliis omisis, dico, quòd si quis contrahat in tempus incertum, non est matrimonium, sed sponsalia, nisi fortè sit in tempus necessarium, ut in crastinum.

Dub. incidens.

Sed quid si superveniente conditione perseverat consensus contrahentium, an sit matrimonium?

Arg. 1. pro parte affirm.

Et videtur quod sic, quia si à principio fuisset posita

ta conditio, fuisset matrimonium: ergo si nunc consensus utriusque adest cum conditione, videtur quòd idem operetur. Et confirmatur: Quia (ut dictum est) consensus de præsentì sufficit ad substantiam matrimonii: ergo si nunc adest consensus, erit matrimonium verum.

2. Arg.

Sed his non obstantibus, dico, quòd etiam si consensus, qui ab initio fuit in utroque, perseveret, non est matrimonium. Et probatur: Ab initio non fuit matrimonium: ergo oportet quod de integro ponantur omnia sufficientia: sed ille consensus, qui fuit à principio, non fuit sufficiens ad matrimonium, cum non esset purus, sed verè conditionatus: ergo nec nunc sufficit. Item consensus non sufficit nisi exprimat: sed consensus ille non exprimitur per adventum conditionis: ergo non efficit matrimonium. Item ille consensus (ut habetur in illo cap. *Super eo*) habetur non pro consensu de præsentì, sed de futuro: ergo non sufficit ad matrimonium. Præterea: Per id quod non est in potestate alicujus, non videtur posse confici matrimonium, sed conditio illa non est in potestate contrahentis: ergo non potest facere matrimonium.

Resp. ad dubium hoc.

Respondetur modo ad argumenta in contrarium. Ad primum nego consequentiam. Ad secundum dico, quòd si nunc sit consensus, & nunc ponitur conditio, revera esse matrimonium, saltem si exprimat consensus, sed si solum manet consensus, quia approbo quidem primum pactum, & placet mihi, sed nihil de novo volo facere, non est matrimonium. Ex dictis patet quid dicendum ad casus contingentes, cum quis minor ætate contraxit per verba de præsentì, & cum consensu etiam de præsentì, & cum intentione contrahendi etiam matrimonium: an cum pervenerit ad ætatem legitimam, & prius non revocaverit consensum, imò placet ei semper primus contractus, an teneat matrimonium. Item si quis contraxerit cum consanguinea, eà conditione, si Papa dispensaverit, & dispensat, etiamsi habeat acceptam & gratam dispensationem.

Ad arg. resp.
1. & 2.

nem. Ad omnia hæc & similia respondetur, nullum tale esse matrimonium.

Dubium alterum incidens.

Sed restat scrupulus non contemnendus: Quid * si ¹⁰ deceptus quis contrahat, an teneat matrimonium, an si eo casu, vel simili credens iudicio, & sententiæ Jurisconsultorum, credere se verè contraxisse, & hoc errore seductus affectu maritali contraheret, & conveniret cum hujusmodi muliere sibi desponsata, quàm aliàs non esset ducturus: an matrimonium esset validum. Disputari certè in utramque partem probabiliter posset.

Arg. pro parte affirmativa.

Nam primò videtur matrimonium tenere, non enim jura, vel Doctores alium errorem tradunt impedire matrimonium, quàm errorem personæ: sed in casu posito non intervenit error personæ, sed juris: ergo sibi imputetur si crediderit in hoc viris minus sapientibus: quemadmodum si crediderit esse virginem, quæ passa est virum, vel ditem, quæ pauper erat.

Arg. pro parte negativa.

Et contrario tamen adduci potest, nam hic non videtur velle aliquid de integro, hoc est, quidquam agere novi, sed ratum habere, quod putat jam actum esse. Si ergo revera matrimonium ante nullum fuerat, nec nunc quidem erit sanè: quod tamen in alio loco prolixius dicendum reservo.

Resp. ad dubium.

Sed in præsentia mihi potius placet, ut dicamus tale matrimonium nullum esse, non solum propter argumentum jam factum, quòd tamen non infirmum est: sed quia in universum error circa ea quæ sunt de essentia contractus vitiat contractum: talis autem videtur in casu contingisse, cum iste credat se jam non esse sui juris, sed actam rem agere, & verè esse matrimonium, atque ideo merito rescinditur contractus tanquam ex errore procedens. Facit ad hoc quod Doctores notant in cap. 1. pe. regul. lib. 6. quòd si aliquis ante annos pubertatis facit votum Religionis, non obligatur, etiam si major factus, ratificaverit ex errore: quia scilicet credebat votum tenere. Puto ergo omnino, quòd non est matrimonium, quia ille habet errorem

rem circa essentialia, & fundamenta matrimonii, scilicet circa consensum, qui de substantia est matrimonii, & nihil est tam contrarium consensui, quàm error, l. Si per errorem, ff. De jurisdictione omnium judicum.



SECUNDÆ PARTIS RELECTIONIS

DE MATRIMONIO.

S U M M A.

1. An sicut Ecclesia aliquas personas sua auctoritate reddat illegitimas ad contrahendum, sic Princeps secularis.
2. Auctoris sententia de dubio, an Princeps secularis possit ponere impedimentum matrimonio.
3. An gradus omnes, qui Levit. 18. & 20. prohibentur, sint jure naturali prohibiti.
4. Ex hoc quod persone aliqua jure divino prohibeantur contrahere, non sufficienter probatur, si contrabant, matrimonium esse nullum, & irritum.
5. Ex hoc etiam quod persone aliqua in Levit. prohibentur contrahere, non ducitur firimum argumentum ad probandum, eas tempore legis Evangelica jure divino prohiberi.
6. Quae persone sint prohibita à matrimonio jure divino, quòd terminari non possit nisi ratione naturali, hoc est ex morali philosophia, & propositionibus cognitis ex lumine naturali.
7. Gradus in Levitico prohibiti, quod non omnes jure naturali sint prohibiti, ostenditur.
8. Ducere uxorem fratris defuncti, quòd non sit prohibitum lege natura.
9. Ducere relictam fratris sine liberis defuncti, ut in causa Regum Anglorum contingit, quod nunquam fuerit prohibitum jure divino legis veteris.

10. *Frater, quòd secluso jure humano, sive quacumque
Papa dispensatione possit accipere uxorem fratris, si-
ve cum liberis, sive sine liberis defuncti.*

Quest.

IN Secunda parte tractandum est de impedimentis ma-
trimonii, & primum dubium est: An * sicut Eccle-
sia aliquas personas sua autoritate reddit illegitimas
ad contrahendum, etiam Princeps possit hoc facere. 1]
Utrum scilicet Princeps secularis possit ponere impe-
dimentum matrimonio, hoc est, an personæ legitimæ
ad matrimonium possint lege civili illegitimæ reddi,
ita ut si contrahant, factum non teneat.

*Pro parte af-
firmativa.*

Arg. 1.

Et videtur quòd sic, sicut enim suprà dictum est: si-
cut in naturalibus, ita in moralibus, & in civilibus,
ratio rei sumenda est ex fine. Potestas autem regia vel
civilis constituta est propter bonum Reipublicæ quicum-
que ille sit, sive pacificus convictus, sive etiam simpliciter
omne bonum quatenus humanum est: ergo quidquid
vel necessarium est, vel conducit ad talem finem, omni-
no videtur cadere sub potestate regia, sive civili. Sed
bona pars communis, sive civilis boni constat ex ma-
trimoniis: ergo potest princeps leges condere, ubi matri-
monia quoquomodo obstantia, quoquomodo Republica,
vitet & irritet. Item videtur, quòd finis matrimonii or-
dinetur ad finem legislatoris, scilicet in bonum commu-
ne: ergo, &c.

Arg. 2.

Secundò arguitur: Omnes rationes, quæ à Doctori-
bus ponuntur, ut Ecclesia aliquos gradus consanguini-
tatis vel affinitatis arceat à matrimonio, procedunt in
lumine naturali, & intra prudentiam politicam: ergo cum
prudenter politica sit regula Principum & gubernato-
rum rerumpublicarum (ut Aristot. ponit in Ethicis) se-
quitur quod hoc spectabit ad humanam, & civilem po-
testatem. Antecedens patet: Nam altera ratio solet af-
signari periculi cognatorum in eadem domo habitan-
tium ne scilicet si licentia matrimonii permetteretur in-
ter se conjugio jungendi, daretur occasio incestus, & stu-
pri. Altera est, ut amiciciæ propagentur, neque ne-
cessitudines intra unos eosdemque lares, & parietes
coer-

coerceantur, sed utraque res spectat certè ad civiles leges, quæ prohibere habent stupra, sicut & adulteria, & etiam in Republica, amicitias inter cives conflare, & propagare: ergo tota res non videtur excedere civilem potestatem.

Tertiò: Matrimonium vel est contractus civilis, vel fundatur in contractu civili: sed Princeps habet potestatem super omnes tales contractus: ergo potest leges facere de matrimoniis contrahendis. Et confirmatur: Quia multæ leges latæ sunt, ubi aliqua matrimonia prohibentur, ut patet, ff. *De ritu nuptiarum*, l. *Sororis*, §. *Si quis*, & l. *Semper*, §. *Si senatorium*, & l. *Palàm*, §. *Senatus*, & l. *Quin etiam*, & l. *Non est*, & l. *Finali*, dicitur quod quoddam est crimen incestus contra jus gentium, quoddam solùm contra jus civile, & idem, l. *Si adulterium cum incestu*, §. 1. ff. *Ad l. Juliam, de adulteriis*. 3. Arg.

Nec valet dicere, quòd matrimonium est sacramentum, & ideo eximitur à quacumque potestate, non spiritali: primò, quia redibit difficultas de matrimonio antequam esset sacramentum propriè, sed solùm in officium. Secundò, quia non obstat, quòd sit sacramentum, quin privati homines leges, & conditiones apponant matrimonio, sine quibus non est sacramentum. Et rursus: Papa non habet potestatem super matrimonium, nisi solùm in quantum est contractus quidam: ergo per hoc quòd est sacramentum, non excluditur à potestate seculari, sicut si emptio esset sacramentum.

Nec rursus valet dici, quòd matrimonium est contractus in foro conscientia: & apud Deum, quòd Princeps non habet potestatem in foro conscientia, sed solùm in foro contentioso. Primò: quia etiam alii contractus civiles sunt contractus in foro conscientia, ut emptio, donatio, & alii similes contractus. Et iterum falsum omnino, & erroneum est dicere, quòd Principes non habent potestatem in foro conscientia, cum potestas civilis sit etiam à Deo æquè ac spiritalis, dicente Paul. (1) *Omnis potestas à domino Deo est. Et Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit*. Ergo nec ex hac

(1)
Ad Rom. 13.

parte potestas civilis à matrimonio arcetur.

Nec iterum sufficit dicere, quod matrimonium est pactum naturale: hoc est, quod est de lege naturali, alia verò pacta sunt civilia, id est ex ordinatione legum civilium, & ideo non subicitur legibus civilibus, hoc, inquam, non sufficit: nam etiam alia pacta, ut donationes, promissiones, & reliquæ stipulationes tenent, & sunt vera pacta, exclusis legibus civilibus.

Nec demum diluit quæstionem dicere, quod ad leges civiles spectet solum præmiare bona, & punire delicta, ut adulterium, furtum, homicidium, non autem aliquid, quod natura sua bonum est, aut licitum prohibere. Exempli gratia: Consobrinam in uxorem ducere, non spectat ad legem civilem hoc prohibere, sed si natura hoc illicitum sit sororem ducere, spectaret ad legem hoc punire: non inquam hoc sufficienter satisfacit huic negotio: falsum enim est leges civiles non posse aliquid natura licitum vitare. Ut enim Arist. (1) docet, leges feruntur de his, quæ prius quam sanciantur, nihil interest, sic, an aliter fiant, postea verò refert, & sine dubio potest lex non solum mala punire, sed etiam aliquid constituere in genere vitii aut virtutis: potest si quidem lex prohibere sumptus alioqui licitos, ludos alias innoxios, & multa hujus generis, quæ in Republica esse possunt, alioqui potestas civilis esset deficiens, & Respublica non sibi sufficiens, si non posset leges condere suo statui convenientes, & de rebus nulla alia lege constitutis.

In contrarium est: Quia idem non videtur spectare ad diversos Principatus, & legislatores. Esset enim turbatio, & confusio rerum, si de eadem re diversa in solidum constituerentur in ordine ad eosdem subditos, quod tamen in proposito contingeret, si Princeps secularis, & Pontifex potestatem haberent de matrimonio constituendo: posset enim aliquid contrarium ab uno constitui legibus alterius, atque adeò populus incertus teneri, cui maximè parendum esset. Item aliqui gradus prohibentur lege civili, qui tamen non prohibentur lege canonica, inter quos matrimonia recipiuntur

ab

(1)
Lib. 5. Eth.

Arg. pro parte
contraria.

ab Ecclesia: ergo. Item matrimonium est causa spiritalis: sed potestas civilis non agit causas spirituales: ergo, &c.

2 Ad hanc quæstionem respondeo * primùm, quòd non est dubium quin Princeps secularis ex genere, & natura suæ potestatis vim habeat, & jurisdictionem super matrimonium, etiam ad prohibendum connubia inter cognatos, aut affines, & posset leges ferre, & impedimenta ponere similia, sicut Ecclesia. Nec video cur Moyses legislator easdem leges propria authoritate contra matrimonium ferre non potuerit quas authoritate divina tullit, & supponamus ejus potestatem nullo modo fuisse spiritualement, sed fuisse Principem populi Israel. Nec scio si lege naturali prohibitum non esset matrem habere uxorem, cur Princeps hujusmodi legem ferre non posset, irritans omnino si quid secus factum fuisset. Imò puto ante legem Christi nullam fuisse potestatem, nec jurisdictionem spiritualement, qualis est in Ecclesia: & tamen nescio cur Principes non possent leges facere de matrimoniis contrahendis. Confirmatur: In lege naturali videntur fuisse leges de matrimoniis contrahendis, ut de fuscitando semine fraterno: imò multa inconvenientia posita in Levitico sunt de jure naturali, ubi nulla erat potestas spiritalis.

Secundo dico: Hoc non obstante, Ecclesia potest prohibere potestatem civilem ab hac jurisdictione: hoc est, Princeps temporalis arceri potest, & impediri per potestatem spiritualement, puta per Summum Pontificem, ab hac jurisdictione. Probat: Quia, ut in præsentiarum pro certo haberi volo, temporalis Respublica est quodammodo subjecta spiritali, & consequenter etiam potestas temporalis est subjecta potestati spiritali. Ut enim Arist. lib. 1. ait, si finis unius artis, aut facultatis inferior sit, & ordinatus in finem alterius facultatis, etiam ars subjecta erit arti, & artifex artifice: ut fabrilis, & nautica subjecta est militari facultati, ut etiam faber Imperatori. Cùm ergo humana pax, & civilis honestas, & convictus ordinetur in spiritali felicitatem, & perfectum bonum hominis, in quantum homo est: consequens

Resp. ad quæstionem.

est, ut civilis facultas, & potestas certo modo sit dependens, & subiecta spirituali potestati. Ergo non solum in pactis connubiorum, sed etiam in aliis pactis, & civilibus conditionibus, non est dubium quin spectet ad spiritualem potestatem, moderari facultatem, & potestatem secularem in his quæ conjuncta sunt cum rebus spiritualibus, & terminos præscribere, & limites, quatenus, & quousque civilis potestas in hujusmodi progredi possit.

Nec tamen volo dicere, quòd temporalis potestas sit in omnibus, aut etiam ordinariè subiecta spirituali potestati. Imò nihilominus puto quàm Principes seculares esse Vicarios Christi aut Pontificum, sed habere judicariam potestatem à Deo æquè atque ipsi Summi Pontifices habent, quam nisi in casu spiritualis potestas impedire non potest.

Verùm dico ex justis causis posse Ecclesiam potestati temporali tollere cognitionem, aut jurisdictionem aliquorum, de quibus alioqui jure suo discernere, & statuere posset, quia scilicet ex natura sua spectant ad potestatem civilem, puta quia non satis commodè, & convenienter ad finem spirituales per solam potestatem civilem administrari possent. Exemplum est in proposito. Nam cum pactum matrimonii pendeat ex jure divino, & quid ad matrimonium exigatur, & inter quas personas transigi matrimonium possit, inter quas non possit, & pleraque ad hujusmodi contractum spectantia, solo divino jure terminari, & intelligi possent: non possent leges congruè de matrimonio fieri ab eo, qui jus divinum non habet cognoscere, cujusmodi est Princeps secularis. Nec enim humana solum eruditione satis cognosci possunt multa, quæ circa connubia occurrunt, inter quæ hoc est unum, quæ personæ ad matrimonium legitimæ sint. Quare justis de causis totum negotium de matrimoniis paciscendis, & jungendis potestati spirituali servatum est, etiam si matrimonium non esset sacramentum. Sicut etiam puto Episcopum in sua Diocesi posse etiam matrimonio impedimenta ponere, & omnia quæ Papa potest, nisi ea causa Pon-

tifici reservata esset : sicut alia multa.

S. Thom. 4. dist. 25. q. 2. art. 2. dicit : Matrimonium quantum ad utilitatem, quæ matrimonium consequitur, sicut est amicitia, & mutuam obsequium habet institutionem à lege civili. Et dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4. Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quòd sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est officium naturæ necessarium, statuitur lege naturæ : in quantum est sacramentum, statuitur jure divino : in quantum est officium communitatis, statuitur lege civili, & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona fieri, illegitima ad matrimonium. Tamen dist. 40. art. 4. ad 2. dicit, quòd matrimonium est tantum sacramentum, sed est etiam in officium : & ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ, quàm baptisimus, qui est sacramentum tantum, quia sicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia spiritalia legibus ecclesiasticis. Palud. 4. dist. 26. q. 3. art. 3. conclus. 2. tenet, quòd quæcumque ordinatio legis humanæ non habet effectum non solum si est contra jus divinum, & canonicum, imò etiam si non sit jure canonico approbata, quia causa matrimonii est spiritalis, & Ecclesiastica : laicis autem in rebus Ecclesiasticis ordinandis non est tributa facultas aliqua, à quibus si quid in talibus constitutum fuerit, non est aliquis firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. *Extra. de constitutionibus, cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ.* Hæc Palud. & S. Thom. in 4. d. 42. art. 2. ad 4. expressè dicit, quòd prohibito legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi intervenerit auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicat.

**AN GRADUS PROHIBITI
in Levitico sint contra Jus Divinum,
& omnes de Jure Canonico
illegitimi.**

*Causa matri-
monii Regum
Anglia.*

Secunda pars quæstionis est: An omnes gradus prohibiti in Levitico sint contra jus divinum, & omnes jure divino illegitimi. In qua parte descendendum est in causam, & argumentum principum Anglorum, cujus causæ hæc summa est: Catherina inclytissima fœmina, filia Regum Hispaniæ, nupsit primogenito Henrici Anglorum Regis, quo sine liberis defuncto, iterum nupsit Henrico nunc Anglorum Regi Serenissimo, qui post multos annos cupiens eo matrimonio liberari, causatur illud conjugium esse prohibitum jure divino, & naturali: atque adeo nec Summum Pontificem potuisse dispensare, ut uxor mortui fratris sibi nuberet atque matrimonium irritum esse, & fuisse.

Istius occasione quæritur: Utrum * omnes gradus, 3
qui Levit. 18. & 20. prohibentur, sint prohibiti jure naturali. Pro cujus solutione pono tale fundamentum. Ex hoc quod aliqui gradus sunt prohibiti jure divino ad contrahendum non sufficienter probatur, quod si tale matrimonium aliquis tentet facere, non teneat. Probatur manifestè: Quia non sufficit, ut matrimonium sit interdictum jure quocumque ad hoc, ut non teneat. Patet: Quia jure divino prohibita est stipulatio, & etiam collatio simoniaca, quæ tamen si fiant, dant verum jus super tale beneficium, quod spectat ad jus divinum. Et beneficiorum multitudo, quantum puto, est prohibita jure divino: qui autem plura beneficia habent, rerum dominium seu jus habent. Et de jure divino prohibitum est post sponsalia ducere secundam: & tamen si fiat, matrimonium tenet.

Ante omnia igitur præmitto, quod multum interest, pactum aliquod, aut factum esse prohibitum jure,
&

& esse irritum jure, aut nullum. Multa siquidem sunt jure tam humano, quam divino prohibita, quæ tamen facta tenent: exempla sunt ita manifesta, ut revocare in memoriam non sit opus. Manifestum enim est prodigalitatem esse prohibitam jure divino, & tamen donatio prodigalitatæ tenet, & per illam verum jus acquiritur. Contractus simoniacus, sive etiam collatio simoniaca prohibita sunt jure divino: tamen quatenus ad jus divinum spectat, facta tenent, & ex tali collatione recipiens Ecclesiasticum beneficium, aut sacerdotium, verum titulum consequitur. Beneficiorum multitudo prohibita est jure divino, & tamen qui possidet, ut verum titulum habet, percipitque jure fructus beneficiorum.

Et ut proprius ad argumentum, quod tractamus, accedamus, post sponsalia cum una facta, matrimonium contrahere cum secunda prohibitum est lege divina, & naturali: tenet tamen matrimonium si contrahatur. Et in universum ubicumque lege Ecclesiastica est impedimentum impediens matrimonium contrahendum, non autem dirimens contractum: peccatur quidem contra legem matrimonialem, nihilominus matrimonium validum est, & ratum. Item post votum simplex, prohibitum est de jure divino matrimonium, factum tamen tenet.

Ex quo infero, quod* ex hoc, quod aliquæ personæ jure divino prohibentur contrahere, non sufficienter probatur, quod si contrahatur, matrimonium sit nullum, & irritum. Pater, quia (ut ostensum est) non sufficit pactum esse prohibitum, ut sit irritum, & nullum. Non ergo ad probandum, quod aliquid matrimonium sit irritum, satis est probare, quod personæ sint prohibitæ de jure divino. Et confirmatur. Nam sub eisdem verbis, quibus personæ conjunctæ consanguinitate, aut affinitate in lege prohibebantur, etiam prohibebantur aliæ personæ, inter quas tamen matrimonium constare poterat: ut Exod. 34. prohibebatur filiis Israel accipere uxores de filiabus Chanaan, & Levit. 21. prohibentur Sacerdotes accipere uxorem,

scortum, aut vile prostibulum; & tamen non puto si quis contra mandatum Domini hujusmodi uxorem duxisset, non futurum verum matrimonium, cum Deuter. 21. licentia permittatur filiis Israel accipiendi in uxorem mulierem ex captivis alienigenis sub certis ceremoniis, & solemnitate. S. Thom. autem dist. 39. dicit, quod intelligitur de aliis gentibus, vel cum volebat mulier talis converti ad ritus Judæorum. Et de Salomone legitur 3. Reg. 11. quod habebat uxores Moabitidas, & Ammonitidas, & Cethæas de gentibus super quibus dixit Dominus Israel: *Non ingredimini ad eas, nec de filiis illis ingredientur ad vestras.* Et tamen illæ erant veræ uxores, sic enim Scriptura appellat eas. Et Neemiæ ultimo legitur de filiis Israel, quod ducebant uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Item habetur 1. Esdr. 10. & lib. 3. cap. 8. & 9. Imò expressè dicitur cap. 8. quod collocaverunt mulieres alienigenas sibi in matrimonium. Vide tamen S. Thom. 4. dist. 39. ubi videtur dicere, quod non fuit verum matrimonium, nec tamen videtur asseverandum omnes illas pro scortis, & concubinis habendas, & pro non legitimis uxoribus. Non ergo obstat præceptum Domini, quominus etiam ex vetitis mulieribus accipere uxorem quis possit.

Ex quibus omnino videtur, quod ex hoc, quod aliqua personæ prohibentur à matrimonio in Levitico, non firmiter probatur, quod inter eas non possit esse verum matrimonium, etiam durante lege. Et ut exemplo rem apertiore faciamus, si in Levitico scriptum esset ne quæ votum continentia vovisset, virum acciperet: an si talis contra mandatum Domini nupsisset, non fuisset verum matrimonium: profectò non est dicendum, cum revera nunc sit jure divino prohibitum, & tamen actenus nemo negavit ejusmodi mulierem nubere posse. Nec jus divinum efficacius esse poterat in veteri testamento, quam in lege Evangelica est. Non ergo satis videtur esse, ut negemus inter aliquas personas matrimonium constitui posse, quod jure divino prohibitæ sunt, &c.

5 *Secundo dico, quod * ex hoc, quod in Levitico aliquæ personæ sint prohibitæ contrahere, non est argumentum, quod illæ personæ sint prohibitæ tempore legis Evangelicæ jure divino. Probat: Quia vetus testamentum est abrogatum. Multaque sunt in veteri testamento præcepta divina, quæ tempore Evangelii evacuata sunt. Qualia sunt præcepta omnia ceremonialia, item & judicialia: quod satis constat non solum ex verbo Domini in Cruce: *Consummatum est: sed etiam ex sententia & Concilio Apostolorum Actuum 15. ubi recitata hæresi Phariseorum dicentium, quod oportebat circumcidi eos, & servare legem Moyfi, tandem ventum est in decretum illud: Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria. Et Paul. (1) Lex in homine dominatur quanto tempore vivit: itaque vos fratres mortificati estis legi per Corpus Christi.**

(1)
Rom. 7.

Quod exponit per similitudinem mulieris, quæ sub viro est, quæ mortuo viro, soluta est à lege viri. Et ad Galat. 4. hoc item astruit per similitudinem pueri, qui est sub pædagogo usque ad definitum tempus à patre. Et rursus exponit per illud: *Abraham duos habuit filios, unum de ancilla, alterum de libera, & dictum est ei: Ejice ancillam, & filium ejus. Et subdit: Itaque non sumus filii ancilla, sed libera.* Per ancillam videlicet intelligens vetus testamentum, per liberam novum testamentum. Et ad Hebr. 7. Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem. Et in cap. 8. inducit illud Jerem. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum. Et subdit: Dicendo autem novum, veteravit prius: quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.* Ex hoc ergo, quod Levit. 18. caverur, ubi arcentur personæ certæ, nullum trahitur argumentum.

Et si objiciatur: Quod præcepta moralia veteris testamenti non cessaverunt. Cum ergo Apostolus non faciat

ciat distinctionem inter præcepta, videtur ergo, quòd nec ista præcepta cessaverint.

Ad hoc respondetur, quòd argumentum omnino concludit, quòd omnia, quæ potuerunt cessare, cessaverunt. Unde præcepta moralia nullum vigorem habent ex lege. Itaque ex eo loco non majus argumentum trahitur ad probandum non licere nunc matrimonium inter gradus illic prohibitos, quàm si quis velit probare ex eadem lege abstinendum esse à carnibus suillis, vel certis diebus à fermentato. Nec solum non adducitur ex eo capite sufficiens argumentum, sed etiam hæreticum est asserere, ideo quemquam prohiberi in lege Evangelica à matrimonio consanguineorum, quòd sit prohibitum in Levitico: cum sit hæreticum dicere, quòd lex Mosayca currat simul cum Evangelica, ut in cap. *Majores*, de Baptismo, & ejus effectu habetur. Et oppositum fuit error Cherinthi, & Hebionis.

Tertiò dico, quod dubium hoc, * quæ scilicet personæ prohibitæ sunt à matrimonio jure divino, terminari non potest, nisi ratione naturali: hoc est, ex naturali philosophia, & propositionibus cognitæ ex lumine naturali. Probat: Nihil cognoscitur, nisi vel revelatione, vel ratione naturali. Si ergo de hoc aut nihil, aut certè non adeò multum est de hac re in Scriptura traditum, ex quo trahi possit argumentum, (in novo enim testamento tractata quæstio non invenitur: in veteri autem non satis pro præsentis tempore sufficit ad expediendum quæstionem, quid super hac re cautum sit) restat ut referendum sit in judicium naturalis rationis. Et confirmatur: Quia receptissimum est apud omnes Theologos, & necessarium est ita tenere ex omnibus præceptis veteris legis sola moralia integra & firma restituisse in nova lege. Cum autem eadem omnino sint moralia præcepta ex omnium sententia, quæ naturalia sunt vel juris naturalis: eadem omnino quæstio est, an præceptum Levitici de gradibus matrimonii, nunc teneat, ac si quærratur, an illud præ-

præceptum sit juris naturalis: quod autem sit aliquid de jure naturali, nisi naturali ratione cognosci non potest: quare omnino tota res humanis & naturalibus rationibus transigenda est. Et confirmatur: Quia lex Evangelica tum multis justissimis causis, tum vel ob hanc causam lex libertatis à Christo & ab Apostolis vocatur, quòd solo jure naturali, post Evangelium Christiani teneantur ex omnibus, quæ in lege veteri erant. Quare si jure naturali matrimonium aliquod damnatum non sit, omnino nihil est, propter quod tale matrimonium illegitimum inter Christianos sit. Puto enim nullum esse præter præcepta juris naturalis præceptum negativum in Evangelio. Cùm ergo præceptum impediens matrimonium sit negativum, non est in nova lege, lex autem vetus auctoritatem nullam facit: rationi ergo naturali stare debemus.

Nec eo tamen disputatio, aut examinatio erit infirmior: ipsa enim ratio naturalis, non est humanum inventum, cùm naturale lumen ab ipso Deo naturæ conditore donatum sit. Illud enim est lumen vultus Domini, quod signatum est super nos (ut Propheta dicit) atque adeo etiam Paul. (1) quæ naturali ratione cognoscuntur, revelationem divinam vocat. *Deus enim, inquit, illis revelavit.* Quare non multo incertior erit definitio si ex naturalibus procedat, quam si ex sacris literis argumententur.

7 His præmissis, pono conclusionem: Non * omnes gradus in Levitico prohibiti sunt jure naturali. Probat: Nam, ut à principio admonebam, ratio, & necessitas in moralibus, & prorsus in omnibus agendis sumenda est ex fine, sed uterque finis matrimonii salvus prorsus & incolumis constabit, etiam si non omnes illæ personæ à matrimonio arceantur, & eliminentur: ergo quantum ex jure naturali pendet, non omnes illæ personæ sunt prohibitæ ad matrimonium inter se jungendum. Probat minor exemplo.

Prohibetur in lege, ne quis ducat amitam, aut mater-

Rr

ter-

(1)
Ad Rom. xijResp. ad quæ-
tionem prin-
cipalem.

terteram: certè non videtur quod officiat, aut obstat ad finem matrimonii, sive ad procreationem, aut educationem prolis, sive ad maritalia officia, & obsequia.

Et ut apertius intelligatur, secludamus totum, quod in Levitico proditum est, postquam ut dictum est, ex illo loco non potest trahi argumentum contra nostram conclusionem: nec plus obligat illud præceptum, quàm si numquam latum esset, & agamus sola ratione: certè non invenietur probabilis ratio, quæ amitam à connubio nepotis arceat. Et confirmatur: Nunquam aliquis Philosophorum, qui tamen de connubiis multa scripserunt, putavit illicitum matrimonium inter hujusmodi necessitudines: non ergo videtur hoc esse prohibitum jure naturali: certè enim alicui venisset in mentem jus hoc, si naturale esset. Et confirmatur ulterius: Hujusmodi matrimonia ut ex historia cognoscere est, passim celebrantur inter gentes quæ legem non noverunt, sine quacumque reprehensione: & tamen, ut Apostolus ad Rom. dicit: *Gentes, quæ legem non noverunt, naturaliter quæ legis sunt faciunt:* hoc est, quæ legi naturæ consentanea sunt: ergo omnino non videntur ea connubia lege naturali damnata.

Probatio 2.

Secundò principaliter arguitur: Nam aliquæ personæ æqualiter conjunctæ sicut illæ, quæ prohibentur in lege, eadem lege contrahere permittuntur, & tamen stando in lege naturali, eadem ratio videtur de utrisque: ergo neque illæ, quæ prohibentur in lege, omnes sunt de jure naturali. Antecedens patet: Prohibetur in lege, ne eadem mulier nubat duobus fratribus, & tamen non prohibetur ne idem vir ducat duas sorores: cum tamen prorsus videatur eadem ratio de utrisque, eadem enim est prorsus affinitas, & conjunctio: ergo si ducere duas sorores non est prohibitum lege naturæ, non videtur quare sit prohibitum è contrariò nubere duobus fratribus. Tertiò arguitur: Ante legem scriptam inveniuntur aliqua matrimonia,

etiam

etiam inter sanctos confecta, quæ tamen in lege prohibentur, ut cognoscere licebit Sacram Scripturam evolventi: ergo non omnia, quæ lege prohibentur, prohibentur lege naturæ. Consequentia probatur, quia ea quæ sunt naturali jure prohibita, non plus licebant ante legem, quàm in lege, & post legem: ergo, &c.

Contra hanc conclusionem tamen arguitur primò: Aliquæ personæ prohibitæ in Levitico sunt de lege naturæ prohibitæ, & non videtur major ratio de aliquibus, quàm de aliis: ergo omnes sunt prohibitæ lege naturali. Assumptum patet, de patre & matre cum filiis suis, quod esse contra leges naturæ, vel ex eo manifestum est, quod numquam fuit aliqua natio tam barbara aut immanis, quæ non hujusmodi connubia horreret, imò etiam bruta, & feræ tales concubitus refugiunt, ut Aristot. lib. i. de Animalib. ponit. Item de uxore patris, de qua Apostol. (1) *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat.* Unde videtur quòd sit contra legem naturæ matrimonium inter privignum & novercam. Et confirmatur: Si omnia connubia licita sunt ubi finis matrimonii salvus esse possit, sequitur, nulla prorsus esse illegitima. Potest enim esse educatio, & procreatio prolis, & mutua officia & obsequia inter quascunque personas, alioqui non steriles: ergo cum omnia sint legitima matrimonia sic, nec sufficit quòd sint convenientia ad fines matrimonii.

Secundò, illud præceptum Levitici non est cæremoniaie, ut manifestum est: nec etiam videtur juditiale, cum judicialia sint, quæ justitiam componunt inter homines, ad quod illud præceptum non videtur spectare: ergo videtur quod sit præceptum morale, & ex consequenti de jure naturali.

Tertiò arguitur sic: Illa quæ prohibentur in illo præcepto, erant illicita apud gentes etiam ante legem: ergo sunt de jure naturali. Consequentia est nota, cum gentes alia lege non tenerentur. Antecedens probatur:

Arg. 1. contra hanc conclusionem.

(1)
1. Ad Cor. 5.

Arg. 2a

Arg. 3a

Nam post illud præceptum ubi prohibentur illæ personæ in eodem cap. subditur: *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt gentes universa, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.*

Ex quibus certè videtur, quòd illa eadem quæ in loco illo prohibentur, essent illicita, & scelerata inter gentes, quæ certè non fuissent, nisi lege naturali prohibita essent. Et confirmatur: Quia eisdem verbis prohibentur omnes necessitudines, quæ arcentur, & interdiciuntur à matrimonio in illo capitulo. Semper enim dicitur revelare turpitudinem, quod videtur quandam naturalem inhonestatem præ se ferre, & eodem nomine appellat scelera abominationes, & execrationes: ergo si aliqui gradus sunt contra jus naturale, & omnes itidem erunt.

*Ad argum.
esse.*

Ad hæc argumenta respondetur. Ad primum quidem, concessa majori, nego minorem: & dico sine dubio esse prohibitum jure naturali connubium inter filium & matrem, & inter filiam & patrem. Pro quo est considerandum, quòd sicut virtutes sunt connexæ (ut Arist. tradit) & omne verum vero consonant, ita & præcepta Dei invicem consonant, nec ulla ex parte repugnant: alioqui sapientia divina non omnia suaviter disponderet, si quod uno loco præciperet, alibi prohiberet. Non enim solùm præcepta non sunt sibi contraria, sed ita se mutuo juvant, ut difficile admodum sit alterum sine altero servari, est autem unum præceptum juris naturalis venerari parentes, & revereri, ergo, &c. Item est præceptum, ut conjuges mutuo sibi inserviant, cùm ergo sit ille alter ex duobus matrimonii finibus, nullo modo matrimonium constare intet parentes & liberos potest. Quomodo enim mater filio, salva reverentia & pietate filii, servire poterit? Quomodo ex præceptis & nutu filii pendere? Aut quomodo filius sustinere poterit, ut matri imperet, & conjugalibus obsequiis exigat? Non ergo ullo pacto con-

venire potest, ut filius matrem uxorem habeat. Et confirmatur ex illo Pauli: (1) *Unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.* Oportet ergo si mater nubat filio suo, ut filium timeat, quod exhorret naturalis lex. Et in eodem: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Oporteret itaque matrem in omnibus subiectam esse filio contra legem naturæ.

(1)
Ad Ephes. 5.

Quòd si contendat quis hac ratione bene obstari ne mater nubat filio, non autem impediri quin filia nubat patri: nec hoc quidem satis commodè fieri potest. Probat: Nam esto, quod vir caput sit mulieris, tamen mulier socia est, non serva. Et notum est non posse inter officia, & munia conjugalia commodè servari pietatem, & reverentiam liberorum ad parentes. Uxor etiam certè jus habet exigendi debitum à viro, quod filia in patrem non satis convenire potest. Item Paulus: (1) *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* non est autem consentaneum ut pater talem à filia consensum expectare debeat. Et in eodem loco. Paul. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Nihil autem minus convenire videtur, quàm ut pater sollicitus sit quomodo placeat filia, aut mater quomodo filio placeat, cum è contrario filii solliciti esse debeant, quomodo placeant parentibus: ergo. Et præterea, hoc videtur omnino tollere principalem finem matrimonii, scilicet procreationem, & educationem liberorum: nam ut plurimum ita evenit, ut cum filius adultus sit, & aptus matrimonio, mater jam sit effœta, & annus, & minimè idonea viro, ut intelliget facilè quis si rationem ætatum habeat. Atque adeò ex huiusmodi connubiis, aut nulla, aut certè rara proles possit procreari. Et rursus mater senescat necesse est, filio adhuc eodemque viro in juventutis flore constituto, quod præ-

(1)
Ad Cor. 7.

terquamquòd esset continentiae grande offendiculum, cum tamen matrimonium sit in remedium continentiae, omnino impediretur magna ex parte liberorum procreatio, non habente scilicet hujusmodi marito ex qua filios susciperet: quòd esset magnum Reipublicae detrimentum, & generis humani jactura. Et quanquam non ita videatur grande inconveniens, si filia patri nuberet: tamen si ratio aetatum habeatur, aequè videtur magna ex parte procreationem liberorum impediri ex talibus conjugis, & incontinentiae adolescentium foeminarum incendium grande parari.

Quare prorsus pro indubitato haberi debet, ejusmodi connubia naturali lege esse omnino prohibita, illegitima, & incesta. Quod etiam satis significatur ex verbis ipsius primi parentis Genes. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & adhaerebit uxori suae*, ubi significavit aliam debere esse uxorem, & alium virum, quam patrem, & matrem. Et quamvis non ita certum sit, aut notum, eadem videtur ratio de uxore patris, sive de noverca, & privigno. Cum enim ex conjugio fiant duo in carne una, eadem pietas, & reverentia videtur deberi uxori patris, quae ipsi patri, quare nec illam decet in uxorem accipere: & eadem ratione liberorum generatio impediretur, sicut ex matrimonio cum matre. Quare hoc etiam matrimonium videtur lege naturali prohibitum.

*Resp. ad
quæst. de ma-
trim. Regum
Anglia.*

Descendendo ergo ad casum positum de matrimonio inter Regem, & Reginam Anglorum, quaeritur utrum accipere relictam fratris defuncti uxorem sit prohibitum jure naturae. Ad hoc sit prima conclusio principalis: Ducere * uxorem fratris defuncti non est prohibitum lege naturae. Pro cujus probatione praemitto, quod aliqua se habent tripliciter ad jus naturale: quaedam enim sunt de se inhonesta semper, quae scilicet in nullo casu licite fieri possunt, ut perjurium, & adulterium: sicut è contrariò quaedam semper, & per se sunt honesta, & rationi consona, ut Deum colere, parentes venerari, & similia. Hoc jus naturale dicitur necessarium, sive im-

immutabile. Alia sunt de se quidem inhonesta, & prohibita jure naturali, sed quandoque propter graves causas possunt licitè fieri. Sicut è contrariò sunt aliqua honesta quidem, & consona rationi, & principiis moralibus, seclusa etiam omni lege positiva, imò præcepta lege naturali: sed tamen non habent bonitatem immutabilem, vel necessariam, sed secundum diversas temporis, loci, & personarum circumstantias, & conditiones, varietatem recipiunt, ut servare fidem, reddere debitum, non habere plures uxores, & similia. Alia sunt, quæ non sunt quidem prohibita jure naturali, sed inter minora bona computantur, quale fortasse est matrimonium respectu cælibatus, de quibus Paul. (1) *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Horum contraria naturali jure sunt approbata tanquam meliora quidem, sed non ut necessaria, absolutè loquendo. Fortasse Cælibatus (sicut diximus) jure naturali præfertur matrimonio: non tamen alterum est in præcepto, alterum prohibitum. Rationes enim Paul. (2) quibus præfert cælibatum matrimonio, videntur procedere in jure naturali. Item paupertas melior est divitiis, neutrum tamen sub præcepto.

(1)
1. Ad Cor. 6.

(2)
1. Ad Cor. 7.

His suppositis dico, quòd ducere relictam fratris defuncti non est de primo genere prohibitorum jure naturali. Probat: Nulla ratione naturali, quæ quidem necessaria videatur probari potest, illud esse tam inhonestum, ut in nullo casu liceat fieri: ergo, &c. Confirmatur manifestè: Quia illud aliquando (ut omnes fatentur) licuit. Hoc patet Deuter. 25. ubi præcipitur, ut frater accipiat uxorem fratris sui sine liberis defuncti. Si enim esset malum ex primo genere, vel non posset Deus dispensare, secundum saniores sententiam, sicut nec in perjurio, vel certè non ita passim, & sine grandi necessitate: solum ceremoniæ, & significationis gratia dispensasset. Et omnino absurdum est, & parum pium dicere, quod Deus legem condiderit contrariam legi naturali primæ.

Secundò dico, quòd inter ea quæ prohibèntur Levit.

vit. 18. præter primum gradum, scilicet inter ascendentes, & descendentes, fortasse omnia alia sunt prohibita jure naturali. Secundo modo, hoc est absolutè, & non urgente aliqua gravi causa, & rationabili. Probat: Quia ex tali matrimonio semper sequitur aliquid, quod licet non tollat finem matrimonii, tamen ex parte officii vel obstat fini, vel est contra reverentiam naturalem debitam consanguineis, ut quòd nepos sit dominus, & caput amitæ aut materteræ, cui debetur idem honor qui matri: & non videtur consentaneum rationi naturali, ut amita serviat nepoti, & timeat nepotem: & simile posset dici de omnibus aliis gradibus prohibitis in lege. Sed ista incommoditas, quæ contingeret ex hujusmodi conjunctionibus, matrimonialibus, omnino non est tanta, quin possit compensari aliquo magno bono, quod ex tali conjunctione consequitur, aut gravi malo quod devitetur, ut ad constituendum pacem in Republica, ad tollendas simultates inter illustres, ad supplendum insignem aliquam solitudinem, & raritatem hominum in orbe, aut provincia. In hoc ergo genere reponi potest matrimonium viri cum uxore fratris defuncti. Videtur enim quòd ex tali conjunctione irrogatur injuria quædam priori viro. Semper enim æstimatum fuit uxorem ingratham esse priori viro, quæ secundò nupsit. Unde etiam Dido apud Maronem.

Ille meos primum, qui me sibi junxit, amores.

Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulchro.

Et paulò prius.

Antè pudor quàm te violem, aut tua jura resolvam.

Quasi inhonestè, & turpiter se acturam diceret, si priori marito alterum superinduceret: turpius autem id videri potest, per hoc quòd frater sit hujus qualiscumque injuriæ aut ingratitude author, aut particeps uxorem fratris accipiens. Quare videtur sua natura illaudabile, & reprehensibile, non tamen ita quin ex causa aliqua compensari possit hoc quod de se parum honestum videtur.

Tertiò dico, quòd fottasse hoc ipsum matrimonium: non in secundo genere, sed in tertio reponendum est: hoc est, non inter ea, quæ natura sua mala sunt, licet ex circumstantia bona esse possint, sed inter ea quæ minus bona sunt: hoc est, licet quidem solo jure naturali posito, uxorem fratris accipere liceat, sed non expediat, hoc est, melius est abstinere ab hujusmodi matrimoniis: quemadmodum, & quidam gradus ad Ecclesia interdicti sunt à matrimonio, ut inter consobrinos vel in quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis. Non enim apparet ratio malitiæ in tali conjunctione, licet ostendatur magis expedire, ut talia matrimonia interdiciantur.

9 Secunda conclusio principalis: Ducere * relictam fratris sine liberis defuncti, ut in causa Regum Anglorum contigit, nunquam fuit prohibitum jure divino veteris legis. Probat: Si fuisset prohibitum hoc, maxime fuisset in illo præcepto Levit. 18. & 20. *Non revelabis turpitudinem uxoris fratris tui*: Sed hoc non probatur, quia aut intelligitur lex illa vivente fratre, qualiter intelligitur illud Joann. Baptistæ, ad Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*: Et hoc non obstat conclusioni: aut intelligitur de fratre defuncto cum liberis, & nec hoc obstat: aut de fratre mortuo sine liberis, & hoc modo probatur, quòd non possit intelligi. Nam Deuter. 25. lata est lex, ut si frater sine prole decesserit, relictam fratris frater superstes accipiat: ergo lex illa Levitica intelligi non potest de fratre sine liberis defuncto.

Nam audiendum non est, aut quòd in lege essent duo contraria præcepta, aut quòd id quod est in Deuteronomio, sit dispensatio ejus legis, quæ est in Levitico. Non enim est satis intelligibile, ut eodem tempore aliquid prohibeatur, & dispensetur in eo generaliter. Nam dispensatio nihil aliud est, quàm relaxatio legis: ac per consequens singulariter licebat fratri ducere uxorem fratris sine liberis defuncti. Non ergo erat lex, talia matrimonia interdicens: nihil enim plus effi-

ciunt illæ leges latæ in Levitico, & Deuter. quàm si in eodem contextu sanciretur primùm, nequis uxorem fratris cum liberis defuncti duceret, & secundò, ut uxorem fratris sine liberis defuncti superstes frater ducere teneretur, aut certè possit. Istitis enim duobus capitibus cavetur omnino totum, atque idem quod in Levitico, aut Deuteronomio cautum est: atque adeò mihi non est dubium, nee cuiquam sanè sacras literas tractanti, & intelligenti, nunquam lege divina prohibitum esse, ne frater uxorem fratris sine liberis defuncti uxorem accipiat.

Ultima conclusio contra bonam partem Theologorum: Secluso * jure humano sine quacumque Papæ¹⁰ dispensatione frater posset accipere uxorem fratris si-
ve cum liberis, siue sine liberis defuncti. Probatum primùm. Hoc connubium spectat ad ea quæ sunt juris naturalis tertio modo, id est, quæ sunt quidem meliora, sed contraria non prohibentur jure naturæ, ergo non est prohibitum. Patet: Nam dato quòd melius esset non ducere quàm ducere, nihilominus non esset illicitum ducere, & dato quòd esset de secundo genere juris naturalis, nihilominus posset ducere. Probatum primùm, si subesset causa rationabilis, ut declaratum est, quæ scilicet illud quod sua natura malum est, licitum in eo casu faceret: Imo (in quo est major difficultas) dico quòd etiam si nulla subesset causa rationabilis matrimonium esset validum.

Probatum, quia ut in primo fundamento hujus quæstionis diximus non est idem matrimonium aliquod esse prohibitum, aut esse jure nullum, aut irritum. Unde dato quòd esset illicitum jure naturali, non sequitur, quòd si contrahatur, non teneat. Sicut etiam, quòd idem videtur, si successivè accipat duas sorores, videtur æqualiter prohibitum jure naturali, & tamen non est dubitandum, quin secluso jure humano matrimonium teneret: sicut beatus Ambrosius ad Paternum dicit esse illicitum jure naturali, ut patruus accipiat neptem in uxorem, & tamen dubitari non potest, quin se-

secluso humano jure si contraheret, matrimonium teneret, cum etiam in tempore veteris legis non esset prohibitum, nam Abraham habuit Saram secundum August. & Hieronym. neptem ex fratre. Et post legem scriptam Othoniel frater Chaleb duxit Axam filiam Chaleb. Josue. 15. & Jud. 1. Non ergo est dubitandum, quin etiam nunc si quis duceret, teneret matrimonium, ut dictum est, stando in jure naturæ.

Et ad hunc sensum intelligenda sunt sanctorum dicta, dicentium, quod aliqui gradus sunt prohibiti jure naturali, qui tamen nunquam in lege prohibiti inveniuntur, ut inter consobrinos. Item etiam quandoquaque dicunt, quod sit contra legem naturæ, accipere uxorem fratris, intelligendum inquam sine dubio est, quod est quidem illicitum jure naturæ: non ita tamen, quod si fiat, non teneat factum, sicut supra dictum est, quod qui post votum continentiae acciperet uxorem, peccaret quidem contra legem naturæ: nullus tamen hæcenus defendit, quin tale matrimonium teneat. Oportebit ergo rationem reddere quare, cum æquè, vel certè plus sit contra legem naturæ, uxorem post votum continentiae accipere, quam relictam fratris defuncti: quare inquam, si in primo casu matrimonium tenet, non in isto etiam teneat. Confirmatur apertè, & manifestè ex cap. *Finali*, de Divortiis. Ubi cum esset consultus Innocentius tertius: Quid de Livoniensibus conversis ad fidem faciendum esset, qui prius secundum tenorem legis Moyse uxores fratrum sine liberis defunctorum duxerant.

Respondet Pontifex, concedens illis, ut in contractis matrimoniis perseverent. Manifestum est autem quod si talia matrimonia essent irrita jure naturali, non posset Pontifex illa concedere, aut approbare, maxime cum lex Moyse, non solum apud Christianos, sed apud omnes mortales prorsus jam nullius sit virtutis, & efficaciae: Quare si nobis jure naturali interdicerentur talia matrimonia, non relevaret ab hoc interdicto vel lex, vel dispensatio Moyse. Unde apertè,

sine dubio concluditur tale matrimonium non esse jure naturali prohibitum: vel si est, non ita tamen, ut si attentatur, factum dirimatur aut non teneat.

Ex quo sequitur corollarium quod omnes infideles contrahentes in gradibus ab Ecclesia prohibitis, si non constet esse jure naturali prohibitum, vere contrahunt, & est ratum matrimonium. Itaque si quis inter infideles duceret relictam fratris sive cum liberis, sive sine liberis defuncti, dubitandum non est, quin tale matrimonium esset validum, nec conversi ad fidem indigent Papæ dispensatione, imò neque quacumque auctoritate possent separari, scilicet cum solo jure humano, quo infideles non tenentur, hujusmodi matrimonia sint interdicta.

FINIS PRIMI TOMI.



RE.

REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA,

ORDINIS PRÆDICATORUM,
Sacrae Theologiæ in Salmanticensi Acade-
mia quondam Professoris primarii,

RELECTIO.

DE AUGMENTO CHARITATIS,
& diminutione.

LOCUS RELEGENDUS EST EX EPISTOLA PAULI
ad Philipp. i. Oro ut charitas vestra magis
ac magis abundet, &c.

S U M M A.

1. Charitas, an augeatur per quemlibet charitatis actum.
Et quomodo, de hoc tres opiniones recitantur.
2. Actus intensior habitu, an augeat habitum secundum
suam totam latitudinem, an solum secundum excessum,
quem habebat supra habitum.
3. Actus intensior non auget habitum per totam suam
latitudinem, sed solum secundum excessum quem ha-
bet supra habitum.
4. Actus quilibet meritorius, auget gratiam secundum
totam suam latitudinem, & non solum secundum ex-
cessum supra habitum.
5. Charitas non augetur per totam latitudinem actus,
sed solum secundum excessum actus supra habitum.
6. Charitas nunquam est aequalis gratiae, saltem in
adulto.

7. Gloria respondet gratia, & non charitati.
8. Opiniones secunda, & tertia de augmento charitatis, in quo differant à prima.
9. Agentia plura nunquam producant majus lumen, vel calorem in primo puncto sphaerae suae, activitatis, quam produceret unum illorum, quod maximum est.
10. Lumen productum nunquam est majus, quam sit lumen in maximo luminoso.
11. Per quemlibet actum charitatis quantumvis remissum, meretur quis, & habebit majorem gloriam.
12. Per quemlibet actum charitatis quantumvis remissum, augetur gratia.
13. Si per actum remissum charitatis non augetur charitas statim, voluntarium videtur dicere, quod augeatur in fine vitae.
14. In augmento habitus, an habeatur respectus non ad intensiorem gradualem actus meritorii, sed ad quantitatem meriti.
15. Data opinione quod non augeatur habitus per actum remissum, an plures actus remissi possint augere habitum, vel etiam unus actus continuatus possit equivalere in merito uni actui intenso. Et de triplici istius questionis opinione.
16. Meritum nullo modo proportionatur intensioni.
17. Meritum non solum non proportionatur intensioni, sed nec magna multitudo actuum remissorum aequivaleret uni actui intenso, vel perfecto.
18. An meritum duplicetur, si non sit magna continuatio, & perseverantia in actu.
19. Habitus sine dubio augetur, quandocumque pervenitur ad meritum aequale cum actu intenso, sive per multiplicationem, sive per continuationem.
20. Charitas an diminuat dupliciter disputari potest. Uno modo an per peccatum veniale, alio modo an per mortale.
21. Charitas, vel gratia, an per peccatum veniale diminuat.
22. Nullum peccatum veniale potest tollere gratiam.

R Elegendus locus est Pauli Apostoli Philippens. 1.
Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet, &c.
 Relectio nostra habebit duas partes. In prima agemus
 de augmento charitatis. In secunda de diminutione
 ejus. De augmento non omnes quæstiones tractare
 statuimus: nec enim liceret in tam brevi tempore:
 sed unam elegimus, quæ inter Doctores celebrior est,
 & magis ad Theologum spectat; & ea est: An * per
 quemlibet actum charitatis augeatur charitas. Et qui-
 dem pro parte affirmativa arguitur, quia quilibet ta-
 lis actus est meritorius gloriæ, ergo & gratiæ, & per
 consequens charitatis. Assumptum patet, quia actus
 quicumque bonus relatus in Deum ex charitate est
 bonus, & meritorius, ut latè tractat S. Thom. 1. 2.
 Consequentia probatur, quia gloria correspondet gra-
 tiæ & charitati: ergo si pro tali actu datur major glo-
 ria: ergo major gratia, & charitas.

*Arg. pro parte
affirmativa.*

Pro parte autem negativa arguitur, quia in agen-
 tibus naturalibus agens remissum non agit effectum
 intensiorem: ergo neque actus charitatis remissus au-
 get habitum charitatis intensum. Consequentia proba-
 tur, quia de spiritualibus, & supernaturalibus debemus
 judicare per proportionem ad naturalia, nisi opposi-
 tum constet testimonio scripturarum, juxta illud Apof-
 toli ad Rom. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea,
 quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

*Arg. pro parte
negativa.*

De quæstione hac est triplex opinio. Prima tenet
 alterum extremum, quòd, scilicet, quolibet actu chari-
 tatis quantumcunque remisso augetur charitas & gra-
 tia. Ista est communis opinio recentiorum, eorum
 scilicet qui nominales vocantur, ut est videre apud
 Gabriel. in 1. dist. 17. q. 4. & in 3. dist. 23. q. 1. & in eis-
 dem locis apud alios Doctores.

Secunda opinio tenet duo: primum, quòd pro
 quolibet actu charitatis quantumvis remisso datur ma-
 jor gloria: secundum, quòd per actum remissum non
 augetur charitas, aut gratia. Ista opinio est Scoti in 4. &
 Ricard. in 2. dist. 16.

Tertia opinio tenet alterum extremum, quæ dicit,
 quòd

quòd per nullum actum augetur charitas, nisi sit intensior ipso habitu charitatis, & per consequens, quòd pro tali actu non datur major gloria. Ista opinio vel est, vel attribuitur S. Thom. 1. 2. q. 52. art. 3. & 2. 2. q. 24. art. 6. & in 1. dist. 17. & videtur opinio Durandi 1. dist. 17. q. 8. licet fortasse potius sit cum secunda opinione recitata.

*Quaest. diffi-
cill.*

Ex his opinionibus, primo volo examinare quòd est commune tribus ipsis opinionibus. Commune autem est ipsis, quòd per actum intensiorem augetur habitus charitatis. Circa quòd revocatur in dubium: An actus * intensior habitu augeat habitum secundum suam totam latitudinem, an solum secundum excessum, quem habebat supra habitum. Verbi gratia, si habitus est ut quatuor, & actus intensior ut octo, an habitus ille augebitur per octo gradus, an solum per quatuor.

*Arg. 1. pro
parte affirm.*

Et videtur, quòd actus intensior augeat habitum secundum suam totam latitudinem, quia aliàs non servaretur debita proportio præmiorum ad merita. Si enim Petrus habeat actum meritorium ut quatuor, & per consequens habitum charitatis, & gratiæ ut quatuor, & postea habeat secundum actum meritorium ut octo, si actus non augeat habitum per totam latitudinem, sed solum secundum excessum, sequitur quòd habitus charitatis & gratiæ in Petro erit solum ut octo: & cum gloria correspondeat gratiæ, etiam erit ut octo, & tamen habebit meritum ut duodecim: ergo gloria est minor meritis. Et iterum si Petrus & Paulus primò habeant meritum ut quatuor; & per consequens gratiam ut quatuor, & postea Paulus habeat secundum actum meritorium ut octo: jam secundum hanc opinionem gratia Pauli erit solum ut octo, & Petri ut quatuor: ergo est proportio dupla: & similis proportio erit in gloria: & tamen meritum Pauli fuit triplum ad meritum Petri: ergo inter illos non servaretur similis proportio inter præmia, quæ fuit inter merita.

*Arg. pro parte
negativa.*

In contrarium autem arguitur: Quia in agentibus naturalibus agens intensum non auget effectum. mi-
no-

norem secundum totam suam latitudinem, sed solum secundum excessum: ergo ita est in habitibus & in actibus. Antecedens declaratur, & probatur, quia si calefactivum ut octo applicaretur calido ut quatuor, non faceret calidum, ut duodecim, sed solum ut octo: ergo.

Et quia solutio quæstionis principalis, bona ex parte pendet ex hoc dubio, volo id diligentius examinare, & pono conclusionem talem. Actus * intensior non auget habitum secundum totam suam latitudinem, sed solum secundum excessum, quem habet supra habitum.

Resp. ad quæstionem.

Ista conclusio probatur. Primò, de habitibus acquisitis, quia loquendo de habitibus, qui sunt in potentia naturali, puta intellectu, & appetitu sensitivo, videtur sequi, quòd habitus quicumque intenditur, semper ad minus augeatur in duplo, quam prius erat. Quia cum potentia naturalis agat semper ex toto conatu, videtur quòd semper actus elicited ab habitu, sit intensior habitu, & per consequens si auget habitum secundum totam suam latitudinem, semper augebit plusquam in duplo, imò videtur sequi, quòd per quemlibet actum sequentem augetur habitus plusquam per omnes præcedentes. Patet gradatim discurrendo per actus. Si enim habitus prius sit ut quatuor, actus sequens ex toto conatu ad minus erit ut quinque, & tunc habitus esset ut novem, & sequens actus ad minus erit ut decem, & habitus ut novendecim, & sequens actus ut viginti, & habitus ut triginta novem, & sic consequenter. Hoc autem consequens non videtur profecto admittendum: ergo nec ista opinio.

Et confirmatur, quia omne agens potest agere conformiter ad formam, per quam agit, ut calidum ut quatuor potest producere calorem ut quatuor: & lucidum ut quatuor, lumen ut quatuor. Ergo potentia agens per habitum ut decem, ad minus potest producere actum ut decem: & sic potentia merè naturalis semper habebit actum ad minus aequalem habitui in

intensione, & per consequens semper augetur ad minus in duplo. Secundò confirmatur: Quia profectò nihil aliud videtur esse habitus ut decem, quàm quod possit producere actum ut decem: ergo habitus existens in potentia naturali, semper producit actum ad minus æquè intensum.

Secundò principaliter probatur idem de habitu infuso, quia similiter sequitur, quòd si quis agit ex toto conatu, semper augebitur habitus infusus plusquam in duplo, imò per quemlibet actum sequentem plusquam per omnes præcedentes. Patet eodem modo, sicut priùs, quia si actus sequens habitum est ex toto conatu, videtur quòd sit intensior habitu, & per consequens si auget habitum secundùm totam suam latitudinem, semper auget habitum plusquam omnes præcedentes. Si enim omnes actus præcedentes fuerint centum graduum, & habitus similiter, actus productus ex tali habitu, ex toto conatu erit intensior quàm centum graduum, & sic augebit habitum plusquam omnes actus præcedentes. Ex quo iterùm sequitur, quòd talis actus erit majoris meriti, quàm actus præcedentes, & quòd pro quolibet actu sequenti habebit quis majorem gloriam, quàm pro omnibus præcedentibus. Quod omnino videtur absurdissimum. Neque enim est opinabile, quòd Joannes Baptista, aut etiam Beata Virgo per quemlibet actum, in ultimo vitæ suæ, plus mererentur, quàm per omnes præcedentes.

Et certè hoc argumentum ita videtur urgere, ut non appareat facilis solutio. Sed tamen potest responderi uno ex tribus modis. Primò, potest dici ad argumentum, quòd homines communiter non agunt ex toto conatu, & per consequens actus non est intensior habitu, & sic ruit id quod inferebatur.

Sed profectò solutio nulla ex parte satisfacit, quia saltem aliquando viri perfecti videtur, quòd agant ex toto conatu: & satis magnum inconueniens videtur, quòd hoc possit contingere, etsi non semper contingat: neque enim rationabiliter esset concedendum, quòd Petrus, aut Paulus, aut etiam Adam post tot annos non

mutato objecto, neque aliis circumstantiis haberent unam dilectionem Dei, per quam plus mererentur, quàm per omnes actus totius vitæ.

Et ideo secundo & apertius potest dici, quòd etiam si quis agat ex toto conatu, actus non perveniet ad totam latitudinem habitus, quando habitus est magnæ intensiõnis: utpotè si quis habeat charitatem ut centum, quantumcunque agat ex toto conatu, non habebit dilectionem ut centum, neque fortè ut quinquaginta.

Sed neque hoc videtur satis facere, quia non videtur intelligibile, quare habitus dicatur ut centum, nisi quia potest producere actum ut centum, cum habitus dicatur in ordine ad actum, neque est luminosum ut decem, quod non possit producere lumen ut decem, & cum quælibet alia forma possit producere effectum secundum totam suam intensiõnem in subjecto capaci, ut de calore, luce, & frigore patet, erit merè voluntarium dicere, quòd hoc est singulare in habitibus, ut non solum possint producere effectum æqualem sibi.

Item saltem quilibet talis actus, qui sequeretur ex tali habitu intensissimo, esset incredibilis intensiõnis. Cum enim cæteris paribus, ex majori habitu producatür intensior actus, si quilibet actus auget habitum secundum totam latitudinem, fiet brevi tempore habitus ita intensus, ut actus sequens non possit esse nisi intensissimus. Et maximè, quia quanto aliquis magis inclinatur ad aliquem actum, tanto majori conatu agit, & sic cum actus augeat inclinationem regulariter, semper erit major conatus in actu sequenti, quàm in præcedentibus: & sic dato, quòd actus sequens non adæquet omnes præcedentes, saltem æquivaleret medietati, aut tertiæ, aut quartæ parti omnium actuum præcedentium ipsum, quod non est parvum inconveniens.

Et si addas, quòd charitas augetur non solum per proprium actum, sed per omnem actum meritorium cujuslibet virtutis, & quælibet etiam virtus invicem per actus aliarum virtutum: si actus auget habitum

per totam suam intensiorem, vides quò progredia-
tur intensio cujuslibet habitus. Imò videtur similis
calculatio, qualis solet poni in acervatione illa vulgari
de ludo latrunculario, aut de granis frumenti. Si quis
enim prima die anni solverit unum granum frumen-
ti, & secunda die duo, & tertia quatuor, & quarta octo,
& sic consequenter, profectò ante finem anni, tam in-
immensum cresceret multitudo frumenti, ut to-
tus ager Campaniæ ferre tantum frumenti uno anno
non posset, imò neque tota Hispania. Similis profec-
tò ratio videtur sequi in proposito, si nuda potentia
producat actum ut unum, & habitus sit ut unum, se-
quens videtur quòd sit ut duo, & habitus ut tria se-
cundum hanc opinionem, & sequens actus ut qua-
tuor, & habitus ut septem, & sic semper qualibet
die fiet duplo major totus habitus, & paucis annis
neque cogitari quidem possit tanta intensio habitus.

Item ad minus vitare non possemus secundum hanc
opinionem, quin saltem in eo, qui per longum tem-
pus perseverat in gratia, essent habitus infusi intensi,
certè plusquam ostendat experientia. Neque etiam ex-
periuntur boni tantam in se intensiorem habituum,
quanta esset in illis, si ad istum modum auferentur.
Item si actus essent ita intensi ratione habituum, se-
querentur majores motus in appetitu sensitivo, qui na-
turaliter ex actu voluntatis movetur, quam experien-
tia monstrat. Si enim poenitentia infusa esset ita in-
tensa, sicut per hanc rationem oporteret esse, etiam
de præteritis & præsentibus esset tristitia interior in-
tensissima, & sequeretur intensissimus dolor in appe-
titu sensitivo, quod tamen rarò sancti viri experiuntur.

Sed ad hoc argumentum de experientia responde-
tur, & est tertia solutio, quod non habemus experien-
tiam de intensiorem habituum infusorum, sicut nec de
ipsis habitibus infusis.

Sed nec hæc solutio sufficit. Primò, quia saltem
haberemus experientiam de intensiorem ipsorum ac-
tum procedentium ab habitibus infusis, & cum ex
actibus virtutum infusarum (secundum opinionem

omnium aliorum à S. Thom.) producantur, & augeantur habitus acquisiti, saltem experientia percipere-mus istam admirabilem intensiorem habituum. Quibus omnibus si addas argumentum factum à principio de agente naturali, certè videbitur conclusio posita satis confirmata. Si enim calefactivum ut octo, superveniens calido ut quatuor, non auget nisi per quatuor gradus, nescio quis hoc privilegium dedit actui ut octo, ut au-geat habitum ut quatuor per octo gradus.

Sed restat modò solvere argumentum factum à prin-cipio contra conclusionem, quia videbitur quòd ex illa conclusione non servetur proportio præmii ad me-ritum, nec meritorum inter se ad præmia. Pro cujus solutione præsuppono duo. Primum est, quòd gratia distinguitur à charitate. Hoc suppositum in præsentia non probo, quia mihi satis est respondere ad argu-mentum secundum principia S. Thom. Et qui hoc sup-positum negant, habent querere aliam solutionem. Se-cundum quod suppono, est, quòd gratia non oportet ut sit æqualis charitati. Hoc ostendam necessariò esse dicendum. Et videtur probari in Christo, in quo se-cundum opinionem communem fuit infinita gratia, & ta-men non fuit infinita charitas. Quod probatur, quia ea-dem ratione fuissent aliæ omnes virtutes infinitæ: & sic essent actus ejus infiniti, & infinita tristitia, & ex conse-quenti non posset naturaliter vivere: quia ex infinita tris-titia in voluntate, sequitur naturaliter tantus motus in appetitu sensitivo, quod non posset naturaliter cum illo vivere.

His suppositis ad argumentum respondeo per qua-tuor conclusiones. Prima, * quilibet actus meritorius auget gratiam secundum totam suam latitudinem, & non solùm secundum excessum supra habitum. Patet hoc clarè, quia pro tali actu debetur gloria secun-dum totam latitudinem actus, & gloria correspondet gratiæ, ut in præsentia suppono: ergo augetur gratia secundum totam latitudinem actus, ut si est gratia ut quatuor, & actus meritorius ut octo, dico quòd gra-tia fiet duodecim graduum. Et confirmatur, quia iste est

*Resp. ad Arg.
pro parte af-
firmativa.*

est gratior ut octo, quam prius erat: ergo gratia est
 aucta ut octo. Secunda: Charitas * non augetur per 5
 totam latitudinem actus, sed solum secundum exces-
 sum actus supra habitum. Hoc est probatum omnibus
 argumentis supra positus. Tertia: Charitas * nunquam 6
 est æqualis gratiæ saltem in adulto. Hoc patet ex
 dictis, quia actus auget gratiam secundum totam suam
 latitudinem, & charitatem solum secundum excessum:
 ergo gratia est major quàm charitas. Quarta: Gloria * 7
 respondet gratiæ, & non charitati. Patet, quia per gra-
 tiam sumus grati, & digni gloria: charitas autem da-
 ta est ad diligendum, sicut fides ad credendum: ergo.
 Item patet hæc ex tribus, jam positus conclusionibus.

Ex his patet solutio ad argumentum: responden-
 te enim gloria gratiæ, servatur proportio meritorum
 ad præmia, etiam si charitas non augeatur secundum
 totam latitudinem, ut declaratum est. Neque ex isto
 augmento gratiæ sequuntur inconvenientia quæ supra
 inferebamus: gratia enim non facit ad intensiorem ac-
 tus, sed solum charitas: & sic licet augeatur gratia in
 duplo, non sequitur quod actus sequens sit duplo ma-
 jor, quàm prior, quia charitas non fuit aucta in du-
 plo. Et certè quicquid secundum alias opiniones sit di-
 cendum, videtur necessarium sic respondere secundum
 opinionem S. Thom. & Durand. Scot. & Ricard. &
 omnium aliorum, qui tenent, quòd habitus non au-
 getur nisi per actus intensiores. Si enim ita est, & ac-
 tus auget habitum secundum totam suam latitudinem
 necessarium est concedere corollarium illatum, quòd
 habitus nunquam augetur quin augeatur plusquàm in
 duplo, quàm prius erat, ut patet intelligenti. Et sic in
 Adam, vel alio ex partibus antiquis, qui fermè ad
 mille annos vixerunt, in ultimis annis vitæ suæ nun-
 quam potuerunt augeri habitus quin augerentur plus-
 quàm esset tota intensio habitus præcedentis, quod est
 absurdissimum.

Sed quia hoc dubium est commune in omni opi-
 nione, & argumentum videtur procedere contra om-
 nes, ideo ad hoc argumentum de proportionem merito-
 rum

rum ad præmium tenendo quòd gratia, & charitas sunt idem, oportet respondere, quòd charitas per actum meritorium augetur in esse gratiæ secundum totam latitudinem actus, in esse autem charitatis solum secundum excessum. Et sic etiam servabitur proportio meritorum ad præmium: & videtur quòd etiam secundum communem opinionem] oportet concedere quòd gratiam oportet esse majorem in esse gratiæ, quàm in esse charitatis, ut patet in Christo, in quo gratia fuit infinita, charitas autem in esse charitatis finita, ut supra probatum est, & hoc modo conclusio posita posset defendi in omni opinione.

8 . Secundo oportet examinare id, in quo differunt secunda, & tertia opinio à prima. Differunt * autem in hoc, quòd prima putat charitatem augeri etiam per actus remissiores. Secunda, & tertia defendunt, quòd non augetur charitas, nisi per actus intensiores.

Arguitur ergo pro secunda, & tertia opinione contra primam. Primo argumento Durand. Quia non est dignus novo beneficio, & gratia qui abutitur, vel negligenter utitur jam receptis beneficiis, sed qui habet charitatem intensam tepidè, & remissè operans negligenter se habet, & abutitur charitate: ergo non est dignus ut augeatur. Et licet hoc argumentum videatur prima facie leve, & infirmum, tamen si quis consideret quòd in hac materia non possunt fieri argumenta evidentia, multominùs quàm in aliis materiis moralibus, non contemnet argumentum. Si enim licet arguere ab humanis ad divina, profectò hoc est morale, & familiare in vita politica, ut qui in obsequendo, & promerendo apud dominum vel Principem fit negligentior, & remissior, non crescat in gratia, & amicitia apud dominum, sed benè agitur cum illo, si perseverat in eadem gratia, in qua priùs erat, etiam si aliàs non offendat. Si ergo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, non malè arguimus, & timendum est ne ita nobis contingat apud Deum remisse, & negligenter operando.

Secundo arguitur argumento S.Thom. Habitus ac-

*Pro 2. & 3.
opinion. Arg.
2.*

Arg. 2.

qui-

quilitus non augetur per actus remissiores: ergo nec habitus infusus. Et quia hoc est unum ex præcipuis argumentis, volo examinare quantum valeat. Et primò probatur consequentia, quia licet habitus infusus non augeatur effectivè ab actibus, tamen verisimile est, quòd eo modo augetur à Deo ac si augetur effectivè ab ipsis actibus, sicut habitus acquisitus, aliàs si non oportet servare proportionem ad naturalia, quid possimus capere, aut dicere de rebus spiritualibus, utpote nobis ignotis? Et confirmatur, quia si charitas augetur effectivè per actus meritorios, non aliter dicemus augeri, nisi sicut habitus acquisiti augentur. Et confirmatur iterum, quia secundum adversarios per eosdem actus, per quos meritorie augetur habitus infusus, augetur affectivè habitus acquisitus: ergo videtur, quòd si per actus remissos non augetur habitus acquisitus: ergo nec etiam infusus. Antecedens autem, quia negatur non solum ab adversariis nostræ opinionis, sed etiam à Durando, qui est in eadem sententia nobiscum, primo probatur, quia similes actus similes habitus efficiunt, ut ait Arist. 2. Ethic. ergo videtur quòd actus remissi non possunt facere habitum intensum, qui non est sibi similis, quanquam scio non in hoc proposito locutum in eo loco.

Arg. 3. Item omne agens intendit assimilare sibi passum: ergo actus remissi non augent habitum intensiorem: quia hoc non est facere simile, sed dissimile.

Arg. 4. Item passum in principio est dissimile agenti, & in fine simile. *Secundo de Anima*: ergo actus remissus non auget habitum intensum, aliàs in fine actionis habitus non esset similis actui, sed dissimilis.

Arg. 5. Item calidum ut quatuor, non aget in calidum ut quinque: ergo nec actus ut quatuor, aget in habitum ut quinque: vel ostendatur hoc privilegium in actibus, quòd non sit in aliis agentibus naturalibus.

Arg. 6. Item actus remissus nihil agit in continuatione: ergo nec in principio. Consequentia patet, quia non est majoris activitatis, nec est major resistantia. Antecedens probatur, quia agens naturale quòd agit sine res-

assistentia, nihil agit in continuatione, sicut pater de sole respectu cœli: sed actus nullam habet resistantiam ad producendum, vel ad augendum habitum: ergo nihil agit in continuatione. Et confirmatur, quia si actus auget habitum in continuatione, malè vitaretur argumentum commune de infinita intensione. Si enim in quolibet instanti habitus augetur per certum gradum, sequitur infinita intensio in quocumque parvo tempore.

Secundum autem communem opinionem, videtur facile expediri hoc argumentum. Sive enim in continuatione, sive in productione actus quocumque veniat ad hoc, ut actus sit æqualis, vel minor habitu, cessat omnis actio, & sic si actus sit ut quinque, & habitus ut quatuor, in primo instanti habitus fiet ut quinque, & neque per reactionem neque per continuationem fiet major intensio, quia jam agens, & passum sunt similia, & simile non agit in simile, neque minus in majus.

Item ex contraria opinione sequitur, quòd assensus conclusionis erit intensior assensu præmissarum. Consequens est contra Arist. lib. Post. & contra totam dialecticam. Probatur consequentia. Sit enim ita quòd assensus præmissarum sit ut quinque, & conclusionis ut quatuor: & per consequens habitus scientificus etiam ut quatuor, volo quòd habens talem habitum eliciat frequenter assensum conclusionis, non cogitando actualiter de præmissis, quia sine dubio est possibile, tunc secundum opinionem contrariam augebitur habitus scientificus, & poterit fieri ut quinque, & ut sex: & per consequens etiam assensus conclusionis erit ut sex, & sic intensior assensu præmissarum. Et confirmatur, quia sequitur, quòd talis assensus erit evidentior assensu præmissarum, quia quilibet gradus est evidens: unde si assensus conclusionis est intensus ut sex: ergo evidens ut sex. Confirmatur secundo: Volo enim quòd post primam demonstrationem, in qua assensus conclusionis sit ut quatuor, adducantur novæ demonstrationes æquales cum prima in evidentia, & intensione, tunc per adversarios augetur habitus scientificus: & sic ite-

Arg. 7^a

rum assensus scientificus poterit pervenire ad intensiorem, & evidentiam supra quemlibet assensum præmissarum.

Ista argumenta etsi non concludant, & convincant, certè videntur esse apparentia, & minus probabilem facere opinionem primam.

Sed quia præcipuum fundamentum hujus opinionis est, quòd in naturalibus agens remissum non auget effectum intensiorem, vel quòd agens remissum superveniens agenti intensiori non facit effectum intensiorem, quòd non solum adversæ opiniones, sed etiam Durandus, qui nobiscum sentit, negat: ideo arguitur contra hoc fundamentum: & probo, quòd agens remissum augeat effectum intensiorem. Et arguitur argumento Durandi, & etiam Gabr. nam experientia docet quòd tres, & quatuor lucernæ, supervenientes primæ lucernæ intensiori, vel æquali, intensius illuminant quàm sola prima: ergo agens remissum, vel æquale, &c. Idem probatur de ignibus, majorem enim calorem producant multi ignes vel æquales, vel etiam minores, quàm solus unus: ergo ruit fundamentum de agenti naturali.

Ad argumentum dico primo, quòd * nunquam plura agentia producant majus lumen, vel calorem in primo puncto (ut ita dicam) spheræ suæ activitatis, quàm produceret unum illorum.

Secundo dico, quòd * nunquam lumen productum est majus quàm sit lumen in maximo luminoso, ut si sit unum luminosum ut octo, & multa alia ut octo, vel minora, nunquam lumen productum erit supra octo. Et probatur utrunque dictum, & fundamentum principale. Certum est enim, quòd si sol divideretur in duas medietates ut fierent duo luminosa: nulla alia mutatione facta, non producerent intensius lumen, quàm nunc producant: sed una medietas produceret tam intensum lumen sicut sol producit: ergo duæ medietates non producant majus lumen, quàm una medietas. Minor probatur, quia sol est uniformis secundum lumen, & tam intensum lumen est in medietate solis, sicut in toto ole. Ergo tam intensum lumen producit medietas solis,

sicut totus sol. Et idem est iudicium de igne, & quolibet alio agente naturali. Si enim ignis sit uniformiter calidus, tantum calorem intensivè producit medietas ignis, sicut totus ignis, & duæ medietates separatae non producerent plus quàm totum: ergo duæ medietates non producerent intensiorem calorem, quam una medietas, & sic plura agentia naturalia æqualia non producant intensiorem effectum, quàm unum illorum: nec agentia æqualia se adjuvant ad producendum intensiorem effectum. Et confirmatur, quia si sint decem luminosa ut quatuor, & ex illis fiat unum, totum erit ut quatuor, & non plus. Sicut si ex multis albis ut quatuor, fiat unum album, erit solum ut quatuor. Sed quodlibet luminosum ut quatuor, poterit producere lumen ut quatuor: ergo luminosum compositum ex illis non producit intensius lumen, quàm singula luminosa ut quatuor. Nam cum non agunt intensius luminosa separata, quàm in unum composita, non intensius agunt decem luminosa ut quatuor, quàm unum illorum. Et confirmatur, quia mirabile esset, quòd aggregatum ex omnibus luminosis non sit nisi ut quatuor, & producat lumen intensius quam quatuor, cum nullum agens agat supra suam intensiorem. Item aliàs sequeretur, quòd daretur majus maximo. Si enim agens æquale vel minus juvet ad augendam intensiorem: ergo si maximè calidum aut luminosum sit ut decem, & apponatur ei luminosum ut decem, vel ut quinque, lumen productum esset ut undecim vel duodecim, & sic majus maximo.

Ad argumentum de experientia dico primo, quòd magnitudo, seu multitudo materiae etiam in eadem intentione facit ad extensionem activitatis, ita ut si calefactivum pedale intensiorem ut quatuor potest calefacere per viginti passus calefactivum decempedale ejusdem intensiorem ut quatuor calefacit per plures passus.

Secundò, quòd omne agens fortiùs agit in propinquum, quàm in remotum. Tertiò, quòd agens agit uniformiter disformiter per spatium, vel spheram activitatis. Ita ut si agens sit ut octo illuminaret spatium

duorum passuum, ita ut in quinto passu esset lumen ut sexto, & in decimo ut quarto, & in decimo quinto ut decimo secundo, & sic consequenter: ergo si adduntur alia quatuor similia luminosa intensione, & quantitate, jam erit spatium illuminatum quinque graduum, ut 100. passuum, & 20. passuum, ut prius erat lumen ut quatuor, erit plusquam 6. quia in 5. passuum erit lumen ut 4. Et idem erit, si luminosum ut 8. addatur luminoso ut quatuor augebitur in sphaera activitatis, & per consequens intensio.

Deinde sequitur, quod nunquam erit majus lumen in quocumque puncto, quam in maximo luminoso, quod si erat ut octo, nunquam in medio erit majus lumen quam ut octo, quotcumque sint agentia. Et confirmatur hoc, quia ut crescit lumen, aut calor, si luminosum idem aut calidum fiat majus in quantitate, sic si multiplicentur luminosa, ut notum est. Sed si luminosum pedale aut ignis pedalis intensiois ut octo fiat tripedalis manente eadem intensione, nullus dicet, quod producat lumen aut calorem ultra octo: ergo quotquot multiplicentur luminosa ut octo nunquam producant lumen ultra octo: neque unquam experientia aliter docuit multiplicatis agentibus augeri effectum, quam sicut dictum est.

Imò ex hoc arguitur contra opinionem contrariam. Nam quotcumque multiplicentur agentia ut quatuor, sive simul, sive successivè, nunquam producant effectum supra quatuor: ergo quantumcumque multiplicentur actus ut quatuor, nunquam producent habitum supra quatuor. Et ita patet quid dicendum est ad primum argumentum contra fundamentum conclusionis.

Sed arguitur aliter secundò, contra fundamentum de habitu acquisito, & probo, quod quilibet actus quantumvis remissus, augeat habitum acquisitum, quia aliàs sequeretur, quod nunquam auferetur habitus, nisi auferetur conatus potentiae. Patet, quia si secundus actus non est major primo, nihil facit secundum opinionem: sed ut sit major actus, videtur quod sequi-

tur major conatus : ergo. Ad hoc dico, primò negando consequentiam, quia cum æquali conatu posito habitu producit major actus : & est communis opinio, sed Durandus hoc negat, quia tenet quod habitus non facit per se majorem intentionem : sed non est probabilis ejus sententia.

Tertiò arguitur : Experientia docet, quod ex frequentatione actuum semper augetur habitus, sed non videtur quòd semper actus sequentes sint intensiores præcedentibus, ergo hoc non requiritur ad augmentum habitus : Dico primò, quòd experientia docet oppositum nam si quis remissè & tepidè operatur, non invenit se promptiorem, quòd tamen esset, si habitus augetur. Secundò dico, quòd regulariter ubi est major inclinatio, est major conatus, & quia habitus auget inclinationem, consequenter qui operatur ex habitu, operatur ex majori conatu, & ideo actus sequentes sunt intensiores. Et sic videtur manere secundum argumentum principale in suo vigore.

Quartò principaliter arguitur pro nostra opinione, quia ut latè probatum est, actus intensior auget habitum solum secundum excessum : ergo actus æqualis, vel minor nil auget. Patet consequentia, quia si actus ut sex, auget habitum ut quatuor, auget præcisè per duos gradus : ergo actus ut tria videtur quòd nihil augeat, idem de actu ut quatuor. Si enim actus auget habitum solum secundum excessum : ergo si non excedit, videtur quòd non augeat. Et confirmatur, quia in naturalibus, ut dictum est, remissiùs agens non auget effectum intensiorem.

Quintò arguitur : Experientia docet, quòd qui remissè, & tepidè operatur, facilè amittit habitum : quòd non esset, si talis habitus augetur : esset enim difficilius mobilis, & firmiter persisteret, quòd non ita contingit. Imò qui consuevit tepidè operari, facilè desinit operari. Plura argumenta possent fieri pro hac opinione, sed ista videntur potiora.

Atqui pro majori declaratione materiae arguitur pro prima opinione contra secundam & tertiam : &

probo, quòd habitus augeatur per quemlibet actum. Et primo arguo argumento facto in principio, quia talis actus etiam remissus, loquendo de habitu charitatis infuso, est meritorius: ergo respondet ei aliquis gradus gloriæ, & gloria correspondet charitati & gratiæ: ergo ratione talis actus augetur gratia & charitas. Dico primò, quòd non est certum, quid Patres antiqui senserint de hoc dubio, & neoterici quidem ita volunt intelligere. S. Thom. quasi velit dicere, quòd pro actu remisso nec gradus gratiæ, neque gloriæ datur; ipse verò non dicit nisi in 1. dist. 17. q. 2. quòd ad multitudinem actuum charitatis non necessario sequitur augmentum præmii essentialis. Scot. autem in 4. videtur dicere, quòd pro actu remisso sicut habebit quis gradum gloriæ, ita habebit gradum gratiæ in fine vitæ.

Sed quidquid senserint Patres, respondeo per tres propositiones. Prima: Per * quemlibet actum charitatis quantumvis remissum mereretur quis, & habebit majorem gloriam. Hæc propositio videtur esse S. Thom. 1. 2. q. 52. & 2. 2. q. 24. art. 6. licet fortasse super sententias aliter senserit.

Eadem propositio est apertè Scot. Et primò probatur, quia videtur repugnare quòd sit meritorius de condigno, & non detur pro eo præmium.

Item perfecti viri viderentur esse multo iniquioris conditionis, si habentes habitus intensissimos, fortè aliquando elicientes actus minoris intensionis, omnino frustrarentur præmio, qui tamen actus apud imperfectos essent valdè meritorii.

Item videtur facere, quòd Dominus dicit Matth. 10. *Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Item Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sed certum est, quòd per actus remissos charitatis servat quis mandata: ergo pro illis habebit vitam æternam. Item contritio quantumcunque remissa, dummodo habeat alias circumstantias, est sufficiens dispositio ad gratiam & gloriam: ergo multò magis actus charitatis elicitus quantumcum-

eamque remissus erit sufficiens ad idem.

Item omnino videtur absurdum, & acerbum, ut si quis heri habuisset actum ut decem, & habuisset pro illo magnum præmium, quia scilicet habebat habitum remissioem, & hodie quia crevit habitus pro simili actu, nullam mercedem habeat.

Item actu intensiori, ut dictum est, licet augeatur charitas solum penes excessum actus tamen datur gloria proportionabiliter ad totam latitudinem actus: ergo pro actu remisso dabitur etiam proportionabiliter aliquis gradus gloriæ.

Et quidquid sit de argumentis & opinionibus novorum Theologorum, nullo modo dubito de hac propositione, quia ex fide, & sacris literis habemus aperte, quod pro bonis actibus, saltem ex gratia procedentibus, habebimus gloriam in celo. An autem per actus remissos augeatur habitus necne, totum pendet ex opinionibus, propter quas nullo modo debemus discedere à regula, & sinceritate scripturarum, quæ aperte nobis promittunt præmium pro bonis operibus, juxta id: *Ut recipiat unusquisque prout in corpore gessit sive bonum, sive malum.* Hoc certè indignum videtur divinam bonitatem, ut pro actu malo quantumcunque remisso recipiat quis pœnam, & pro actu bono remisso non habeat mercedem.

12. Secunda propositio: Quolibet * tali actu augetur gratia. Hæc patet ex prima, quia si pro illo debetur ei major gloria: ergo talis est dignus majori gloria: & per consequens est gratior. Nihil enim aliud videtur esse gratius, quàm dignius, & magis acceptum ad vitam æternam: ergo qui prius erat gratus ut decem, si pro actu ut duo debentur ei duo gradus gloriæ, jam est gratus ut duodecim. Similiter ergo sicut suprâ diximus, quod per actum intensum augetur gratia secundum totam latitudinem actus, charitas autem solum secundum excessum: ita dicimus quod per actum remissum augetur gratia, non autem charitas.

13. Tertia propositio: * Si per actum remissum non augetur

getur charitas statim, voluntarium videtur dicere, quod augetur in fine vitæ. Nihil enim de hoc est nobis traditum.

Secundo principaliter arguitur pro eadem prima opinione, quia actus minus intensus potest esse magis meritorius quàm actus magis intensus: ergo si per actum intensiorem augetur habitus, etiam per actum minus intensum. Consequentia patet, quia habitus infusus non augetur nisi meritorie: ergo ubi est majus meritum, est majus augmentum. Et antecedens probatur clarè, quia majus meritum est dare totam substantiam pauperibus, etiam per actum remissum, quàm unum denarium per actum intensum.

Respondetur ad argumentum quod petit dubium: An * in augmento habitus infusi habeatur respectus 14 non ad intensiorem gradualem actus meritorii, sed ad quantitatem meriti.

Dubium incidens.

Arg. 1.

Et posset quidem dici probabiliter, quod debeat haberi respectus solum ad intensiorem, quia videtur quod augeatur habitus meritorie, sicut augetur effective, si actus posset augere illum effective: sed si actus augeter effective habitum augeter secundum intensiorem gradualem, & non secundum meritum, ut patet de habitu acquisito, qui augetur ab actu meritorio, non secundum proportionem meriti, sed secundum gradualem, & naturalem intensiorem: ergo similiter videtur dicendum de habitu infuso. Et confirmatur, quia per actum meritorium virtutis acquisitæ augetur habitus infusus: ergo videtur quod proportionabiliter sicut auget habitum acquisitum penes intensiorem gradualem, & non penes meritum, ita augeat habitum infusum.

Arg. 2.

Item quia sicut patet ex superioribus, augmentum charitatis non facit per se ad præmium, sed solum ad intensiorem actum eliciendum. Præmium enim respondet gratiæ, & non charitati: ergo rationabiliter videtur, quod magis in intensiorem charitatis habeatur respectus ad intensiorem gradualem actus, quàm ad meritum.

Sed

Resp. ad dubium.

Sed his non obstantibus, dico probabiliter ad dubium, quòd etiam habitus charitatis, & alii habitus infusi au-
gentur secundum proportionem meriti, & non secundum intensionem gradualem actus. Probatur, quia virtutes infusæ sunt dona Dei, & quodam modo præmia actuum bonorum: ergo omnino est tenendum, quòd melioribus dantur majora dona, & majores virtutes. Sed qui magis meretur melior est: ergo magis augetur in eo virtutes quantumcunque alius habeat actus intensiores, sed non æque meritorios.

Arg. contra hanc resol.

Tertiò principaliter arguitur: Ponamus Petrum in charitate ut octo, & habeat successivè duos actus meritorios, utrumque ut sex: & Paulus item habeat charitatem ut octo, & habeat unum actum ut duodecim. Arguitur sic: In Paulo augetur charitas: ergo etiam in Petro, qui tamen habet actus remissos. Patet consequentia: quia æqualiter merentur, & ex præcedenti determinatione in augmento habituum infusorum, habetur solum respectus ad meritum: ergo si augetur in Paulo, etiam in Petro.

Et quia tangitur eadem difficultas, arguitur quartò, quia actus in continuatione est meritorius: ergo quilibet actus quantumcunque remissus per continuationem potest pervenire ad meritum actus intensioris: sed ut dictum est, intensio fit ratione meriti: ergo per actum remissum augetur habitus: ut verbi gratia, si quis habeat habitum ut octo, eliciat actum ut quatuor, ille actus per continuationem fiat meritorius ut decem, quia certum est, quod quanto majori tempore continuatur, tanto magis est meritorius: & cum quilibet actus continuatur, videtur, quòd quilibet actus remissus augeat habitum.

Arg. 2a

Respondetur, quòd ista duo argumenta petunt dubium: An * data etiam opinione quòd habitus non augeatur per actum remissum, plures actus remissi possint augere habitum, vel etiam unus actui remissus possit equivalere in merito uni actui intenso.

Dubium alterum incidens.

De quo dubio sunt tres opiniones: Prima, quod quomodocunque perveniatur ad meritum actus intensi, sive per multiplicationem actuum, sive per continuationem

2. opinio]

unius actus, augetur habitus: quia, sicut dictum est, intensio habitus infusi fit ratione meriti: ergo sive per multiplicationem actuum remissorum, sive per continuationem unius actus remissi perveniatur ad æquale meritum unius actus intensi, augebitur habitus infusus.

Sed contrà, quia videtur sequi, quod per quemlibet actum quantumvis remissum augetur habitus. Videtur enim quod per continuationem semper veniatur ad meritum actus intensi, maximè tenendo, quod in quolibet instanti continuationis liberè continuatur. Item, quia S. Thom. ut allegatum est in primo distinctione decima septima, dicit, quod per multiplicationem actuum remissorum non necessario augetur charitas, & certè doctores, qui negant intensiorem habitum per actus remissos, non admisissent, quod per continuationem aut multiplicationem talium actuum augetur habitus.

2. opinio.

Ideo est secunda opinio, quod per actus remissos neque continuatos, neque multiplicatos, nunquam augetur charitas: & fortè hæc fuit opinio antiquorum.

Sed contrà: Certum est, quod per continuationem vel frequentationem actuum remissorum fit aliquis melior, quàm alius per unicum actum intensum, & inconveniens videtur, quod qui melior est, non habeat majora dona dei, & per consequens majores virtutes infusas: ergo talis multiplicatio vel continuatio actuum sufficit ad intensiorem habitum.

3. opinio.

Iccircò est tertia opinio media, quod per actus quidem remissos non augetur habitus, sed adveniente aliquo actu intenso augetur habitus, non solum pro illo, sed etiam pro omnibus præcedentibus quantumcunque remissis.

Sed certè hoc videtur esse divinatio, & merè voluntarium. Si enim ratio intensiorem est meritum, & in præcedentibus actibus remissis fuit sufficiens meritum, commentum videtur, quod oportet expectare aliquem actum, qui per se sit sufficiens ad augendum habitum. Et S. Thom. ponit exemplum de guttis cavantibus lapidem, quod ultima cavat virtute præcedentium, & ita est de actibus meritoriis. Unde videtur, quod posito aliquo actu remisso cum præcedentibus, augetur ha-
bi-

bitus, qui tamen per se non sufficeret augere, sicut est de gutta, quæ cavat lapidem.

Dubium ergo est quæ sit verior ex istis opinionibus. Dicam igitur quod probabilius mihi videtur per propositiones. Prima, contra sententiam multorum scho-

*Quæ ex his
opinionibus sit
vera.*

16 lasticorum: Meritum * nullo modo proportionatur intensiõni, hoc est, si dilectio Dei est intensa ut tria non oportet ut sit meritoria ut tria.

17 Secunda: Non * solum non proportionatur meritum intensiõni, sed nec magna multitudo actuum remissorum æquivalet uni actui intenso, & perfecto; volo dicere, quod magis meritoria est una dilectio Dei perfecta, quæ sit verbi gratia ut decem, quàm centum imperfectæ, quarum quælibet sit ut unum.

Probantur ambæ propositiones: Quia difficultas ex parte objecti multum facit meritum, & difficilius est habere unam dilectionem perfectam, quàm centum imperfectas. Item quia magis conforme est præcepto de dilectione Dei, diligere semel Deum ex magno conatu, quam sæpius tepidè, & remissè, quia præceptum est ut toto corde diligamus. Item perfectior est una oratio cum magna devotione, & attentione, quàm multæ tepidæ, & remissæ. Et confirmatur totum hoc, quia certè in æstimatione rerum, plurius æstimatur una res perfecta in sua specie, quàm decem imperfectæ, ut patet in margaritis. Prætiolior enim est adamas magnitudinis avellanæ, quàm centum adamantes minuti etiam si omnes simul sint majoris ponderis, & hoc in omni genere margaritarum. Item in animantibus plurius est equus unus perfectus quam decem imperfecti, & invalidi. Ita certè majoris præcii est unum opus, & officium virtutis perfectum, quam multa imperfecta, & minuta etiam in eadem specie.

Tertia: Idem est dicendum de continuatione. Est enim absurda, & ridicula calculatio scholasticorum, ut si quis in productione actus meretur ut decem, quod in quolibet instanti continuationis tantundem meretur.

18 Dico enim quod * nisi sit magna continuatio, & perseverantia in actu, non duplicatur meritum. Licet possit esse tanta continuatio, & perseverantia, ut etiam sit

majus meritum in continuatione quàm in productione.

Quarta: Quomodocumque * perveniatur ad meri-¹⁹ tum æquale cum actu intenso, sive per multiplicationem, sive per continuationem actus, sine dubio augeatur habitus. Sed hoc non ita frequenter contingit, ut dictum est. Probatur propositio, quia talis est æquè bonus, sicut alius esset per actum intensum: ergo habet etiam æquales virtutes. Videtur enim inconueniens, quòd qui melior est, non habeat majorem charitatem. Si ergo quis fit melior per multiplicationem, aut continuationem, quàm alius per intensionem: ergo habebit majorem charitatem. Item quia augmentum est quodammodo præmium: ergo si est sufficiens meritum, erit etiam augmentum. Item profectò absurdum videtur, quod qui habet charitatem ut viginti, & orans per totum diem per actum meritorium ut decem, & novem non mereatur augmentum charitatis. Hoc videtur conforme dicto S. Thom. 2.2. ubi supra, dicentis, quòd quilibet actus meretur augmentum, licet non statim, sed cùm sufficienter se homo disposuerit, videturque quòd hæc dispositio sit, quando pervenitur ad meritum æquale cum actu intenso. Et per hoc patet ad tertium, & quartum argumentum.

Arg. 5. contra prædicta.

Quinto arguitur, quia videtur sequi ex opinione, quod quantumcunque quis agat ex toto conatu, nunquam in continuatione augebitur habitus. Consequens videtur inconueniens, scilicet, quod nihil operetur ad augmentum habitus, quod aliquis diu perseveret in bono actu. Sequela autem videtur probari, quia demus exempli gratia, quod Petrus habens habitum ut quatuor, eliciat actum ut quatuor, in primo instanti habitus fiet æqualis actui per super adita, & actus manebit æqualis (ut supponimus) in continuatione, & per opinionem actus æqualis non auget habitum: ergo nunquam in continuatione augebitur habitus.

Arg. 6.

Respondetur, quod jam dictum est, quod in augmento habituum infusorum habetur respectus solum meriti, & in continuatione poterit perveniri ad majus meritum, quam sit latitudo habitus, vel quam esset meritum unius actus intensioris, & sic augebitur habitus.

Arg. 6.
 Sexto arguitur: Sequitur quòd cæteris paribus esset melioris conditionis qui elicit primò actum remissum, & postea intensum, quam è contrariò qui prius elicit actum intensum, & postea remissum: verbi gratia, Petrus habens charitatem ut octo, eliciat primò actum ut quinque, postea ut decem, per regulam positam augebitur habitus per septem gradus, & si contrariò eliciat primò actum ut decem, & postea, ut quinque, solùm augebitur habitus per duos gradus. Probat, quia statim cum primò eliciat actum ut decem, jam habitus auctus est per duos gradus, scilicet usque ad decem, & per actum ut quinque sequentem non augetur habitus: ergo omnino sequitur illatum, quod ordo ille actuum multum facit ad augmentum, quod videtur absurdum.

Dico primò quòd fortasse hoc argumentum, & alia similia ostendunt, quòd nostra opinio non caret etiam calumnia, nec bene se expedit à dubiis & difficultatibus, & forsitan oportet ponere aliam opinionem distinctam à tribus recitatis. *Resp. 1.*

Secundo dico, quòd consequens non est majus inconueniens concedere, quàm concedere de habitu acquisito. De quo oportet concedere, quòd si quis habet habitum ut octo, & eliciat primò actum ut novem, & postea ut decem, quilibet actus auget habitum, quia semper invenit habitum remissiorem. Si autem mutato ordine, primò eliciat actum ut decem, & postea ut novem primus quidem auget habitum, secundus vero non, quia invenit jam habitum intensiorem se. Imo de aliis agentibus naturalibus videtur, quòd oportet simile concedere. Si enim primò adhibeatur calefactivum ut quatuor, & postea calefactivum ut octo, utrunque producit, vel auget calorem. Si autem mutetur ordo, & primò adhibeatur calefactivum ut octo, & postea ut quatuor, secundum nihil facit, ut declaratum est: quanquam revera non est simile, quia in habitibus infusis actus remissus, & intensus computantur pro uno actu quantum ad meritum, & sic possunt facere unum augmentum, quòd non potest dici de acquisito. *Resp. 2.*

Septimo arguitur: Quia saltè sequitur, quòd si quis ex habitu intenso habet solùm unum auctum acquisitum, qui *Arg. 7.*

qui etiam per continuationem non perveniat ad meritum intenzi, sequitur, inquam, quod pro illo actu nunquam recipiet augmentum charitatis, cum tamen illo actu fiat melior alio, qui non habet illum actum cæteris paribus.

Resp.

Respondeo, quod omnino consequens videtur concedendum secundum hanc opinionem, & satis est quod augetur gratia.

Ex his omnibus relinquitur, quod de augmento gratiæ eadem est opinio nominalium, id est recentiorum, & S. Thom. differunt tamen ab opinione Scot.

Secundo relinquitur, quod profectò non est certum, sed valde dubium, quomodo fiat augmentum charitatis, & virtutum infusarum. Neque mihi per omnia placet etiam opinio S. Thom. recitata, neque possum ex sententia satisfacere dubiis emergentibus ex illa.

Tertiò, videtur tamen quantum ad hoc probabilius, quod non per quemlibet actum augetur charitas.

Quartò, posset nihilominus defendi probabiliter, quod per quemlibet actum augetur charitas non admodum quidem quo adversarii putant, sed ut dicamus, quod charitas ut decem, augetur per actum ut duodecim, per duos gradus, & per actum ut sex, per unum gradum, & per actum ut tria, per dimidium: & sic proportionabiliter, & demum in hac materia facilius esset mihi dicere quid est falsum, quàm quod est verum.

SECUNDA PARS

DE DIMINUTIONE CHARITATIS.

Questi

IN secunda parte relectionis agendum est de diminutione charitatis: Duobus * autem modis intelligi potest, aut 20 disputari, quod charitas diminuatur. Uno modo per peccatum veniale. Alio modo per peccatum mortale, ita quod ratione illius aliquis ad minorem charitatem, & gratiam resurgat, quàm priùs habuerat. De primo modo dubitatur, an * per peccatum veniale diminuatur charitas vel 21 gratia.

Arg. pro parte affirmativa.

Et videtur quod sic, quia quanto crescit offensa, tan-

to minuitur gratia, ut patet in omni vita civili. Tantum enim aliquis cadit à gratia alicujus, quantum illum offendit. Sed veniale peccatum est offensa Dei: ergo minuit gratiam.

In contrarium est, quia sequitur, quòd multiplicatis, venialibus tollerentur gratia, & charitas. Omne enim finitum per ablationem finiti consumitur.

*Pro parte
neg.*

Respondeo: Opinio est Altisiod. celebrata in scholis, quòd peccata venialia minuunt charitatem, quæ impugnatur ab omnibus doctoribus tam antiquis, quam neotericis. De qua opinione, & quæstione pono duas propositiones.

Prima: Opinio Altisiod. non tam improbabilis est sicut solet videri in scholis. Probatur, quia pro illa sunt argumenta habentia apparentiam: & argumenta, quæ solent fieri contra illam, solvuntur apparenter: ergo opinio illa est probabilis.

Argumenta nonnulla sunt pro illa opinione, & primum. Quod factum est, non debet videri ita infirmum: Si enim non imaginaremur gratiam esse habitum, sed hominem esse gratum Deo per voluntatem divinam, quæ habet illum acceptum, sicut homo est gratus regi non per aliquem habitum, facile esset intelligere quomodo per parvas offensas videlicet, peccata venialia, homo redderetur minus gratus, sicut etiam homo est minus gratus amico per multiplicationem etiam levium offensarum. Et certè si licet arguere ab humanis ad divina, non est dubium, quin hoc sit in usu hominum etiam bonorum, ut minuatur amicitia per multiplicationem etiam levium offensarum, quæ tamen non sufficiunt tollere amicitiam. Nescio ergo unde nos divinamus quòd simus ita amici Dei, & ita grati post infinitam multitudinem peccatorum venialium.

Item pro eadem opinione arguitur, quia ex multiplicatione peccatorum venialium redditur homo minus promptus ad actus charitatis, & aliarum virtutum: minuunt enim fervorem charitatis, ut doctores concedunt. Signum est ergo, quòd habitus est minor. Major enim habitus majorem fervorem facit, & majorem promptitudinem, & firmitatem, cujus contrarium experiuntur, qui

qui habent consuetudinem peccandi venialiter.

Ad argumentum in contrarium, quando arguitur, sequitur quòd per multiplicationem venialium tandem tolleretur charitas, & gratia: aliqui dicunt, quòd quando gratia pervenit ad illum gradum, qui possit tolli per unum veniale, jam id veniale fit mortale ex illa circumstantia.

Contra hoc tamen est argumentum, quia quilibet invincibiliter ignorat illam circumstantiam. Nullus enim potest scire, quando gratia est in tali statu. Item oporteret confiteri de tali mortali peccato, quod non est dubium, quin inveniretur in multis, qui caventes à mortalibus, tamen habent magnam consuetudinem venialium. Nullus autem hæcenus inventus est, qui de hoc confiteretur, nec doleret, nec quisquam tale consilium dedit: ergo.

Item arguitur, quia peccatum mortale, quod tollit gratiam, non est gravius mortaliter seipso sine tali circumstantia. Occidere enim hominem in eo qui erat in gratia, non est gravius, vel saltem non est gravius mortaliter, quàm in eo, qui est extra gratiam: ergo per hoc, quòd veniale toleret gratiam non mutaret speciem, nec esset in infinitum gravius.

Item arguitur: Præsupponitur unum falsissimum, quòd aliquis teneatur ad conservationem gratiæ ex speciali præcepto: quod non est verum. Qui enim est in gratia, & adulterat, non peccat contra duo præcepta, sed solum contra præceptum non adulterandi.

Et ideo alii aliter respondent, quòd secundum peccatum, etiam si sit æquale cum primo, non tantum tollit sicut primum, sed solum proportionabiliter, puta si primum tollit unum gradum, secundum tollit dimidium, & tertium quartam partem gradus. Et sic consequenter. Et clarum est, quòd si ita fieret, etiam si in infinitum multiplicarentur peccata venialia, nunquam omnino tolleretur gratia.

Sed isti nullam rationem afferunt, quare secundum peccatum non auferat tantum sicut primum, nisi solum, quia sequitur inconveniens: quod non est satisfacere ad argumenta, & videtur voluntaria solutio.

Et ideo aliter dico, quòd * nullum peccatum veniale

le potest tollere gratiam, etiam si posset tollere partem gratiæ. Et ratio est, quia sicut augmentum gratiæ est quodammodo præmium, ita diminutio est pœna. Si autem aliquod veniale omninò tolleret gratiam, id puniretur plusquam omnia venialia præcedentia. Manifestum est enim, quod majus malum, & gravior pœna est privari uno gradu gratiæ apud eum, qui solum habet illum gradum, quam privari centum gradibus apud illum, qui habet ducentos. Pejus est enim cadere à gratia omnino quam à magna gratia venire ad minimam. Et sic diceremus, quod si quis habet decem gradus gratiæ, per peccatum veniale perdit unum gradum, & per alia venialia multiplicata possunt perdi octo: sed cum venit ad decem, nullum veniale, nec quæcumque venialia possunt tollere totum illum gradum, sed poterit tollere vel dimidium vel tres partes. Nec hoc est voluntariè dictum. Quia gravius est habenti unum gradum perdere dimidium, quam habenti centum perdere decem: sicut & major pœna est habenti decem aureos perdere omnes, quam habenti mille perdere viginti: & gravius est habenti decem perdere novem, quam habenti centum perdere quinquaginta, & hoc modo possemus elabi ex argumento.

Si hoc non placet, posset aliter dici, quod venialia possibilia in tota vita unius hominis, sunt certa, & determinata, cum sit certum tempus, & per consequens quamvis posset esse innumera multitudo, est tamen certa, est enim aliquis determinatus numerus actuum, quos potest aliquis habere in una hora, & per consequens etiam in tota vita, quæ constat ex finitis horis. Hoc supposito ego dicerem, quod minima gratia, ut puta baptismalis, vel quæcumque alia habet plures partes quam sunt peccata venialia possibilia in tota hominis vita, & unum peccatum veniale non potest tollere nisi unam particulam ex illis. Ut si dicamus, quod venialia possibilia sunt decies centena milia, dico quod quæcumque gratia adhuc habet plures gradus, aut particulas, & licet quodlibet veniale posset tollere unam particulam, nunquam pervenietur ad ultimum. Neque hoc esset tam absurdum.

Et si nec hoc quidem satisfaceret, dicerem adhuc,

quod si quis diu vivit in gratia, & non peccat mortaliter, dato quod committat multa venialia, impossibile est, quin sæpè mereatur, & augeat gratiam, & sic etiam si venialia diminuunt charitatem ex alia parte, augebitur plusquam minuetur. Et sic evadimus illud inconveniens, quod argumentum petebat. Et potest confirmari totum hoc. Quia temperantia acquisita, & aliæ virtutes minuuntur per peccata venialia contraria illis virtutibus, & tamen nunquam possunt totaliter corrumpere virtutes ipsas. Si enim quis semel habeat virtutem temperantiæ, quantumcumque offendat venialiter in materia temperantiæ, nunquam desinet esse temperatus, & sic posset defendi sententia Altfiodorensis.

Sed hoc non obstante est secunda propositio. Opinio communis est contra Altfiod. & est longe probabiliore & quantum ego puto, verior. Et præter argumenta communia contra Altfiod. argumentor sic contra illum, quia sequitur, quod charitas simul augetur, & diminuitur, quia potest quis mereri, & peccare venialiter simul, ut certum est: consequens autem videtur non solum falsum sed impossibile, & malè intelligibile. Quomodo enim potest esse, quod qualitas non extensa pro eodem instanti augeatur, & diminuatur. Et confirmatur, quia si charitas sit ut decem, & peccet quis venialiter peccato, quo meretur perdere unum gradum, & mereatur augmentum unius gradus, hic nulla mutatio fiet in charitate, sed manebit ut decem, sicut prius erat, quod videtur ridiculum dicere, quod mereatur quis augmentum, & non detur ei.

Item quia quæro si postea remittitur veniale, an restituatur gradus gratiæ amissus, necne: si dicas quod sic, frustra ergo fingimus illam diminutionem, cum oporteat concedere, quod quando remittuntur venialia, iterum reditur ad pristinum statum. Si autem neges, contra, quia non debent esse peioris conditionis venialia, quam mortalia, sed per poenitentiam redit homo ad pristinum statum, & restituitur amissa gratia: ergo multo magis per poenitentiam venialium restituatur amissa gratia per venialia. Et confirmatur, quia cum venialia remittuntur, & per quodlibet sacramentum, & per dilectionem Dei semper

per perseverans in gratia recuperaret totam gratiam
amissam ratione venialium, & sic illa diminutio est vana, &
ficta. Et ista sint satis de primo modo diminutionis: de se-
cundo autem, quia nunc non vacat, aliàs disputabimus.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA,

RELECTIO

DE TEMPERANTIA.

Locus relegendus Genes. 9. *Omne, quod
movetur, & vivit, erit vobis
in cibum.*

SUMMA.

1. *Vitam suam propriam quilibet tenetur conservare per
alimentum.*
2. *Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse probi-
bitum homini jure naturali, ostenditur.*
3. *Carnium usus, utrum ante diluvium esset concessus.*
4. *Condimentis, & artificio, an liceat uti ad edendum
cibos suaviores.*
5. *Carnibus humanis an vesci liceat.*
6. *Carnibus humanis vesci, an in extrema necessitate li-
ceat.*
7. *Satisfacere homines Deo, ut faciunt barbari, & jure
divino, & naturali prohibitum est.*
8. *Abstinerere perpetuò à certo genere alimentorum, etiam
in extrema necessitate, utrum sit laudabile Cartusen-
si, quòd etiam secluso scandalo non videatur illicitum in
extrema necessitate abstinere à carnibus.*

per perseverans in gratia recuperaret totam gratiam
amissam ratione venialium, & sic illa diminutio est vana, &
ficta. Et ista sint satis de primo modo diminutionis: de se-
cundo autem, quia nunc non vacat, aliàs disputabimus.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA,

RELECTIO

DE TEMPERANTIA.

Locus relegendus Genes. 9. *Omne, quod
movetur, & vivit, erit vobis
in cibum.*

SUMMA.

1. *Vitam suam propriam quilibet tenetur conservare per
alimentum.*
2. *Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse probi-
bitum homini jure naturali, ostenditur.*
3. *Carnium usus, utrum ante diluvium esset concessus.*
4. *Condimentis, & artificio, an liceat uti ad edendum
cibos suaviores.*
5. *Carnibus humanis an vesci liceat.*
6. *Carnibus humanis vesci, an in extrema necessitate li-
ceat.*
7. *Satisfacere homines Deo, ut faciunt barbari, & jure
divino, & naturali prohibitum est.*
8. *Abstinere perpetuò à certo genere alimentorum, etiam
in extrema necessitate, utrum sit laudabile Cartusen-
si, quòd etiam secluso scandalo non videatur illicitum in
extrema necessitate abstinere à carnibus.*

9. *Cartusienſi an liceret in caſu neceſſitatis extrema carnes comedere.*
10. *Vitam reddere breviorẽ per abſtinentiam, utrum liceat.*
11. *Vitam per abſtinentiam ex intentione reddere breviorẽ, non licet.*
12. *Vitam, quantum quis per alimenta poſſit protelare, non tenetur.*
13. *Uti alimentis, quibus vita brevior reddatur, quando non eſſet peccatum.*
14. *Utens quis ſingulari inedia, & cibo nocuo, quando non excuſaretur à mortali peccato.*

Prima quæſtio, quam in hunc locum ſcripturæ tractare conſtitui, ea eſt: An ſit licitum veſci carnibus humanis?

Pro parte affirmativa.

Et videtur quòd ſic, primò ex loco citato, ubi nulla fit exceptio, & ſaltem videtur, quod non ſit mortale, quia non eſt contra charitatem Dei vel proximi.

Arg.

Secundo, quia nunquam legimus prohibitum ſaltem lege, & jure divino.

Tertiò, quia medici utuntur in pharmacis carnibus humanis, quas vocant carnemonia: ergo.

Pro parte negativa.

In contrarium eſt jus gentium, apud quas ſemper fuit abominabile. Item Ariſt. 7. Ethic. dicit, quod eſt feritas, veſci carnibus humanis.

Duabus partibus circa materiam temperantiæ præſens quæſtio abſolvetur. Prima, utrum homo teneatur conſervare ſeipſum per alimentum. Secunda: An teneatur homo conſervare ſpeciem per uſum matrimonii.

Circa primam partem quærentur novem. Primo: An teneatur abſolutè, & quo jure. Secundo: Utrum liceat uti omnibus alimentis abſolutè, excepta carne humana. Tertiò: An liceat humana carne uti in alimentum. Quarto: An liceat ſatisfacere homines. Quinto: Utrum hac ratione liceat barbaros debellare. Sexto: An liceat perpetuo abſtinere ab aliquibus alimentis extra extremam neceſſitatem. Septimo: An liceat abbreviare vitam per abſtinentiam. Octavo: An in extrema neceſſitate liceat abſtinere à certo genere alimentorum. Nono: An Eccleſia

potuerit prohibere certum genus ciborum, & alimentorum.

Circa secundam partem quærentur tria. Primo quæritur: An aliquando fuerit in præcepto dare operam liberis. Secundo, utrum nunc sit in præcepto. Tertio: Utrum si omninò esset peritura progenies hominum, tenerentur homines dare operam liberis, non obstante voto, aut aliis impedimentis consanguinitatis.

De primo, utrum homo teneatur servare se per alimentum. Videtur quòd non, quia aliàs ægrotus, qui fastidio ciborum non comederet, damnaretur de mortali. Item eadem ratione teneretur sumere pharmacum. Consequens videtur falsum juxta illud Agathæ: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui*; & est inter epistolas Hieronymi ad hoc propositum quædam. Imo nationes sunt, quæ non utuntur pharmacis. Et Cato videtur condemnare usum medicorum apud Plin. lib. 29. cap. 1. Et primum medicum Romam venisse anno ab urbe condita 535. Item condemnato ad mortem per judicem licet non comedere, quia condemnatus ad carcerem, vel ad mortem, non tenetur fugere.

Quest. xii
Arg.

II Respondetur, & sit prima propositio: Quilibet * teneatur conservare propriam vitam per alimentum. Probatum primo, facere contra inclinationem naturalem, est illicitum: sed ad conservationem propriam vescendo est inclinatio naturalis: ergo non conservare se est illicitum. Major probatur, quia inclinatio naturalis, vel sequitur ex jure naturali, vel è contrariò jus naturale oritur ex inclinatione naturali, & sive hoc, sive illud sit, facere contra inclinationem naturalem, est facere contra jus naturale: hoc autem est illicitum: ergo. Minor probatur, quia omnia animalia naturaliter inclinantur ad utendum alimentis, & inclinatio naturalis est, quam non usus, aut ratio, sed natura impressit. Sicut jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. *Instit. De justitia, & jure, §. Jus naturale, & ff. Eodem titulo, leg. Jus naturale.* Et confirmatur, quia hoc modo probamus multa alia esse illicita, sicut probamus quòd gravius peccant parentes, si odio habent liberos, vel etiam frater fratrem, aut consanguineus consanguineum, quia est contra naturalem inclinationem.

Respond.

(1)
Matth. 22.

Secundo, quilibet tenetur diligere seipsum, sed non conservando vitam suam facit contra dilectionem sui: ergo illud est illicitum. Major probatur, quia est præceptum diligere proximum sicut seipsum. (1) Si ergo non teneretur homo diligere se: ergo nec proximum.

Tertio, qui non utitur alimento necessario ad conservationem vitæ, interficit se ipsum: Sed interficere se ipsum est illicitum: ergo. Major patet, quia non pascere proximum tempore necessitatis, est occidere illum, juxta illud Ambrosii: *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*; lib. *De officiis*, & habetur dist. 86. Minor autem patet, quia ut August. dicit in primo de Civitate Dei: *Qui dixit, non occides, non excepit se ipsum*. Unde cum occidere se ipsum, sit occidere hominem, est illicitum. Item Hieronymus: *Nihil interest quo pacto te interimas: quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate vel manducandi penuria immoderatè corpus affligit*. Et S. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 3. ad 3. dicit quòd Adam etiam peccasset, si non sumpsisset cibum necessarium.

Resp. ad
Arg. pro parte
negat. posita.

Ad argumenta in contrarium, ad primum dico, primo, quòd si voluntariè quis abstineret se à cibo, ut legimus apud Valerium, & Plinium de aliquibus apud gentiles, non est dubitandum, quin peccarent mortaliter, quamvis illi simul cum aliis erroribus putarent illud esse laudabile. Secundo dico, quòd si ægrotus potest sumere cibum, vel alimentum cum aliqua spe vitæ, tenetur sumere cibum, sicut teneretur dare ægrotanti. Tertio dico, quòd si animi dejectio tanta est, & appetitivæ virtutis tanta consternatio, ut non nisi per summum laborem, & quasi cruciatum quendam ægrotus possit sumere cibum, jam reputatur quædam impossibilitas, & ideo excusatur, saltem à mortali, maximè ubi est exigua spes vitæ, aut nulla.

Ad confirmationem respondetur. Primo, quod non est simile de pharmaco, & alimento. Alimentum enim per se est medium ordinatum ad vitam animalis, & naturale, non autem pharmacum: nec tenetur homo adhibere omnia media possibilia ad conservandam vitam, sed media per se ad hoc ordinata.

Secundo etiam dicimus, quod aliud est mori ex defec-

tu alimentum, quod imputaretur homini, & esset mors violenta: aliud ex vi morbi naturaliter ingruentis. Et sic non comedere, esset se interficere: non sumere autem pharmacum esset non impedire mortem aliunde imminentem, ad quod non semper homo tenetur. Constat enim quod aliquando posset quis licite defendere vitam suam, & non tenetur: & aliud est non protelare vitam, & aliud abrumpere. Secundum semper est illicitum, non autem primum.

Tertio dicimus, quod si quis haberet certitudinem moraliter, quod per pharmacum reciperet incolumitatem, sine pharmaco autem moreretur, non videtur profecto excusari à mortali: quia si non daret pharmacum proximo sic ægotanti, peccaret mortaliter, & medicina per se etiam ordinata est ad salutem à natura. Sed quia hoc vix potest esse certum, ideo non sunt damnandi de mortali, qui in universum decreverunt abstinere à pharmacis, licet non sit laudabile, cum creaverit Deus medicinam propter necessitatem, ut ait Salomon.

De secundo: Utrum liceat omnibus alimentis uti, & loquimur in genere exceptis carnibus humanis. Primo videtur quod non, ex veteri lege, ubi prohibentur multa, ut patet Levit. II. tam ex animalibus terrestribus, quam ex aquatilibus, & volatilibus. Nec satis est dicere quod erant præcepta cæremonialia. Quorsum enim attinebat prohibere tam multas species quadrupedum, volucrum, & piscium? Nec videntur habere aliquod mysterium saltem omnia, sed videntur præcepta moralia: ergo non cessaverunt: cæremonialia enim pertinebant ad cultum Dei: Exod. 18. Item Genes. 9. videtur primo concessus usus animalium: ergo saltem antea erat prohibitus. Et Genes. I. dicitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen.* Ubi nihil habetur de animalibus: ergo saltem ante diluvium non licuit uti omnibus.

Item post legem Evangelicam. Act. 15. indictum est etiam his, qui crediderunt ex gentibus, ut abstinerent se à suffocato, & sanguine: ergo saltem non licet vesci, suffocato, & sanguine.

In contrarium est locus propositus pro themate relectionis, & ibidem legitur: *Omnes pisces maris manus vest-*

Quest. 27

Arg. pro parte
neg.

Arg. 28

Arg. 30

vestra traditi sunt, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.

Respondetur, & sit prima propositio: Nullum * cibi, aut alimenti genus fuit, aut est prohibitum homini jure naturali. Probatum, quia omnia sunt propter hominem, juxta illud: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, &c.* Sed homo non potest uti majori parte illorum, nisi in alimentum: ergo nihil est prohibitum. Et confirmatur ex illo: Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus caeli, & universis animantibus, quae moventur super terram.* Sed dominium est jus assumendi aliquid in suam facultatem, & homo non potest uti multis animantibus nisi in alimentum: ergo. Secundo: Quod est prohibitum jure naturali, potest cognosci ratione naturali: sed nulla ratione naturali potest cognosci, quod sit aliquod alimentum prohibitum: ergo.

Item quia non est major ratio de uno quam de alio, si ergo unum esset prohibitum: ergo omnia: quod non est dicendum. Tertio: Deus, & natura nihil faciunt frustra, sed essent frustra alimenta, si non liceret vesci illis: ergo. Quarto, ut ait S. Thom. 1. p. q. 96. art. 1. *Omnia animalia sunt naturaliter subdita homini.* Probatum, nam imperfectiora cadunt in usum perfectiorem, sicut materia est propter formam, & plantæ propter bruta: ergo bruta propter homines. Unde Philosophus. 1. Polit. infert, quod venatio sylvestrium animalium est justa, & naturalis, quia per eam vendicat sibi homo quod est naturaliter suum: & majori ratione est dominus homo aliarum rerum. Dicitur enim: Genes. 1. *Faciamus hominem, ut præsit universæ creaturæ.* Et confirmatur 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Moralia autem præcepta non cessaverunt: ergo non est de jure naturali prohibitus aliquis esus. Unde S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. ad 1. ait: *Nulla genera ciborum immunda sunt immunditia culpæ ex natura sua.*

Unde Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c.* Et Actuum 10. cum Petrus vidisset linteum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, audivit: *Occide, & manduca.* Et cum respondisset Petrus:

Absit à me domine, quia nunquam manducaui commune, & immundum: facta est vox ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Item Aug. contra Faustum lib. 6. *Nihil est immundum ex natura sua.* Et disputat hoc ad longum contra Manichæos.

Item S. Thom. 1. 2. q. 103. art. 4. ad 3. citans illud: *Omnia munda mundis.* (1)

August. lib. 6. contra Faustum, cap. 8. ad hoc sunt: *Omnis creatura Dei bona est, omnia enim que naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt, & nemo in eis peccat.* Manichæi autem carnes omnes immundas dicebant, & habere animas humanas.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum dico, quod omnia illa præcepta computantur inter cæremonialia, ut patet ex S. Thom. 1. 2. q. 101. art. 1. Et ad rationem in contrarium respondet S. Thom. ibidem: *Ad primum dicendum, quod ad cultum diuinum, non solum spectant sacramenta, & huiusmodi alia, que immediate ad Deum ordinantur, sed etiam debita præparatio colentium Deum ad cultum ipsius: quod fit per certam rationem etiam cibi, & potus.* Sicut etiam Ecclesiastica jejunia in pro festis sanctorum spectant ad cultum diuinum. Omnes autem cibi, qui prohibentur Judæis, habent aliquem modum corruptionis, & immunditiæ, sicut S. Thom. eleganter declarat ibidem, & q. 102. art. 6. præter hoc, quod in multis observantiis ciborum etiam continebatur figura, & mysterium Christi, & sacramentorum ejus. Vel etiam potest dici, quod erant præcepta judicialia, quia spectabant ad bonam gubernationem populi.

Ad aliud, quod est majus dubium, augetur dubium, quia illa observantia perseveravit in Ecclesia non solum tempore Apostolorum, sed etiam multò post. Erat enim temporibus Tertuliani, ut patet in Apolog. cap. 9. & in Synodo Gangres. & habetur dis. 30. inter errores illic damnatus. Sic habetur: *Si quis carnem manducantem ex fide cum Religione præter sanguinem, & idolo immolatum, & suffocatum crediderit condemnatum, anathema sit.* Et idem Rabanus in Pœnitentiario, & quotquot ante quadringentos annos fuerunt, imò ajunt Græcos hodie obser-

(1)
Tit. 1.

Ad Arg. contra
hanc 2.
conclus. resp.

vare, & abstinere se à sanguine, & suffocato.

Ad hoc respondet S. Thom. 1.2. quæst. 103. art. 4. ad 3. quòd hæc sunt prohibita, non ad observantiam legalium, sed ut ab initio posset coalescere unio Gentilium, & Judæorum. Judæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum erant abominabilia, & ideo interdicta sunt Gentilibus: sed cessante causa, cessavit effectus, adveniente lege libertatis, & luce evangelica, nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur. 1. Tim. 4. Idem dicit 4. dist. 1. quæst. 2. art. 1. Item super Matth. c. 15. *Licet antiqui dixerint, inquit, quod ab his abstinendum est, adhuc, quia immunda sunt.* Unde S. Thom. bene viderat Tertullianum, & Concilium Gangren. & Rabanum: hoc enim intelligit per antiquos. Ex quo sequitur, quòd illud fuit præceptum juris apostolici, non divini.

*Quæst. in-
videns.*

Sed quæritur, quando cessavit obligare. Respondetur, primò. Per contrariam consuetudinem potuit abrogari, quia est præceptum humanum, quod per contrariam consuetudinem potest abrogari, ut patet ex S. Thom. 1.2. q. 97. art. 3. & Doct. in cap. 1. de Treug. & pac. & cap. fin. de consuetudine, & in l. *De quibus*, ff. *De legibus*. Unde cum jam abhinc quadringentis annis sit consuetudo in contrarium, abrogatum est illud præceptum. Ex quo sequitur, quòd si adhuc apud Græcos durat consuetudo abstinendi à suffocato, & sanguine, non esset licitum apud illos frangere illud præceptum Apostolorum. Dico si sola consuetudine ablatum est præceptum. Hoc est probabile, sicut in nostra Ecclesia fuisset peccatum ante sexcentos annos.

Et ideo potest dici secundò, & melius, quòd cessante in universum ratione legis positivæ, cessat vis legis, etiam sine alia abrogatione legis, nec spectata consuetudine: quia ipso facto, quòd lex est inutilis, non habet vim obligandi: quia si à principio legis ita fuisset, irrationabilis esset, & per consequens nec obligatoria, maximè cum esset onerosa. Sic autem est in proposito. Tota enim ratio legis illius fuit societas, & communicatio conversorum ex Judaismo, & Gentilitate, quæ ratio jam nulla est. Unde sequitur, quòd non

solùm jam inducta consuetudine in Ecclesia, sed ante omnem consuetudinem licebat vesci sanguine, & suffocato, dummodo intelligeretur causam cessasse, & ideo S. Thom. ubi suprà, non fundat facultatem vescendi illis in consuetudine, sed in eo, quòd causa legis omnino cessavit. Sicut si in tempore belli fiat aliqua lex, quæ pro illo tempore est necessaria, cessante bello, ipso facto cessat lex, etiam si non exprimantur in lege.

Imò puto, quòd tempore Apostolorum non servaretur illa lex ubique sed solùm ubi erat necessaria ad illam communicationem utriusque populi. Fortè verum est, sed nescio cum duraverit tandiù post etiam ubi non erant Judæi. Sed etiam facit, quod 1. Corinth. 10. dicitur: *Omne quod in macello venit, manducante, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Et quòd illa fuerit causa illius præcepti, patet, quia eodem contextu, prohibetur comedere idolothitum sive immolatum. Sic enim habetur: *Ut abstineatis vos ab immolato, similiter, & sanguine, & suffocato.* Sed tota ratio quare prohibebatur comedere immolatum, erat propter conscientias aliorum, non autem quòd de se aliquid mali contineret, ut patet per Apostol. 1. ad Corinth. 8. ergo idem dicendum est de suffocato, & sanguine.

Et ex eodem patet, quòd etiam tempore Apostolorum licuisset gentibus extra communionem Judæorum viventibus, comedere suffocatum, & sanguinem, quia non obstante interdicto de idolothyto, licebat sine scandalo comedere idolothyto, ut patet ex verbis Apostoli. (1) *De his autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Et infrà: Quidam autem cum conscientia usque nunc, quasi idolothyto manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit cum, qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma, edificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conscientia*

(1)
1. Ad Cor. 8.

tia frater, propter quem Christus mortuus est

Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccantis. Ex quibus verbis manifestè patet, quod vesci immolatis, non erat illicitum, nisi propter scandalum infirmorum: ergo eadem ratione ubi non erat opus abstinere à suffocato.

Sed licet illud videatur probabile, tamen etiam potest dici, quòd non est simile de idolothyro, & suffocato, & sanguine: quia idolothyrum prohibitum est solum propter scandalum, & ideo ubi non erat scandalum, non erat opus illa abstinencia, sed de suffocato alia fuit ratio, scilicet ut coalesceret amicitia inter utrumque populum: & quòd licet illa fuerit ratio, tamen mandatum fuit absolutum, & sic non est simile. Et præterea posset quis respondere, quòd cum Paulus scripsit epistolam illam, non erat facta prohibitio, cum Concilium illud fuerit quindecim annos saltem post passionem Christi, sed ratio temporum non consentit, & certe epistola fuit posterior Concilio.

Sed potest aliter probari, quòd non fuerint propter rationem scandali prohibita: quia eadem ratione prohibita fuissent alia legalia: ergo alia fuit ratio, ut arguit Altisiod. lib. 4. in propria quæstione de suffocato, & sanguine, dicens, quòd ad literam illud præceptum non fuit de suffocato in illo sensu, sed ne occiderent homines, id est, ne suffocarent minus potentes, & ne effunderent sanguinem humanum.

Sed hoc est contra omnes Doctores. Et Hieronymus expressè super illud Ezechiel. 44. *Omne morticinum, & captum à bestia de pecoribus, & avibus, non comedent Sacerdotes:* ait. Ne comederent illud, cujus sanguis effusus non est, quòd Epistola Apostolorum decreverat.

Sed contra arguit Altisiod. & bene. Quia si illud præceptum erat ceremoniale, contra, quia beatus Petrus in illo Concilio dixit: *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quòd nec nos, nec patres nostri potuerunt portare?* Sed per gratiam domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum, & illi Act. 15. Ex quo patet, quòd sententia Petri fuit, quòd non imponerentur illis ceremonialia. Et Jacobus ibidem dicit:

Ego

Ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum. Et aliter potest argui, quia profectò si solum illud præceptum erat eis impositum, quia Judæi abominabantur suffocatum, & sanguinem, & ut possent simul convivere Judæi, & Gentiles, contra, multo magis abominabantur carnes suillas, de quibus tamen nihil prohibetur, non ergo videtur illa causa: Sed certè, quòd liceret.

Et Clitoveus in antilibr. 1. cap. 21. ubi dicit, quòd non peccabant comedentes de immolatis, nisi illorum manducatio generaret aliis scandalum.

Et etiam ex Apostolo ad Rom. 14. videtur haberi ubi per totum capitulum sine exceptione videtur ipse Apostolus diffinire, quòd nihil est immundum nisi ex conscientia, vel scandalo. *Confido*, inquit, *in domino Jesu, quòd nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* Et S. Thom. dicit illic nihil esse prohibitum.

Est etiam determinatio expressa in Concilio Florentino, quod vide in doctrina quæ ibi datur Armeniis, ubi sic legitur: *Firmiter credimus omnem creaturam Dei bonam esse, nihilque rejiciendum quod cum gratiarum actione suscipitur, quia juxta verbum Domini: Non quòd intrat per os, coinquinat hominem: Illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad ceremonialia asserit pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt. Illam etiam prohibitionem Apostolorum ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, dicit illi tempori congruisse, quo ex Judæis, atque Gentilibus, antea diversis ceremoniis, moribusque vivebant, & cetera: & determinat, quòd jam cessante causa, cessat effectus, & nunc nulla est differentia facienda.*

3 Ad aliud: Utrum * ante diluvium esset concessus usus carniùm, S. Thom. quidem 1. 2. q. 102. art. 6. ad 2. dicit, quòd esus carniùm videtur esse post diluvium introductus. Tunc enim Genes. 9. dictum est: *Quasi olera videntia dedi vobis omnem carnem.* Et hoc ideo, quia à terra nascentia magis pertinent ad simplicitatem vitæ, esus autem carniùm ad quasdam delicias, & curiositatem vivendi.

*Ad Arg. 2. a
pro parte neg.
hujus. quasi.
resp.*

di. Et Rom. 14. super illud: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet*: dicit S. Thom. à terra nascentia fuerunt concessa homini ad edendum. Primo secundum illud Genes. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Sed post diluuium primò legitur concessus usus carniū. Unde legitur Genes. 9. *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*: Scilicet animalium genera. Ex quibus verbis S. Thom. videtur dicere, quòd ante diluuium non solūm non fuerint in usu carnes, sed nec fuerint licitæ.

Sed quicquid sit de hoc, videtur primūm, quòd de jure naturali non essent illicitæ, ut supra probatum est. Et confirmatur, quia per legem Christi non est aliquo modo abrogata lex naturalis: si ergo nunc licet vesci carni- bus, non ergo est contra jus naturale. Secundo vide- tur quòd non fuerit prohibitum lege divina etiam ante diluuium. Probat: Primò non habetur talis prohibi- tio.

Secundo illa dicebatur ætas legis naturæ, quia sci- licet regebatur lege naturali, sine aliis præceptis, saltem erant paucissima. Et S. Thom. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 4. dicit generaliter, quòd ante legem Moyfi nulla lege erat prohibitus usus carniū aliquorum animalium, sed so- lūm propter abominationem, vel consuetudinem absti- nebant homines ab aliquibus. Ita ergo potest dici, quòd si ante diluuium non erat usus carniū, hoc erat solūm ex consuetudine, non ex aliquo præcepto divino spe- ciali.

Nicolaus tamen Genes. 9. dicit, quòd tunc primò fuit concessus usus carniū, quia terra jam non erat adeo fructifera, acceperat enim detrimentum magnum ex dilu- vio. Idem dicit Abul. ibidem propter eandem rationem, scilicet quod ante diluuium non erat concessus usus car- niū. Et Genes. 1. dicit idem Abul. *Hic taxauit Deus ci- bos hominibus, ut scilicet carnes non comederent, sed fruc- tibus vescerentur.* Et facit quod Genes. 1. dicitur: *Ecce de- di vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & uniuersa ligna, qua habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, &c.* Unde videtur, quod non habuerunt aliud in escam.

Confirmatur, Genes. 9. ostenditur naturalis usus car-
 nium ibi: *carnem cum sanguine non comedetis*: ergo om-
 nino tunc cœpit usus vel concessio. Et Arist. 7. Ethic. c. 5.
 comedere carnes crudas numerat inter vitia feritatis. Hoc
 etiam Boent. videtur dicere de Consolatione lib. 1. *Fel-
 ix initium prior atas contenta dulcibus arboribus, nec inertis per-
 dita luxu, facileque sera solebat jejunia solvere glande*. Et
 Ovid. in 1. Met. *Contentique cibus, nullo cogente creatis:
 Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant. Cornaque,
 & in duris herentia mora rubetis. Et quæ deciderant, pa-
 tula jovis arbore glandes*. Et Pythagoras suos carnibus
 abstinere docuit. De quo Ovid. 10. Met. *Parsite mortales,
 sapibus temerare nefandis Corpora*. Et alia eleganter di-
 cit: Argumentum est certè, quod antiquus ille mos man-
 sit in memoria hominum, nec Poetæ hoc finxerunt, sed
 acceperunt ex antiquitate.

Solus Cajetanus: (1) dicit etiam ante diluvium licitè
 usus carnibus. Quod probat, quia Genes. 4. laudatur Abel,
 qui offerebat de primogenitis gregis sui, & de adipi-
 bus eorum, id est de pinguioribus. Si enim non vesce-
 bantur illis, quæ laus erat afferre pinguiores? Vel in quem
 usum habebant greges? Et tamen Hebr. 11. laudatur Abel,
 quod potiorem hostiam obtulit quam Cain.

Sed ad hoc alii respondent, quod causa pellium, &
 vellerum ad vestitum, & etiam lactis, quod edebant.

Sed contra, etiam lac non legitur concessum: ergo
 non erat usus propter lac. Item quid de volucribus ci-
 curibus, & Gallinis? Quem ad usum nutrivissent? Nam
 nec ipsa ova concessa fuerant. (2) Et posset facere ad Ca-
 jetanum, quod (3) dixit Dominus Noe, ut tolleretur de
 animalibus mundis septena, & septena, de immundis ve-
 ro, duo & duo. Videtur enim quod munda vocentur
 idonea ad vescendum, alia verò immunda. Sed S. Thom.
 1. 2. quæ. 103. art. 1. ad 4. dicit, quod munda, & immun-
 da distinguebantur quantum ad sacrificium. Sed idem Ca-
 jet. 2. 2. q. 148. art. 2. ad 3. Martini, dicit, quod Deus pri-
 mo Adæ dedit in escam vegetabilia, deinde Noe dedit
 animalia.

Profecto primum videtur certum quod scilicet in sta-
 tu innocentie non fuissent usi carnibus in alimentum:
 quia

(1)
 Genes. 9.

(2)
 Genes. 1.
 (3)
 Genes. 7.

quia ligna, & plantæ fuissent sufficientia ad vitam. Et omnino non videtur dubitandum, quin sequuti fuissent illam institutionem Genes. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Secundo apparentiam habet, quod ante diluvium non fuissent usi carnibus, & videtur ex illa prohibitione Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comeditis.* Vel enim prius comedebant carnes, aut non. Si comedebant, vel cum sanguine, vel non. Si comedebant carnes, non tamen cum sanguine, videtur quod non esset opus illo novo præcepto. Si cum sanguine, tunc oportebat reddere rationem quare Deus antea permiserat, & tunc de novo prohibebat. Unde videtur profecto, quod tunc cœpit usus, & ideo docuit dominus naturalem modum comedendi.

Et tunc hoc tenendo oportet dicere, quod licet non esset prohibitum jure naturali, erat prohibitum jure divino. Nec enim est dubitandum, quin haberent aliqua præcepta à Deo, quæ tamen non sunt scripta: vel cum conceduntur eis plantæ, videntur negata animalia: vel fortè solùm ex consuetudine erat, & non ex aliquo jure.

Tertio potest teneri cum Cajetano, quod erat usus animalium, licet fortè non ita communis sicut postea fuit, licet Avicena 1. Canon. dicat veteres non nisi in prandiis usos carnibus, in cœna vero solo pane. Posset etiam confirmari, quod non esset licitum ante diluvium vesci carnibus quia Genes. 9. non conceduntur plantæ, & ligna, quæ erant prius concessa, sed solùm animalia: ergo postquam conceduntur animalia, signum est, quod non erant prius concessa.

Sed pro opinione Cajet. facit si ante diluvium non sunt usi carnibus, nec etiam piscibus, quia idem est iudicium, & eodem modo fuerunt de novo concessi. Genes. 9. & Genes. 1. solùm conceduntur, de quo tamen doctores non faciunt mentionem. Fortè non erat præceptum de abstinentia carniùm, sed inspiratio interior, quæ non facit præceptum. Item quid Noe comedebat in arca? Et probatur omnino, quod esset usus animalium.

Et arguitur, non videtur quod esset usus in sacrificiis,

ciis, si non esset usus, & utilitas rerum? quia videtur quòd non sit sacrificium de re nullius utilitatis, videlicet, si quis combureret paleas inutiles, vel serpentem, vel corium, tunc ergo quæritur, utrum facerent sacrificia, vel ablationes columbarum, vel turturum. Si sic ergo erant utilia ad aliquos usus, & non nisi ad edendum: ergo, &c. Si non, contrà videtur, quòd fieret sacrificium ex eisdem rebus, ex quibus fiebat in lege scripta; Sed in lege fiebat oblatio columbarum, & turturum: ergo, &c.

Item Genes. 7. mandatum est Noe, ut tolleret in arca de animalibus mundis septena, & septena, & de immundis duo, & duo, & sic ut dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 4. intelligitur quoad sacrificium. Tunc quæro, an ex columbis, & gallinis fuerint septena aut bina. Omnino septena, quia oportebat illa plus multiplicari: ergo erant munda: ergo erant in sacrificiis, & oblationibus: ergo erant inutilia, sicut corvi, sed utilia, ad edendum scilicet. Et S. Thom. ubi suprâ respondens ad illud Genes. 7. dicit quòd non erant munda quo ad esum, sed quia nulla lege erant prohibita, videtur quòd simpliciter loquebatur etiam ante diluvium, quia illa distinctio erat ante diluvium, nec de hoc potest haberi major certitudo.

Et sic patet solutio argumentorum, & conclusio universalis, scilicet quòd nullum est genus alimenti, nec in animalibus, nec in plantis quo non liceat uti, quantum quidem spectat ad jus naturale, vel divinum.

4 Sed restat dubium: Utrum * liceat uti condimentis, & artificio ad edendum cibos suaviores. Ad quòd breviter respondetur: quòd etiam hoc de se non est illicitum, nam sponsa optat dare sponso poculum conditum. Cantic. 8. & si licet sale condire, imò præcipitur Levit. 2. *Sale*, &c. Quare non aromatibus? Item S. Thom. 2. 2. quæst. 142. art. 2. ad 2. dicit, quòd circa naturales concupiscentias parum peccatur, ut Arist. etiam dicit 2. Ethic. sequendo scilicet naturalem concupiscentiam. Sed circa alia incitamenta concupiscentiæ, quæ hominum curiositas adinvenit, plurimum peccatur, ut sunt curiosè præparati cibi, & mulieres ornatæ, unde idem videtur iudicium de utroque.

Quaest. prin-
cipalis.

Sed venio ad quaestionem propositam: An * liceat vesci carnibus humanis. Prima propositio est: Esus carnis humanae est prohibitus jure divino. Hanc propositionem aliqui probant ex eo, quod dicitur Genes. 9. *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in escam quasi ole-
ra virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Videtur enim illic prohiberi esus carnis humanae, ex eo, quod sequitur: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit sanguinem hominis super terram, fundetur sanguis illius.* Itaque non videtur posse haberi alius sensus illius dicti, nisi de esu humanae carnis. Ita dicit Nicolaus, & Burgens. ibidem.

Sed contra, quia Levit. 7. & 17. prohibetur esus sanguinis, & non est dubium, quod ad literam intelligitur non de humano sanguine, aut carne, sed de quocumque sanguine, sicut etiam decretum Apostolorum *Actuum decimo quinto*: ergo ita etiam intelligendum est illud Genes. 9. & ita intelligebant Judaei. Ut patet ex Josepho, lib. 1. Antiquit. cap. 7. ubi describit historiam illam Genes. 9.

Et ideo Cajetanus in eodem loco, scilicet Genes. 9. dicit, quod prohibetur carnibus vesci humanis illic per verba sequentia, scilicet: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius.* Cajetanus enim non vult, quod illa verba sint consequentia, nec pertineant ad praecedentia illa: *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Sed est nova sententia, & non legit enim, sed *verum*, vel *utique*, sanguinem utique, &c. Itaque sensus est, carnem autem humanam prohibeo vobis, &c. Et quia quicquid licet sumere in alimentum, licet praeparare, & si opus est, occidere: *Prohibeo autem (inquit) vobis uti carne humana in alimentum, quia quicumque effuderit sanguinem humanum, &c.* Sed Septuaginta illic legunt, *Καρνός*, etenim, & ita legunt Interpretes ex Caldæo, & Hebræo.

Sed

Sed adhuc potest bene stare sensus Cajetani, & placet. Itaque in primis verbis, veruntamen carnem cum sanguine non comedetis, ostendit naturalem usum comedendi carnes, scilicet, non crudas, sed coctas, aliud enim est barbarum, & ferale. Postea sequitur, sanguinem enim animarum vestrarum. Quasi dicat, jam statui vobis quid comedere liceat vobis: non enim concedo vobis carnes humanas, requiram enim sanguinem vestrum.

Et ratione probatur, ut à principio arguebam. Illud est abominabile apud omnes nationes viventes civiliter, & non inhumaniter: ergo est injustum. Patet antecedens ex historia. Nam circa Pontum, & Danubium leguntur fuisse feri homines, qui humanis dapibus vescerentur. Et Sydones populi Danubii accolæ parentum, & propinquorum funera victimis, & festo conventu familiarum celebrabant, cadavera autem laniata, & pecorum vesceribus admista, obsonando, epulandoque consumebant. Et Indorum Massageræ propinquos cognatosque cum ad multam senectutem pervenerant, vel aliquo casu morti appropinquarent, jugulatos antè magno epularum apparatu aliis eduliis mistos comedebant. Et Ulysses apud Homerum narrat Lestrygonas immanes homines socios suos veribus affixos comedisse. Et Plinius putat Cajetam fuisse Lestrygonum sedem, quales etiam Cyclopas describit Virgilius 3. Æneidos. Omnes autem historici, & poetæ tanquam feritatem, & inhumanitatem nefandam talem consuetudinem referunt. Consequentia probatur, quia illud dicitur juris naturalis quod natura dicat, & quod apud omnes est commune: si ergo omnes homines sentiunt hoc esse turpe, ita est etiam de jure naturali.

Item probat Cajet. ibidem, quia alimentum ordinatur ad id, cujus est alimentum, & per consequens debet esse ignobilius eo: ergo homo non est alimentum hominis: imò apud Gentiles tanquam infandum scelus habebatur: Unde, & Christianis hoc facinus à Paganis imponebatur, quod in nocturnis sacris infantes occisos comederent, ut est apud Tertulianum in Apol. c. 5. & apud Eusebium in Historia Ecclesiastica.

Item à posteriori, quia omnino essent causa cædis,

& homicidii, ut patet apud Barbaros, qui vescuntur carnibus humanis. Item jus sepulturæ videtur esse de jure naturali, ut quilibet sepeliatur ubi voluerit, ut cap. *Fures* habetur, & cap. *Quasitum* 13. q. 2. & de Poenit. dist. 6. cap. *Si quis*, & de Poenit. & Remis. cap. *Crimen*, quod tolleretur, si liceret vesci carnibus humanis. Item fieret injuria resurrectioni, cum confunderentur corpora hominum. Item sepelire mortuos est opus misericordiæ, ut patet de Tobia, & Simonide poeta: ergo in sepultos abjicere, est impietas. Item Deut. 21. prohibebantur Judæi relinquere in sepulta etiam cadavera maleficorum. Nec solum comedere carnes, sed etiam dare bestiis ad devorandum, est inhumanum, ut legitur fuisse Caspios, Bactrianos, & Hyrcanos, & hoc videtur ex illo loco Genes. 9. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Ubi nihil aliud videtur prohiberi, nisi ne detur bestiis humana caro in alimentum, de hoc enim agitur ibi. Item pro diro, & atroci facinore ponitur, & damnatur etiam à Paganis authoribus, potasse humanum sanguinem: ut patet in conjuratione Catilinæ, apud Salustium, & Lucium Florum. Item est pietas naturalis etiam ad mortuos: ergo non licet abuti cadaveribus eorum. Item est peccatum feritatis comedere carnes humanas, ut Arist. dicit 7. Ethic. cap. 5.

Quest.

Arg. 1. pro parte affirm.

Sed tota difficultas est: An * in extrema necessitate ⁶ liceat vesci carnibus humanis. Et videtur quòd sic, quia, ut in præsentiarum suppono, liceret uti carnibus suillis in veteri lege (de quo postea) in tali necessitate, non obstante præcepto juris divini. Sed tantam vim habet jus naturale sicut divinum: ergo etiam liceret uti carne humana.

Item jus naturale est conservare vitam propriam ut supra concessum est: ergo non obstante alio jure poterunt comedi carnes humanæ ad conservandam vitam.

Item ita est contra jus naturale abscindere proprium membrum, sicut vesci carne humana, sed ad salutem hominis licet abscindere membrum: quare ergo non licebit comedere carnes, si est necessarium ad conservationem vitæ? Item licet uti in medicamenti carne, quam

di-

dicunt Medici Momiam : ergo in alimentis , si esset omnino necessarium.

Hoc tamen non obstante sit conclusio probabilis, quod in quacumque necessitate non licet vesci carne humana. Pater primo, quia habitum est tanquam immane, quod aliqui in obsidione usi sunt tali alimento, ut patet apud historicos. Vide etiam declamationem Quintilianii de eo, qui legatus ad frumentum coemendum non venit. Item si licet, ergo tenerentur homines in tali necessitate vesci tali carni. Cæsequens videtur falsum, cum nunquam fecerint homines, nec aliquis hætenus consuluerit tempore famis, nec obsidionis, nec aliquis hoc auderet. Cæsequentia communiter probatur, quia si licet, & non est aliud medium, videtur quod tenerentur. Et confirmatur ex historia Josephi de bello Judaico, lib.7. cap.8. Ubi Maria Eleazaria filia in extremis quidem angustiis filium occidit, coctumque comedit medium, reliquias autem scelerati facinoris, nec contaminatissimi, & aliàs immanissimi homines edere sustinuerunt, sed tremore correpti, tales epulas sunt adversati, non obstante extrema necessitate.

Resp. ad questionem.

Cajetan. tamen 2. 2. q. 148. art. 2. ad 2. Martini dicit, quod est probabile, quid in extrema necessitate videtur, quod non sit illicitum uti in cibum hominibus occisis in bello, licet aliàs inquit, sit mortalissimum. Martinus etiam, q. 2. de Gula, dicit, quod qui sine necessitate ex sola concupiscentia, & delectatione vesceretur carnibus humanis, peccaret mortaliter. Unde videtur dicere, quod in necessitate non esset mortale, vel non esset peccatum. Abul. etiam 4. Reg. 6. tenet, quod in extrema necessitate non est illicitum.

Sed S. Thom. 2. 2. q. 142. art. 4. ad 3. dicit, quod illa vitia, quæ excedunt humanam naturam, sunt improbabilia, sicut si aliquis delectaretur in comestione carniū humanarum, aut in coitu bestiarum, aut masculorum. Ex hoc videtur, quod S. Thom. putet tam malum comedere carnes humanas, sicut coire cum bestiis, quod in nullo casu est admittendum : ergo nec comedere carnes humanas. Facit etiam quod Arist. 3. Ethic. cap. 1. dicit: **Sunt etiam quædam, ob quæ non licet etiam compulsum,**
sed

sed potius oportet summa perpeſſum tormentà mortem obire.

Et certè mirum eſt, quod etiam ſi omnium iudicio neceſſarium eſſet ad vitam fornicari, non tamen liceret, & quòd liceat comedere carnes humanas, quod multo gravius eſt per ſe.

Sed reſpondent aliqui, quòd fornicatio eſt intrinſece mala, non autem eſus carniùm. Hoc tamen eſt petere principium. Unde enim habetur illa differentia, cùm apud homines omnes ſit abominabilior iſte eſus, quàm fornicatio? Et Almayn in Moralibus, cap. 3. ponit conſiſionem: Nullus metus etiam mortis excuſat actum prohibitum lege naturæ. Ex quo videtur confirmari conſiſio noſtra. Vide illum.

Item ſi hoc in extrema neceſſitate eſt licitum: ergo etiam ſi terrore barbarorum aliquis cogereſur comedere: nihil enim facit an timor ſit ab intrinſeco, vel extrinſeco illatus. Et mirum eſt ſi hoc licet, quomodo nunquam fuit permiſſum nec in obſidione Hieroſolymitana ſub Veſpaſiano, ubi tot millia perierunt fame, nec in obſidione Jeruſalem ſub Joram Rege Iſrael. 4. Reg. 6. Ubi tantæ fuerunt anguſtiæ, ut matres paciſcerentur de mutuo eſu filiorum, præſertim cùm Eliſæus eſſet præſens, qui eos admonere potuit, nec aliquis hoc unquam conſuluit in ultima famè Provinciàrum: ergo nullo modo eſt licitum.

Quæſt.

Quarta quæſtio eſt: Utrum liceat in ſacrificio uti hominis ſanguine. Dato quòd ita ſit, quòd non liceat comedere carnes humanas, an liceat ſacrificare ut Barbari faciunt.

Arg. 1. pro parte affirm.

Et videtur primo quòd hoc non ſit contra jus naturale. Primùm, quia multæ nationes quondam habuerunt in uſu, ut Scithotauri qui advanas Dianæ immolabant, Laodicei virginem Palladi: Arcades Jovi Lycæo puerum, Carthaginèſes Saturno pueros etiam Regiæ nobilitatis: Sapientes etiam Gallorum, Druide: Cimbri, Blemye, humanis litabarhoſtiis, de quo vide Alexandrum de Alexandris, lib. 6. cap. 25. Imò ad propitiandos deos victi Carthaginèſes ab Agathocle. Dicuntur nobilitatis filios maſſaſſe ad aras. Et Germani, & Cimbri, & Senones, & penè omnes nationes hoc in ſacrificiis

ha-

habuerunt ut mundarentur humano sanguine, imò hac superstitione Romani non caruerunt. De quibus legimus, quod ex fatalibus libris Græcum & Græcam in foro Boario vivos defoderunt sub terram ad placandas, scilicet iras deorum. Licuitque diu in factis hominem interimere, & diis immolare. Factumque hoc fuit donec per Cornelium Lentulum, & Publium Licinum Crassum Consules vetitum fuit.

Item Dominus præcepit Abrahamæ sacrificare filium suum Isaac. Genes. 22. Non ergo debuit credere si erat contra jus naturale. Item Jephthe Judic. 11. obtulit unicam filiam in holocaustum, & tamen ponitur inter Sanctos. Hebr. 11. Mirum est autem si hoc erat contra jus naturale, quod ipse non intellexisset, cum esset fidelis, esse impium, vel non admoneretur à sacerdotibus. Et maxime quia habetur, quod *venit spiritus Domini super Jephthe*, & ex illo spiritu vovit votum, quod postea persolvit. Vide S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. & 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 2. ad 3. & Hebr. 11. lect. 7. & August. quæst. super Judic. lib. 7. cap. 49. ubi sub dubio reliquit, an peccaverit necne.

Arg. 2a

Arg. 3a

Item ipse Redemptor noster seipsum sacrificabit in cruce.

Arg. 5a

7 In contrarium ponitur conclusio: Prohibitum * est jure divino, & naturali sacrificare homines Deo. Probatum primo apertè Deut. 12. *Quando disperdiderit dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave ne imiteris eas postquam fuerint te introeunte subversa, & requiras ceremonias earum, dicens, sicut coluerunt gentes ista deos suos, ita, & ego colam, non facies similiter domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios suos, & filias, & comburentes igne.* Item Num. 18. Dominus præcipiens, ut omnia primogenita offerrentur domino, & spectarent ad sacerdotem, primogenita tamen hominum jubet, ut redimantur: *Quicquid enim primum erumpit de vulva cuncta carnis, quam offerunt domino, sive ex hominibus, sive ex pecoribus tui juris erit, ita dumtaxat, ut pro hominum primogenitis pretium accipias.* Ex quo lo-

Resp. ad
questionem.

co August. super Judic. ubi supra, satis dicit significari, quod immolatio quidem humanæ carnis est prohibita, & displicet Deo. Ex quo loco scilicet Deuter. 12. non solum constat esse prohibitum jure divino, sed naturali, quia Gentes non tenebantur alio jure nisi naturali, & tamen computatur inter abominationes eorum immolasse sanguinem humanum.

Sed quæ est ratio? Primum de innocente est clara, quia est contra jus naturale occidere hominem innocentem, cum sit præceptum decalogi. De nocente autem videtur majus dubium. Quid obstat sicut occiditur taurus in honorem Dei, quin homo aliàs maleficus, & impius, occidatur in honorem Dei? An non pro amore Dei licet occidere infidelem? Quare non est sacrificium?

Respondetur, sicut patet ex S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. & clarius q. 86. art. 1. quod sacrificium est, cum aliquid exhibetur in cultum divinum consumendum: non enim sufficit, quod offeratur ad cultum, sed quod consumatur in honorem Dei, unde calix oblatus, non est sacrificium, sed Eucharistia est Sacrificium in Missa. Ex quo sic arguitur: Vel nocens est damnatus, vel non: si non, non justè occiditur, & est contra jus divinum, imò naturale. Nullus enim obligatur ad poenam, antequam condemnatur, si autem est damnatus propter delictum, jam non occiditur ad cultum divinum. Nam si aliàs esset periturus, non occiditur pro Deo, vel honore Dei: sicut nec boves qui occiduntur in macello quantumcunque lanus diceret, imò vellet occidere pro amore Dei, non esset sacrificium, & sic homines nocentes, & condemnati sacrificari non possunt, nec licitè, nec illicitè. Propriè enim sacrificare hominem Deo est, quod illa sit causa occidendi hominem, quod non est de homine aliàs damnato.

Præterea etiam omne sacrificium est oblatio, ut S. Thom. dicit ubi supra. Non offert autem quis, nec dicitur offerre munus rei aliàs inutilis vel perdendæ. Non enim esset vel munus, vel oblatio, si quis vinum, aut ovem profus ad nullos usus profuturam daret Deo, non plus, quàm si lapidem, aut arenam. Offerre enim est ut aliquid sibi homo subtrahat, ut Deo tribuat. Cum ergo
ho-

homo damnatus non sit alicujus pretii, sed perniciosus, non potest ex illo offerri sacrificium, aut fieri, maxime quia Levit. 22. prohibebatur offerri animal quocumque modo morbidum. Unde videtur irreverentia offerre hominem noxium. Restat ergo ut nec ex homine nocente, nec innocenti possit fieri sacrificium Deo acceptum.

Et præterea videtur, quod vita hominis non sit ita propriè in potestate hominis, sicut vita aliorum animantium. Non enim ita est dominus vitæ suæ, vel alienæ, sicut est brutorum, quæ pro suo arbitrio potest perdere, & occidere sine injuria: homo autem etiam seipsum occidens, facit injuriam, & sic videtur, quod vita humana potius sit Dei, qui est dominus vitæ, & mortis. Cum ergo sacrificium debeat fieri ex rebus nostris, quas Deo offerimus, videtur, quod non possit fieri sacrificium humanæ vitæ.

Et in summa quomodo Deus debeat coli, non possumus scire nisi ab ipso Deo: ubicumque autem fuit divina doctrina, & prophetica, nunquam fuerunt hujusmodi sacrificia: ergo omnino nunquam fuerunt Deo grata. Quod si quis contenderet hoc non esse prohibitum jure naturali, excusarem istos barbaros ab impietate, saltem antequàm esset eis prædicata lex evangelica: quia excusabantur ignorantia juris evangelici, in quo non solum sunt prohibita hujusmodi sacrificia, sed quæcumque alia, excepto unico Sacrificio Missæ, ut patet ex Paul. ad Hebr. Quia Christus Jesus introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Nec solum de sacrificio hominis, sed nec de quocumque alio posset reddi ratio aliqua, nisi Deus revelasset: quia cum bonorum nostrorum non egeat potius videtur absurdum occidere in gratiam Dei animal quodcumque. Unde ex ipso solo sciri potest. Et iccirco in statu innocentia nullum fuisset sacrificium.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum patet quid sit dicendum. Primo enim respondetur, quod nunquam aliquæ nationes usæ sunt hujusmodi sacrificio, quin prius essent idololatræ. Unde post tantum errorem idem dæmon, qui suggessit ut deos falsos colerent, etiam persuasit, ut nefariis sacrificiis colerent. Quare ille error non invasit homines, nisi post alios intolerabiles errores

Resp. ad Argu

ut dicit Paul. (1) *Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Secundo patet, quia Deus damnavit sacrilegos illos ritus, ut patet Deuter. 12. Unde etiam Cornelio Lentulo, Publio Licinio Crasso consulibus, ne hominem immolare, neve humano sanguine litare liceret, sancitum est.

Ad secundum de Abraham beatus August. lib. 7. super Judic. cap. 49. dicit, quod dato, quod lege generali prohibita sint hujusmodi sacrificia, tamen jubente domino specialiter possunt fieri bene, & piè, sicut, & seipsum occidere, & innocentes, sicut præceptum est Sauli, ut occideret omnes habitatores Amalech. *Vel fortè, inquit, putavit Abraham dominum filium suum suscitaturum, & sic nullam faceret Isaac jacturam.*

Sed quomodo credidit illud esse à Deo, cum haberet præceptum Dei in contrarium?

Responderur: Illa revelatio videtur fuisse interior, & cui Abraham resistere non posset. *Sed hoc ipso, inquit August. satis ostendit displicere illi hujusmodi sacrificium, quod inhibuit Abraham.*

Ad tertium de Jephthe, beatus August. eodem loco multa dicit. Primum condemnat non solum factum, & sacrificium Jephthe, sed etiam votum, quia votum per se malum fuit: nam non videtur cogitasse de sacrificio pecoris alicujus. Non enim dixit: *Quodcumque exierit obviam mihi, sed quodcumque exierit de januis domus meæ obviam mihi revertenti in pace à filiis Amon: Domino offeram illud in holocaustum.* Nec pecora solent occurrere ducibus à bello revertentibus, nisi fortè canis, qui tamen sacrificio adhiberi non potuit: unde videtur in ipso voto licet non de filia, tamen de homine cogitasse. *Quia ergo de hoc voto, inquit, nec de facto scriptura aliquid diffinivit, sicut de facto Abrahæ, judicandum reliquit nobis ex regulis scripturarum. Et possemus (inquit) dicere, Deo displicuisse tale votum, & ideo permisisse, ut unica filia occurreret, ut de tali voto vindictam sumeret: nec prohibuisse eum 60. dierum spatio, sicut Abraham prohibuit: licet infra eodem capitulo dicat, quod potest etiam dici, quod fecit totum ex spiritu domini, & votum, & factum, & fortasse ut aliqua hu-*
ma-

mana victima : Christi significaretur victima. Quod si verum (inquit) est, non solum ejus insipientia culpanda non est, verum ejus obedientia laudanda. Sed potius videtur stare in prima solutione.

S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. satis concordat cum illa prima solutione, & citat Hieronymum, quod in vovendo fuit stultus, & in reddendo impius. Videntur tamen S. Thom. & Hieronymus non damnare votum: nisi tanquam indiscretum, quod posset habere malum eventum. August. autem videtur damnare secundum se, quasi intentio Jephthe fuerit simpliciter hominem sacrificare. Non enim magnum fuisset, ut pro tali victoria vovisset holocaustum unius bovis, aut arietis. Certè aliquod magnum voluit vovere. Aliter dicit S. Thom. 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. Idem Hebr. 11. lect. 7. Non autem condemnat votum, sed factum, quod securum est. Laudatur verò Jephthe de fide quam habuit. Sicut & Gedeon eodem tenore laudatur à Paulo, qui tamen peccavit sentando Deum in vellere, & faciendo Ephod, post quod fornicata est multitudo filiorum Israel. Poenitentiam verò egisse uterque creditur, ut ait S. Thom.

Sed hoc jam constituto, quod nec sit licitum vesci carnibus humanis, nec sacrificare homines, sequitur quaestio moralis: An si qui habeant hanc sacrilegam consuetudinem, vel ut vescantur tali carne vel sacrificiis tam nefandis utantur, ut sunt barbari isti inventi in provincia Yucatan, id est, in nova Hispania, an possint Principes Christiani sua auctoritate ista ratione bellum illis inferre, & quatenus liceat: & sic hoc non possunt sua auctoritate an saltem ex auctoritate, mandato, vel commissione Summi Pontificis hoc possint. Et quidem Aug. Anthon. Archidiac. & Sylvester dicunt, quod si quæ nationes sint quæ contra jus divinum supernaturale, & revelatum faciunt, coerceri non debent, nec possunt, ut desistant ab illa violatione, ut si qui peccant peculiariter contra legem Christianam, vel olim contra legem Mosaicam. Et ratio est, quia non possunt convinci manifestè quod malè faciant, & per consequens damnari juridice non possunt: & quia nemo indemnatus potest puniri, ideo non possunt illa causa, aut bello, aut alia persecutione:

Quæst. moralis.

coergeri à talibus peccatis.

De illo tandem utrum, * sit laudabile abstinere perpetuo à certo genere alimentorum etiam in extrema necessitate est dubium.

Dubium.
Arg. pro parte
neg.

Et videtur quod non licet, quia (ut suprà probatum est) homo tenetur servare propriam vitam per alimentum: ergo ubi non est aliud alimentum, nisi hujus generis, tenetur illo uti.

Arguitur secundo, quia si liceret, maximè ratione voti, quale dicuntur habere Cartusienfes: Sed hoc non: ergo. Patet minor, quia votum debet esse de meliori bono, ut S. Thom. 2. 2. q. 88. & Doctores 4. dist. 38. Et saltem illud quod sine voto est malum, ratione voti non fit bonum: ut si est malum inebriari, ratione voti non est bonum: sed abstinere à cibo in extrema necessitate est mortale, secluso voto: ergo etiam posito voto. Imò tunc videtur egregiè procedere dictum illud: In malis promissis, rescinde fidem.

Tertio arguitur: Si quis faceret votum abstinendi à carnibus non regulariter, vel semper, ut Cartusienfes, sed solum in extrema necessitate, profectò votum esset stultum, & illicitum. Sed non videtur quòd reddatur melius votum. Quia simul cum hoc voveat abstinere etiam extra necessitatem: ergo, &c. Item plus obligat lex divina, quàm votum: sed Judæus in extremo tenebatur comedere carnes prohibitas: ergo etiam Carthusienfes.

Quarto arguitur: Liceret etiam Carthusiensi in tali necessitate constituto comedere carnes: ergo videtur, quod teneretur. Quia si habet medium licitum ad conservandam vitam, facit contra charitatem non utendo illo: ergo, &c.

Quinto: Nulla lex humana deobligat à divina, sed votum est peculiaris lex: ergo, &c.

In contrarium videtur consuetudo, & authoritas religiosissimi Ordinis Carthusiensis, ubi pro nulla necessitate violatur abstinencia illa à carnibus. Nec valet, dicere, quòd nunquam incidit necessitas, quia certè credendum est, quòd aliqui obierunt, quia non comederunt carnes.

Pro dissolutione quæstionis nota, quod Gerson in proprio tractatu de abstinencia Carthusiensium ponit duas conclusiones principales in sententia. Prima: Carthusiensis in extrema necessitate constitutus, secluso scandalo, tenetur comedere carnes.

Secunda, si ex tali esu carniū sequatur scandalum, puta dissolutio ordinis sui, & religionis, obligatur non comedere carnes. Eisdem ponit Major 4. dist. 38. quæst. 4. & Martinus quæst. *De abstinencia.*

Primam conclusionem probant. Primo, quia talis occideret seipsum non comedendo, juxta illud Ambrosii: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.* Item nulla lex humana potest deobligare à divina, sed iste tenetur lege divina in tali necessitate comedere: ergo, &c. Item nulla constitutio contra charitatem: ergo, &c.

Sed contra primam conclusionem arguitur 2. Machab. 6. Machabæi cum periculo mortis abstinuerunt: ergo licet abstinere saltem Carthusiensibus in quacumque necessitate.

Respondet Gerson quod Machabæi tenebantur abstinere, quia obligabantur lege divina, & non est transgredienda lex divina pro corporalis vitæ salvatione. Et quod David comedendo panes peccasset, nisi habuisset revelationem.

Sed Major aliter respondet, & dicit, quod Machabæi tenebantur ratione scandali, aliàs debuissent comedere, unde illo secluso in necessitate liceret comedere carnes, quia major est obligatio divina servandi vitam suam, quàm alia lex de non comedendo carnem suillam. Et ita dicit Almain in Moral. cap. 3. imò quod tenebantur.

Ex quibus infert Gerson: *Si constitutio Carthusiensis diceret quod non comederent carnes, etiam in extrema necessitate sub pœna peccati mortalis, nescirem, inquit, fateor, constitutionem istam defendere ab iniquitate.* Hæc determinatio Gersonis, & Majoris, est valde probabilis, & maximè declarando primam conclusionem per secundam, scilicet quod ratione scandali potest abstineri in extrema necessitate capiendo largè scandalum, id est si ex hoc, quod Carthusiensis illa occasione vesceretur carnibus inciperet dispensatio, in casibus periculosis quidem, sed pau-

paulatim traheretur ad multos casus, & omnes graves morbi essent occasio solvendæ abstinentiæ, & cum Medici de industria augeant opinionem, & timorem mortis in ægri- tudinibus, passim in infirmariis Carthusienses vescerentur carnibus. Fatetur autem Gerson, quod ne hoc eveniat, bene Carthusienses abstinent perpetuò. Sed tamen in casu occulto, unde non posset nasci occasio, & talis indigeret carnibus, posset comedere, ut ait.

Sed sicut hæc opinio est probabilis, ita contra eam pono conclusionem probabiliter.

Non * videtur illicitum Carthusiensi in extrema necessitate abstinere à carnibus, etiam secluso scandalo. Pro- batur primò. Si comedere carnes in extrema necessitate est præceptum juris divini, ut ipsi dicunt: ergo hoc esset scandalum Phariseorum, de quo non est habenda ratio, juxta dictum Domini: *Sinite illos, ceci sunt, & duces cæcorum.* (1) Tunc enim maximè habet locum Gregorii dictum, scilicet: *Facilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Et confirmatur, quia secundum istos Doctores, talis, qui in isto casu abstineret, faceret contra præceptum negativum, scilicet: Non occides. Sed certum est quod contra præceptum negativum non licet agere ratione scandali: ergo quod liceat Carthusiensibus abstinere in tali casu non est ratione scandali.

Secundo arguitur: Sequeretur, quòd quodocumque esset periculum ne ille moriatur ex abstinentia carni- um; tenetur comedere. Consequens est falsum: ergo. Probat- ur sequela, quia extrema necessitas in moralibus ut certum est, vocatur, quando est probabile periculum. Falsitas consequentis patet ex ipso ritu, & consuetudine Carthusien- sium, qui nunquam de hoc disputant, an indigeant car- nibus, necne. Et dato quod medicus dicat eum aliàs moriturum, non respiciunt ad scandalum, sed omnino negant se duros.

Nec valet responsio Arnaldi de Villanova, qui dicit, quod quicquid potest fieri per esus carni- um, potest fieri per ova sorbilia. Nam ut dicit Major clarum est, quod potest ex assuetudine incidere in fastidium ovorum, & omnino non posse comedere.

Tertio non semper quis tenetur servare vitam per

(1)
Matth. 15.

omne medium licitum, ut patet in multis casibus, ubi posset quis defendere propriam vitam, & tamen ad conservationem virtutis patientiæ quis posset permittere se occidi. Item uxor cum periculo vitæ suæ potest assidere, & assistere viro peste laboranti, etiam ubi non est necesse, sed tantum ad conservationem fidei maritalis: ergo &c.

Quarto non tenetur quis, solum ad conservationem vitæ mutare, puta de consilio Medicorum deserere patriam, quia frigida est, vel aliquid hujusmodi: ergo nec comedere carnes.

Quinto pro defensione patriæ posset quis procedere ad bellum cum probabili mortis periculo, etiam ubi non esset necesse: ergo pro conservatione, & augmento virtutis, & abstinentiæ licet non comedere carnes.

Sexto arguitur, quod non plus liceat comedere secreto, quam publice: quia dato quod illud factum sit secretum, tamen doctrina est publica: & si hoc liceret, non debet oppositum doceri, & si scandalizaret factum, etiam doctrina. Non enim minorem occasionem ruinæ præbet doctrina, quam factum.

Septimo non solum ad conservandum, sed ad augendum virtutem licet subire mortem, ut suppono: sed per hoc, quod Carthusienses abstineant perpetuo, & in universum, augetur illa abstinentia, & virtus: ergo.

Item nullus tenetur ducere uxorem, etiam ubi certo instaret periculum mortis ex castitate, si fecit votum: ergo, &c.

Ad hoc argumentum respondent aliqui, negando consequentiam, quia hoc (ajunt) non est ordinatum ad conservandum vitam. Sed profecto non videtur sufficere: nam maritus si indigeret extreme, videtur quod teneretur accedere ad uxorem: ergo quod non teneatur, est pro bono castitatis, & non quia non ordinatur per se ad vitam.

Tandem pro solutione argumentorum notandum est, quod aliud est non protelare vitam, aliud est abrumpere. Nam ad primum non semper tenetur homo, & satis est, quod det operam, per quam homo regulariter potest vivere: nec puto, si æger non posset habere pharmacum nisi daret totam substantiam suam, quò teneretur facere.

10. Secunda conclusio. In* casu extremæ necessitatis pu-
to

to quòd liceret Carthusiensi comedere carnes, aliàs lex esset intolerabilis. Possent aliter ad quæstionem responderi, distinguendo de extrema necessitate. Aut enim est ex fame, quia nihil habet quod edat nisi carnes, ut posset contingere, & in tali casu posset teneri opinio Gersonis, quòd teneretur comedere, quia tunc fame moritur, quæ est mors violenta, & videtur imputari isti. Alia necessitas potest esse ex ægitudine, & tunc carnes se habent tanquam medicinæ, & posset dici quòd in tali casu non teneretur, quia tunc moritur ex infirmitate, cujus iste non est causa, & sic mors non imputaretur ei. Hoc enim non est se interficere, sed non protelare vitam quantum potest, sicut suprà dictum est de aliis medicinis: & sic maneret salva consuetudo Carthusiensium, qui pro nullo periculo infirmitatis comedunt carnes. Et hæc esset confirmatio conclusionis primæ: Nam si licet abbreviare vitam per abstinentiam carniùm, ut statim dicemus per decem aut plures annos, quare non licebit seni octoginta annorum abbreviare vitam per unum annum ne comedat carnes.

*Resp. ad
Arg. pro parte
negat. posita.*

Ad argumenta in contrarium in principio posita respondetur. Ad primum patet quid dicendum sit, quia tenetur modo regulæ sufficienti, & casus extraordinarii non cadunt, sub obligatione.

Ad secundum respondetur, quòd facere votum solum de hoc, quòd in extrema necessitate non vescatur carnibus nihil bonitatis habet, sed absolutè abstinere à carnibus perpetuò, est bonum, & per hoc patet ad tertium.

Ad quartum negatur consequentia.

Ad quintum nego, quòd illud sit contra legem divinam: imò videtur, quòd secluso voto si quis proposuisset nunquam comedere carnes, posset abstinere etiam in extrema necessitate. Fateor autem si regulariter, & sæpe contingeret, quòd morerentur ægrotantes ex abstinentia carniùm, quòd non deberet servari, sicut si ut plurimum navigantes perirent, non esset licitum navigare, nisi pro majori bono, quàm sit vita: sed quia hoc non ita frequenter contingit, ferenda est hæc jactura pro majori commodo, quòd sequitur ex navigatione. Ita in propo-
si.

sito, licet sit aliqua jactura, quia aliquando moriuntur Carthusienses ex abstinence carnum, tamen merito fecerunt hanc jacturam pro majori bono scilicet virtutis abstinence.

Ex hac ratione posset formari aliud argumentum pro conclusione nostra. Quia iste est pars communitatis, & ideo bene facit pro bono spirituali communi subeundo periculum mortis cum jactura propriæ vitæ, & semper pro majori bono licet ponere vitam.

Sed restat, ut respondeamus ad quoddam argumentum supra factum de Machabæis, an licuisset comedere suillas carnes sine scandalo in extrema necessitate. Et primo certum est, quod in casu Machabæorum erat magnum scandalum, quia exigebatur ab eis in contumeliam legis.

Sed si ponatur quod fame perirent in solitudine, an tunc liceret. Variæ sunt opiniones: Et profecto quicquid dicat Major, opinio Gersonis est probabilissima, quod non liceret. Nam tantæ authoritatis est præceptum divinum positivum, sicut naturale: si autem ex jure naturali esset illicitum comedere suillam non liceret etiam in extrema necessitate vesci suilla: ergo nec etiam nunc, cum esset de jure positivo.

Sed probabilius videtur, quod utrumque liceret in tali necessitate, & comedere propter necessitatem, & abstinere propter reverentiam legis. Excusatur enim David comedens panes propositionis propter necessitatem, & discipuli vellentes spicas die festo, Matth. 12. & ita Machabæi bene fecerunt die Sabbati non propulsantes, sed appetentes mortem ne violarent Sabbatum propter reverentiam legis, & fecerunt bene postea pugnantes die Sabbati, ne omnes perirent 1. Machab. 2. vide S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 4. Imò non condemnantur Gothi, qui in Italia permiserunt aliquot millia ex exercitu perire ne pugnarent die Sabbati. Sed S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 4. dicit, quod esset tentare Deum, si quis non pugnaret in die Sabbati in necessitate.

¶ Restat quæstio: Utrum * liceat abbreviare vitam per abstinence.

Et videtur quod non, ex illa authoritate Hieronymi. *Nihil interest, quo pacto te interimas.* Item non liceret

*Quæst. in
cidents.*

*Arg. præ parte
neg.*

senescentum annorum tollere etiam unum annum ab ultima parte vitæ: ergo nec successivè perdere decem annos.

Respondetur quòd ex primæ quæstionis solutione facile potest liquere, quid ad hanc sit respondendum. Breviter ergo respondetur per propositiones.

Prima: Non * licet ex intentione abbreviare vitam ¹² per abstinentiam. Patet, quia est contra dilectionem sui, quia est nocuum vitæ. Confirmatur. Non liceret ex intentione abbreviare vitam alterius, cujus aliquis haberet curam, ut filiorum, & servorum. Secundo: Non licet abbreviare alijs medijs: ergo nec abstinentia. Ultimò auctoritate Augustini, qui in regula mandat, scilicet: *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentia esca, & potus quantum valetudo permittit.* Et patet ex prima conclusione suprà determinata. Patet ergo, quòd ex intensione abstinere contra valetudinem, est illicitum: & cum sit contra charitatem uniuscujusque, esset mortale. Item August. *de Moribus Ecclesiæ.* Et habetur etiam apud D. Thom. 2. 2. q. 141. art. 6. *Regula (inquit) temperantia est necessitas presentis vitæ.*

Secunda conclusio: Non * tenetur quis protelare vitam ¹³ per alimenta quantum potest. Patet, quia non tenetur uti cibis optimis, & delicatissimis, & pretiosissimis, etiam si ea sint saluberrima, imò hoc est reprehensibile: ergo. Item non tenetur vivere in loco saluberrimo: ergo nec uti cibo saluberrimo. Item hoc esset damnare omnia jejunia Ecclesiastica, & Monastica.

Item non tenetur abstinere à vino, ut diutius vivat: ergo nec è contrario.

Tertia conclusio: Si * quis utatur alimentis, quibus ¹⁴ homines communiter utuntur, & in quantitate, quæ solet sufficere ad valetudinem conservandam, dato quòd ex hoc abbrevietur vita, etiam notabiliter, & hoc percipiatur, non peccat. Patet breviter ex secunda, quia non tenetur prolongare, nec mutare solum ad alium salubriorem locum: ergo nec cibum. Ex quo sequitur corollarium quod non tenetur quis uti medicinis, ad prolongandam vitam, etiam ubi esset probabile periculum mortis, puta quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres: vel aliquid hujusmodi.

15. Quarta conclusio: Si * quis singulari inedia, vel cibo ita nocuo utetur, vel scienter, vel propria opinione contra bonorum, & sapientium sententiam, ut brevi abrumperetur vita, non excusaretur à mortali. Hæc patet ex prima conclusione, & ex determinatione primæ quæstionis nisi fortè faceret peculiari consilio, & revelatione divina.

REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA,
RELECTIO DE HOMICIDIO.

An sit fortis viri occidere se.

SUMMA.

1. Mortem sibi consciscere, quomodo sicut semper impium ita, & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, plerumque consilium, nonnumquam præceptum sit.
2. Interficere seipsum, semper est impium. Et multa de inclinatione naturali, peculiariter an sit semper prona ad malum.
3. Inclinatio hominis, quatenus homo est, est bona, & ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinatur.
4. Deus an naturas rerum immutare potuerit, vel ab initio alias facere, quàm nunc sunt.
5. Quòd Deus naturas rerum mutare non possit ab auctore probari videtur.
6. Deus supposito quòd non possit naturas rerum mutare, quomodo fecerit hominem cum naturali inclinatione ad malum.
7. Inclinatio hominis quamvis sit ad malum, tamen non est mala malitia morali, quandiu manet intra terminos appetitus.
8. Deus creavit hominem sine inclinatione mala qua appetitus inclinatur ad malum.

15. Quarta conclusio: Si * quis singulari inedia, vel cibo ita nocuo utetur, vel scienter, vel propria opinione contra bonorum, & sapientium sententiam, ut brevi abrumperetur vita, non excusaretur à mortali. Hæc patet ex prima conclusione, & ex determinatione primæ quæstionis nisi fortè faceret peculiari consilio, & revelatione divina.

REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA,
RELECTIO DE HOMICIDIO.

An sit fortis viri occidere se.

SUMMA.

1. Mortem sibi consciscere, quomodo sicut semper impium ita, & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, plerumque consilium, nonnumquam præceptum sit.
2. Interficere seipsum, semper est impium. Et multa de inclinatione naturali, peculiariter an sit semper prona ad malum.
3. Inclinatio hominis, quatenus homo est, est bona, & ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinatur.
4. Deus an naturas rerum immutare potuerit, vel ab initio alias facere, quàm nunc sunt.
5. Quòd Deus naturas rerum mutare non possit ab auctore probari videtur.
6. Deus supposito quòd non possit naturas rerum mutare, quomodo fecerit hominem cum naturali inclinatione ad malum.
7. Inclinatio hominis quamvis sit ad malum, tamen non est mala malitia morali, quandiu manet intra terminos appetitus.
8. Deus creavit hominem sine inclinatione mala qua appetitus inclinatur ad malum.

9. Deus dedit appetitui naturalem inclinationem ut obedi-
ret voluntati.
10. Homo quod non inclinetur ad diligendum se plusquam
Deum, vel proprium bonum plusquam commune.
11. Præcepto: Non occides, quid, & qualiter homicidium
prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata.
12. Præceptum de non occidendo, est juris naturalis, &
non positivi, sicut etiam alia præcepta Decalogi, secun-
dum authorem.
13. Præceptum de non occidendo: semper fuit æquale, &
ante legem, & in lege, & tempore Evangelii.
14. Interficere si licebat adulteram, aut furem in lege
Moyssi etiam, licuit ante legem, & licet in lege Evan-
gelica.
15. Præcepto hoc: Non occides quomodo prohibeatur quæ
homicidium, quod stando in lege nature sola, est ma-
lum, & irrationabile.
16. Præcepto de non occidendo: non magis prohibetur ho-
micidium auctoritate publica, quam privata.
17. Occidi quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex in-
tentione, & præter intentionem.
18. Occidere hominem Reipublicæ nocuum ex intentione,
stando in jure divino, & naturali licet ipsi Reipublicæ.
19. Homicidium de jure naturali, & divino permissum,
quibus sit commissum.
20. Homicidium omne ex intentione, præcepto de non oc-
cidendo est prohibitum, seu publica, seu privata perso-
ne, præter quam id, quod Reipublicæ aut publicis ma-
gistratibus, & principatibus fuerit commissum.
21. Interficere seipsum quare non liceat.
22. Objectum voluntatis non est solum verum bonum.
23. Deus solus est vitæ, & mortis dominus, non homo,
qui quantum ad hoc, est peculiariter servus Dei unde
occidere seipsum est Deo injuriam facere.
24. Homo in multis casibus quamvis licitis viis possit vi-
tam servare, quomodo tamen non teneatur.
25. Quod homo, semper tenetur defendere vitam proximi,
etiam quandocumque licet, non est exploratum.
26. Panem licet alteri cedere cum certa pernicie propria
vitæ.

27. Animam ponere pro amicis licet sit stultitia hujus mundi, tamen est sapientia apud Deum.
28. Damnato ad mortem non licet se fame interficere.
29. Damnato ad mortem licet fugere, & mortem non expectare.
30. Damnato ad mortem per cicutæ seu veneni haustum, licet illud haurire, nec videtur ad succi mortem cooperari.
31. Auxiliari licet amico etiam cum quantocumque vitæ discrimine. Et quid dicendum de uxore, quæ etiam cum magno periculo marito peste laboranti adsideret.
32. Navigare, & artem militarem exercere etiam cum magno vitæ periculo servatis circumstantiis quæ magis, & ut plurimum contingunt, licet.
33. Vitam abbreviare nullo modo licet, etsi non teneatur homo omnia media licita etiam facere, ut sibi vitam reddat longiorem.
34. Alimentis in salubribus, & nocuis vitam reddere breviorē, non licet, neque tamen uti tenetur quis optimis.
35. Vitæ conservandæ ratione non sunt omnia media adhibenda necessariò, sed solum illa, quæ ad hoc sunt de se & ordinata, & congrua.
36. Vita non est in discrimine pro bonis temporibus ponenda, inter quæ gloria, honor & fama reponuntur.
37. Brutus, Cato, Decius, & alii innumeri, qui sibi mortem consciverunt, utrum excusationem habeant, eò quòd putabant in hoc se fortiter, & laudabiliter agere. Et quid de Samsone, Rasia, & Saule.

NON de nihilo dixit Ecclesiastes: Qui addit scientiam, addit & laborem. Habent agricolæ sua otia, habent operarii, habent omnes opifices, & cum diebus operosis victum paraverint, festis diebus requiem habent, & pro suo arbitrio remittunt, & oblectant animos, & corda oblita laborum. Nobis neque festis, neque pro festis licet esse otiosos nullas habemus studiorum ferias, nullam vacationem ab exercitiis literarum. Ecce convenimus patres religiosissimi, virique spectatissimi in festo tam celebri ad hanc relectionem, cum mihi non licue-
rit

rit non solùm in sequentem annum ut putaram, sed neque in alium quidem diem proferre: ergo ne supra laborem necessarium, novum etiam in Procemiis assumamus, rem ipsam superis præeuntibus aggrediamur.

Argumentum à me tractandum in præsentì relectione, non est aliquis novus locus ad hoc designatus, & in ordinariis lectionibus prætermisus, ut in aliis relectionibus à me factum est, sed ut non nomine tantum, sed & re etiam sit relectio, constitui tractare aliqua prius in meis lectionibus disputata, non tamen multa, nec enim possem. Sed consilium meum fuit impræsentiarium disputare quæstionem: An sit fortis viri occidere se ipsum, vel cum conservare vitam posset, mortem oppetere, & quando, & quatenus hoc aut licitum, aut laudabile sit. Ad quam quæstionem commodius tractandam, & examinandam tanquam fundamentum totius hujus relectionis sequentem conclusionem à principio pono.

Prima conclusio: Sicut * mortem sibi consciscere I semper impium est, ita mortem non solùm patienter tolerare, sed liberè etiam subire plerumque consilium, nonnunquam præceptum est. Hanc conclusionem pro temporis angustia, proque tenui mea eruditione quam poterò perspicuè, & clarè, variè versabo, immoraborque circa singulas partes, primo illam probando, deinde argumenta in contrarium objiciendo, illaque pro captu ingenii diluendo, ac dissolvendo, quod interim dum facio, vos patres observandissimi virique ornatissimi oratos velim, ut me non tam attentè, quàm benevolè, & amicè audiatis.

Prima ergo pars conclusionis est, quòd semper est impium, interficere se ipsum. Hoc primò probatur, quia * occidere seipsum est contra naturalem inclinationem z hominis: sed facere aliquid contra inclinationem naturalem, est peccatum: ergo occidere se semper est peccatum. Major est manifesta, non enim homo solùm omniaque animantia, sed res omnes resistunt suæ corruptioni, & pro viribus adnituntur conservare se in rerum natura, ut dicitur in secundo de generatione, & experientia apertius docet, quam ut probatione res indigeat,
nec

nec opus est in re non dubia argumentis uti non necessariis. Est ergo contra naturalem inclinationem hominis, ut se interimat.

Quod autem inclinationi naturali adversari, & repugnare sit illicitum, exploratum est valde, atque in confesso. Si enim naturalis inclinatio semper in bonum, & honestum propensa est, atque adeo nunquam malum suggerit, profectò hujusmodi inclinationi repugnare, aut in contrarium tendere, semper illicitum erit. Quemadmodum enim virtuti quicquam contrarium facere semper illicitum est, quòd ea non nisi ad honestum inducat: ita prorsus si id, ad quod homo suapte natura, & inclinatione fertur, semper bonum est, hujusmodi inclinationi contravenire malum erit. Bono enim non nisi contrarium malum esse potest.

Quare cum hic sit vel primus locus, & præcipuum argumentum, quo hanc conclusionem Doctores probare contendunt, operæpretium erit, si de hac ipsa re uberius disseruerimus. Et quidem sunt nonnulli, nec vulgares, neque contemnendi, sed primè etiam Aristotelis expositores, quibus non videtur verum, naturam semper ad bonum inclinare, & honestum, sed potius credunt naturam, & gratiam, legem, & naturalem inclinationem contrarias esse, sibi que invicem repugnare, quod multis tum argumentis, tum etiam testimoniis suaderè conantur.

Et primò argumentantur. Appetitus enim humanus fertur naturaliter in omne bonum, bonum autem delectabile est bonum quoddam: fertur ergo appetitus in bonum delectabile naturaliter, bonum autem delectabile plerumque est contrarium virtuti: ergo naturaliter homo appetit contrarium virtuti, atque adeo peccatum, & malum.

Secundo, virtus omnis versatur circa difficile (ex auctoritate Arist. 2. Ethic.) quod si natura inclinaret in bonum virtutis, certè hujusmodi bonum difficile non esset. Nihil enim aliud inclinatio virtutis facit, nisi reddere facile, & jucundum ipsum bonum, quod alioqui difficile erat, non ergo natura inclinatur de se ad bonum, inclinatur autem: ergo inclinatur ad malum. Et confirmatur: Si enim homo sua natura inclinaretur ad bonum, non essent

Quest.

Pro parte affirmativa.

Arg. 1.

necessariæ virtutes, quarum hoc unum officium est, tollere difficultatem illam, & molestiam bonorum operum. Atque adeò, qui probabilius philosophantur, negant necessariam esse aliquam virtutem, anteponendam quidem ad ea bona ad quæ homines sua natura feruntur, & inclinantur. Nemo enim tam ingenio tardus est, qui putet virtutem esse aliquam, ut homines cupiant felices esse, oderint autem miseriam.

Tertio: Theologi ponunt motus subitos tam in voluntate, quàm in appetitu sensitivo, nihil verò aliud sunt tales motus quàm inclinationes quædam naturales in malum: ergo natura inclinatur ad malum.

Quarto: Nam ad hoc, vel solùm, vel certè potissimum ponebatur justitia originalis in primis parentibus, aut appetitus sensitivus contineretur in officio, & voluntati sine difficultate pareret, & voluntatem ipsam rationi, rationemque divinæ legi, & voluntati subjectam efficeret. Quòd si humanus appetitus non sua natura adversaretur vel rationi vel legi divinæ, nullum fuisset aut minus aut opus ipsius justitiæ originalis.

Quinto: Homo secundum virtutem, & legem Dei tenetur diligere Deum plusquàm se, & commune bonum præferre bono privato. Non enim charitas juxta Apostolum, quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Christi, & tamen homo naturaliter diligit bonum proprium: & est valde difficile Deum plusquàm se diligere, quia homo, ut à principio dictum est, naturaliter inclinatur ad conservationem propriam: ergo natura inclinatur contra charitatem, & legem Dei.

Sexto: Inclinatio appetitus sensitivi est naturalis, cum ipse sit potentia naturalis, nec ejus inclinatio sit aliud ab appetitu sensitivo, & tamen appetitus non obedit rationi, sed tendit in contrarium: ergo inducit in malum. Et confirmatur: Objectum appetitus sensitivi est bonum delectabile, hoc autem plurimum est contrarium virtuti, & legi Dei: ergo appetitus sensitivus naturaliter fertur in malum.

Septimo: Fomes inclinatur ad peccatum, ut Theologi diffiniunt secundo Sententiarum, & tamen fomes nihil aliud dicit præter naturam, & naturales potentias hominis

nis destitutas dono justitiæ originalis, ut in eodem loco Theologi defendunt: ergo homo per naturales potentias fertur, & inclinatur in malum. Et confirmatur hoc. Si enim homo produceretur in puris naturalibus, hoc est, sine justitia, & sine peccato, eodem modo inclinaretur ad malum, sicut nunc inclinatur ex formite: ergo inclinatio naturalis est ad malum.

Adducunt deinde, & advocant in favorem hujus sententiæ scripturarum testimonia. Et in primis dictum Domini: (1) *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.* Ex quo videtur, quod natura humana sit proclivis, & inclinata ad malum. Dominus item apud Matth. 26. *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Quod exponens Apostolus: (2) *Caro (inquit) concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Et Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis.* Et plura in hanc sententiam. Et rursus alibi: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et iterum: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Ex quibus omnibus manifestè constat, carnis appetitum esse in malum, & contrarium spiritui, & legi Dei. Desideria autem carnis sunt naturalia, cum sint apud omnes: ergo profus naturalis inclinatio est in malum, & in peccatum.

(1)
Genes. 8.

(2)
Ad Galat. 5.

Item Arist. 2. Ethic. dicit: Quod ad hoc, quod homo fiat studiosus, oportet ut servet se ab his, ad quæ natura maximè inclinatur ut S. Thom. 2.2. q. 166. art. 2. ad 3. adducit.

His, & aliis rationibus, & testimoniis authores illi sententiam suam tuentur. Unde etiam in naturam ipsam, illæ quærelæ exortæ sunt, ut alii novercam, alii inimicam, alii scelerum altricem, alii malorum parentem, aliisque invidiosis, odiosisque nominibus appellent, ac dehonorent. Inde etiam illud quod homo ex se non potest nisi malum. Inde adhuc ille odiosior, & omnibus mortalibus insigniter injuriosior error, quod omnia omnium hominum opera sunt peccata, & æterno supplicio digna, nisi misericordia Dei venialia fierent, unum ex dogmatibus Luteranorum.

Verum bona venia tantorum virorum, & pace, non adducor nec propositis, neque quibuscumque aliis argu-

Sententia
vera.

mentis, ut credam humanam naturam, quam omnipotens, & sapientissimus Deus ad imaginem, & similitudinem suam condidit, tam malo genio, & pravis conditionibus formatam, & constitutam, ut cum reliquæ res omnes in fines, & operationes sibi convenientes suo ingenio, & natura ferantur, solus homo non nisi in mala, atque adeo in perniciem suam, & condemnationem feratur, & inclinetur. Quare *in præsentiarum defendo inclinationem hominis, quatenus quidem homo est, bonam esse, atque adeo ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinare: quod postquam autoritate probare non sufficio, argumentis non infirmis probabile facere contendam. 3

Et primò quidem sic arguo. Inclinatio naturæ humanæ est immediatè ab ipso Deo: ergo non potest esse ad malum. Antecedens est notum, cum Deus sit author ipsius naturæ, atque adeo omnium quæ consequuntur naturam, cujus in primis est inclinatio naturalis. Qui enim (ut verbis Arist. utar) dat formam, dat consequentia ad formam. Est ergo Deus solus author, & causa humanæ inclinationis. Consequentia vero probatur. Motus enim naturalis sive ex naturali inclinatione, attribuitur, & imputatur generanti, id est, authori, & causæ ipsius naturalis inclinationis, ut Aristoteli meritò placuit 8. Physic. simulque multis gravissimis Philosophis. Gravia enim, & levia hac una ratione à generante, & non à se ipsis moveri dicuntur, quod eam inclinationem, atque adeo necessitatem ad motum vel sursum, vel deorsum à generante acceperint. Si ergo homo ad malum naturaliter inclinatur, illa inclinatio, & motus sequens talem inclinationem in peccatum, imputarentur ipsi Deo, quod profus dicere, vel cogitare impium est. Certè si motus lapidis deorsum, aut motus ignis sursum peccatum esset, nulli dubium quin hoc peccatum Deo potius tribuendum esset, quàm ipsius gravibus, & levibus, quæ talem à Deo inclinationem acceperunt. Et similiter si homini peccatum esset appetere felicitatem, non tam imputandum esset illi, quàm Deo, qui sic hominem constituit ut naturaliter appeteret felicitatem. Quare hæc ratio efficax est ad probandum aliquem actum non esse peccatum,

tum, quia procedit ex inclinatione hominis à Deo sibi data.

Ex quo etiam loco arguit S. Thom. & alii Theologi graves non invalidè ad probandum, quòd prima operatio Angeli non potuit esse mala. Cum enim prima operatio sit dilectio sui, omnes enim aliæ operationes ex ista proficiscuntur, ut Arist. docet in Ethicis: Amicabilia, inquit, quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilius quæ sunt ad nos, primam operationem angeli oportet fuisse amorem sui: Cum ergo ex naturali inclinatione ad talem amorem inclinaretur, fieri non potuit, ut ille amor malus esset. Et sic prima operatio angeli non potuit esse peccatum.

Secundo probatur idem. Non posset Deus producere in anima habitum vitiosum inclinantem ad peccatum; hoc enim repugnat divinæ bonitati: ergo neque potuit dare animæ rationali aut homini vitiosam inclinationem, qua scilicet ad peccatum inclinaretur: non enim minus esset causa inclinatio vitiosa mali actus, quàm vitiosus habitus.

Tertio: Non posset Deus producere habitum inclinantem ad falsum: ergo nec inclinationem ad malum. Patet consequentia: Nam non minus repugnat Deo inclinare ad peccatum, quàm ad falsum, imò multo plus: qui ergo non potest producere inclinationem ad falsum, multo minus potuisset dedisse inclinationem ad peccatum. Assumptum autem patet: ea enim est una probatio Doctorum, quòd fidei non potest subesse falsum, quia scilicet est infusa à Deo, non ergo potest Deus infundere habitum ad falsum inclinantem.

Atque ista ratione probari quoddam modo possunt prima principia, quamvis per se nota. Quid enim, si quis fateretur quidem se cogi ad assentiendum huic principio, omne totum est majus sua parte, diceret tamen se timere ne fortè deciperetur, quemadmodum, & homo aliquando cogitur ad credendum aliquid hominum authoritate, quibus fidem non habere homo non potest, & tamen fieri potest ut decipiatur? Quid inquam, si quis diceret ita de primis principiis, an non aliqua ratione induci posset ad assentiendum illis? Ego vero pu-

to, si quis mihi recipiat, Deum neque mentiri, neque decipere posse, concedat etiam necesse esse naturam rationalem esse à Deo creatam cum hac necessitate, & inclinatione consentiendi his principiis, manifestè etiam convinci talia principia vera esse. Si enim falsa sunt, & Deus humanum intellectum cogit ad assentiendum illis, apertè constat Deum homines decipere, & per consequens mentiri. Simili ergo modo, si Deus produceret quencumque habitum inclinantem ad falsum, meritò, & mendacii, & deceptionis argueretur.

Quarto: Si homo induceret alium ad peccandum, peccaret: ergo similiter si Deus inclinat homines ad peccandum, peccat. Quamvis enim non valeat apud Theologos consequentia: Deus concurrit cum homine ad peccandum: ergo peccat. Tamen recipient istam, Deus se solo inducit homines ad peccandum: ergo peccat. Nam sicut consequens est impossibile, ita & antecedens: Deus autem se solo est causa inclinationis naturalis hominis: si ergo per talem inclinationem homo induceretur ad peccandum: videtur etiam quod Deus inducat ad tale peccatum.

Quintò, voluntas humana non fertur in objectum, nisi mediante ratione: ratio autem semper inclinat ad iudicandum, quod omne malum est evitandum: ergo voluntas non inclinat ad malum.

Sexto, si inclinatio ad malum est à solo Deo, ut isti fatentur, non video quomodo negent, quòd Deus sit causa peccati, quod omnes Theologi tanquam impium semper rejecerunt.

Quòd si rationes vestræ, ut videmus, superiores, & probabiliores sunt, ne testibus etiam deficiamus, aliquid, de scripturis etiam oportet adducere. Et primo omnium facit autoritas Jacobi: *Nemo, inquit, cum tentatur, dicat, quod à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.* Ex quo loco sic arguitur: Si inclinatio naturalis esset ad malum, Deus esset tentator malorum, quod est contra Apostolum: ergo impossibile est, quod natura tentet seu inclinet ad malum. Assumptum probatur. Nihil enim aliud est tentare, nisi facere inclinationem ad malum. Si ergo Deus fecit, & dedit talem inclinationem homini ad malum, qualem isti di-

dicunt esse naturalem inclinationem, cur ergo Deus tentare non diceretur? Confirmatur: Si dæmon injiceret talem inclinationem homini ad malum, qualem isti afferunt esse naturalem, certe dæmon tentaret: ergo, & Deus diceretur tentator.

Secundo, Ecclesiastes 7. dicitur. Fecit Deus hominem rectum, & ipse immiscuit se infinitis quæstionibus. Non autem videtur Deum hominem rectum fecisse, si cum ista pessima inclinatione, & maledictione creavit, qua sua natura ferretur ad malum: ergo.

Sed in primis videtur facere, quod Sapiencia divina attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, ut per Salomonem ipse testatur. Non esset vero suavis dispositio, si cum Deus homini legem, & præcepta dedisset, naturam in contrarium trahentem, vocantem, & allicientem dedisset. Cum enim Deus hominem condiderit ad laudandum Creatorem suum, vitamque æternam ab illo promerendum, non utique tanquam sapiens architector hominem fabricavit, si naturam fini repugnantem, & incommodam illi dederit, cum tamen viderit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et alibi, Dei perfecta sunt opera. Profectò non videretur opus aut valde bonum, aut perfectum, si hominem cum hujusmodi inclinatione fecisset.

Et demum, ut quid Deus hominem non fecit propensum, & proclivem ad bonum potius quam ad malum? Ad legem suam quam ad transgressionem legis? An quia non potuit? Hoc verò quid stultius, quid indignius divinæ majestati ex cogitari posset? An quia non voluit? Invidit ergo Deus mortalibus hanc felicitatem, qua tamen maximè ad divinorum præceptorum usuri essent observantiam. Angelos certè Deus non hac conditione creavit, ut non nisi ad peccatum, & malum tantum inclinarentur. Quæ ergo ratio esse potuit, ut hac parte tanto benignior, & æquior Angelis esset, qui hominibus, qui de Deo quidem non poterant melius esse meriti? Videmur igitur ex parte probasse hominem sua natura non inclinari ad malum, sed relictum potius in manu consilii sui, ut utrumlibet pro suo arbitrio sequetur, sive bonum, sive malum.

Super est ut argumentis in contrarium adductis ut-

cum-

Notanda quædam pro solutione Argum.

cumque satisfaciamus, ad quorum expeditionem illud in primis meminisse oportet, hominem esse compositum ex duabus naturis, rationali, scilicet ac sensitiva, quas Apostolus ad Rom. 12. interiorem, & exteriorem hominem vocat: quod non est sic intelligendum, ut anima ipsa sit interior homo, aut natura rationalis, corpus verò natura sensitiva: sed totus homo secundum spiritum est homo interior, idem verò secundum carnem est homo exterior, & natura sensitiva.

Secundo est advertendum, quòd quia homo est homo simpliciter in quantum rationalis, non in quantum sensitivus: inclinatio hominis absolute est inclinatio hominis in quantum homo est, scilicet, inclinatio voluntatis, & intellectus, & non inclinatio partis sensitivæ, quæ aut non est inclinatio hominis, aut non in quantum homo est, sed secundum quid, & non absolute. Comparatur enim appetitus sensitivus ad hominem quasi aliquod extrinsecum, nec plus debet dici inclinatio hominis, inclinatio appetitus sensitivi, quam inclinatio dæmonis aut mundi. Cupit enim, & mundus, & dæmon trahere humanam voluntatem ad malum, cupit etiam nunc appetitus sensitivus. Sed sicut non interest nostra quid aut mundus, aut dæmon suggerat, sed quid ipsi per voluntatem & rationem prosequamur, ita eadem ratio est de appetitu, ac si esset à nobis separatus. Nec enim quod caro nobis suadet, imputatur, nec opus nostrum, aut desiderium dicitur, sed id tantum, quod per liberum arbitrium acceptum habuerimus, & secuti fuerimus.

Quare quanquam sint nonnulli, qui etiam defendere velint, nec ipsum etiam appetitum inclinare ad malum ex specie aut natura sua, sed ex peculiaribus uniuscujusque conditionibus, quas non à Deo, sed à patria, vel à parentibus, vel astris unusquisque contraxit: tamen ego non nego quidem sensualitatem trahere, & tendere ad malum, & peccatum ex specie, & natura sua, sed nego eam esse humanam inclinationem aut conditionem: imò contrariam, quemadmodum nec motus appetitus voluntatem præcedentes, actus humani dicuntur, atque adeò simul verum est, quod appetitus sensitivus inclinatur contra virtutem: homo verò interior, qui simpliciter est

est homo, inclinatur ad virtutem. Utrumque Apostolus, signanter, & disertè expressit ad Rom. 12. *Condelector, inquit, legi Dei, secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Quod tamen Paul. non aliter ad se pertinere arbitratur, quàm angelum sathanæ, qui eum colaphizabat. Et sicut manente vera inclinatione hominis ad virtutem erat angelus sathanæ, cum colaphizans, ita ad-versante, & contraveniente appetitu sensitivo manet integritas humanæ voluntatis quæ est hominis integritas, in quantum homo est.

Verum restat scrupulus ex hac responsione. Nam æquè est à Deo inclinatio appetitus sensitivi, sicut, & voluntatis: si ergo inconveniens dicitur, quod Deus sit causa inclinationis voluntatis ad malum, quare non idem habeatur pro inconvenienti de appetitu sensitivo? Quare inquam sapientissimus creator, & conditor rerum malam inclinationem dedit appetitui, & carni, & non potius bonam, quæ magis convenire videbatur illi infinitæ bonitati?

4 Dico primum omnium, dubium est certè inter Theologos, & Philosophos: An * naturas rerum Deus immutare possit, vel potuerit, vel ab initio aliàs facere, quàm nunc sunt. Et quidem sunt qui putent cum Gabr. 4. dist. 1. quæst. 1. Quamvis Deus species quidem rerum, & essentias variare non potuerit, neque enim potuit aut hominem, aut bovem alterius speciei facere, quàm fecit, potuit tamen proprietates, & inclinationes naturales immutare, potuit (inquam) ignem frigidum naturaliter facere, & aquam calidam, ac rursus nigram nivem, & album corvum. Quod tali ratione probatur. Nam posse Deum ignem frigidum facere, aut calidam aquam, & cætera hujusmodi, dubitari non potest. Potuit ergo Deus ab initio aquam calidam facere, aut frigidum ignem, levem terram, gravem aerem, & legem ponere, ut sic perpetuò perseverarent. Qua lege posita, illud esset proprium, aut naturale talium rerum. Nihil enim aliud est rerum natura, quàm id quod ab initio (ut August. ait) Deus rebus dare voluit: ergo potuit Deus contrarias naturas, & inclinationes dare rebus quàm de-

Dubium.

de-

dedit. Et confirmatur: Nam potuit Deus res nudas creare, id est, essentias, sine quibuscumque accidentibus, aut proprietatibus: ergo non necessariò creavit cum his conditionibus, & proprietatibus, quas nunc habent.

Hanc sententiam quanquam Theologi, & authores nonnulli, qui in pretio habentur, defendunt, non puto esse probabilem, nec verisimilem. Unde puto, quòd * Deus non potuerit quidem ignem calidum naturaliter frigidum facere, aut non naturaliter calidum, aut nivem nigram, aut levem terram, & in universum naturales inclinationes tollere, aut mutare. Quod sic probatur. Nam primum omnium, multæ sunt proprietates, & aptitudines rerum, quæ secundum communem opinionem, non conveniunt rebus per aliquas qualitates super additas, sed immediatè per suas essentias: ut verbi gratia: Si risibile non convenit homini per aliquam qualitatem superadditam secundum opinionem istorum, sed per essentiam, potuit quidem Deus facere, quòd homo nunquam rideret, non autem quòd non esset natura risibilis: quia Deus non potest tollere effectum causæ formalis, manente causâ formali. Si ergo homo est formaliter risibilis per suam essentiam, non potuit Deus facere quòd sua natura non esset risibilis.

Secundo sic arguo: Aqua cum concursu Dei generali producit frigiditatem in se, ut patet in aqua reducete se ad frigiditatem. Ergo Deus non potuit facere quin cum tali concursu esset frigida, & per consequens naturaliter frigida. Consequentia probatur. Nam detur oppositum puta, quòd faceret Deus, quòd aqua naturaliter esset calida, quæro, an aqua cum concursu Dei generali potuerit reducere se ad frigiditatem, vel non. Si potuit: ergo non erat naturaliter calida: si non potuit: ergo nec nunc potest, quia concursus generalis Dei non potuit esse majoris activitatis, quam nunc est, & ab eisdem causis semper producitur similis effectus. Nec Deus potest facere, quòd causa naturalis, quæ nunc non potest in aliquem effectum, cum concursu generali, possit in illum cum eodem concursu. Verbi gratia, nunc non potest homo suscitare hominem cum concursu generali Dei: ergo Deus non potest facere, quòd ho-

mò id possit cum tali concursu: nec Deus ipse posset cum generali concursu facere quod nunc non facit. Sicut ergo Deus non potuit facere ut homo naturaliter posset suscitare mortuum, ita non potest facere quòd aqua produceret calorem, aut quòd naturaliter lapis ascenderet sursum.

Et confirmatur: Aut essentiæ rerum, aut species de se sunt indifferentes ad quamlibet proprietatem, aut non. Si non: ergo non potuit fieri, quin id, ad quod essentia magis inclinatur, sit magis naturale. Si sint indifferentes, verbi gratia: Si natura ignis nuda, est indifferens ad calorem, & frigus: Ergo cum concursu generali non plus produceret calorem, quàm frigus, & per consequens non poterit esse magis naturale unum quàm aliud.

Et confirmatur exemplo: Deus non poterat facere, quòd Cœlum naturaliter inclinaretur ad quietem vel ad motum à Septentrione ad Meridiem: ergo nec alias naturas rerum potuit mutare. Antecedens probatur: Si cœlum naturaliter inclinaretur ad motum contrarium isti quem nunc habet, vel ad quietem, non posset cum concursu generali moveri motu isto, quem nunc habet, sicut è contrario.

Et confirmatur validè, quia si potest Deus mutare naturas rerum, faciat ergo, quòd aqua sit naturaliter calida. Sic arguo: Calor nunc cum concursu generali sufficit corrumpere aquam: ergo cum simili concursu potuisset tunc corrumpere: ergo non est ei calor naturalis. Non enim posset nunc Deus cum solo concursu generali impedire ne calor corrumpere aquam, & non est impotentior quàm à principio: ergo nec tunc potuit. Certè puto quòd argumentum concludit.

Item Deus non potuit hominem naturaliter facere incorruptibilem. Item non posset agens naturale cum concursu generali inducere formam aquæ in materiam indispositam per calorem, & siccitatem. Ergo, calor, & siccitas non possunt esse naturales aquæ. Ut enim arguebatur, quicquid creatura potuit posse (ut ita dicam) cum concursu generali Dei, potest nunc cum simili concursu,

Hoc ergo supposito, quod * non potest Deus naturas rerum mutare, dico, quod Deus fecit hominem, cum hac naturali inclinatione appetitus sensitivi, quia aliter fieri non poterat.

Secundo dico, quod * talis inclinatio quamvis sit ad malum, non tamen est mala quando quidem manet intra terminos appetitus sensitivi: malum inquam malitia morali: nam malitia poenae non inconvenit, cuius Deus semper est causa: sicut non dicitur mala inclinatio qua Leo inclinatur ad homicidium. Sicut enim appetitus inclinatur hominem ad malum, ita etiam obiectum ipsum, ut delectabile, aut utile inclinatur etiam ad malum, & tamen natura ipsius auri, verbi gratia, aut cibi dulcis bona prorsus est. Neque unquam aliquis conqueritur de Deo, quod aurum pulcherrimum fecerit, aut vinum suave. Ita prorsus de appetitu sensitivo qui movet hominem ad malum non aliter quam ipsum obiectum, unde nulla malitia existit appetitus sensitivi aut rerum ipsarum.

Tertio dico, quod appetitus inclinatur ad malum, non ipsius appetitus, sed hominis: semper enim appetitus naturalis est conveniens, ut S. Thom. dicit 1. p. q. 31. art. 1.

Quarto dico, quod * Deus hominem creavit sine tali inclinatione mala, creavit enim eum cum iustitia originali, quae appetitum subiciebat rationi, & nullo modo inclinabat ad malum: quod si postea sua culpa incidit in hunc laborem, sibi potius, quam divinae sapientiae imputandum est: Nec plus sanè, quam si oculos sibi erueret, quos illi creator dedisset, conqueri de creatore suo posset.

Quinto dico, quod * dedit appetitui naturalem inclinationem ut obediret rationi, & sic tandem tota inclinatio est bona. Et ista pro argumentis satis esse videntur quatenus ad inclinationem appetitus sensitivi spectabat.

Sed aliunde arguebatur, quia scilicet homo tenetur diligere Deum plusquam seipsum, & commune plusquam quam privatum bonum, & tamen inclinatio hominis naturalis est in contrarium, atque adeo in malum.

Ad hoc quanquam sint clari Philosophi, & Theologi,

10 gi, qui ita esse arbitrentur, ego * verò nego hominem inclinari ad diligendum se plusquàm Deum, vel proprium bonum plusquàm commune. Sicut enim membrum plus inclinatur ad bonum totius, quàm ad bonum proprium, periclitatur enim manus pro salute totius, ita etiam ex naturali inclinatione homo, quem Deus fecit partem Reipublicæ, natura inclinatur ad bonum publicum plusquàm ad privatam: & cùm Deus sit bonum universale, plus etiam homo diligit Deum, quàm seipsum, sicut nota experientia docet, quòd aqua ascendit, deserens conveniens sibi bonum propter integritatem, & continuitatem universi. Non est autem consentaneum ut Deus rebus inanimatis, aut membris corporis inclinationem dederit convenientem suo fini, uni autem homini negaverit.

Sunt verò qui hoc ipsum negant, scilicet, membrum plus inclinari ad bonum totius, quàm ad proprium, nec membrum se exponit (ut ajunt) periculo pro salute totius, sed ipsum totum membrum tremens, & resistens opponit pro se. Sed certè hoc ipsum est inconsonum rationi, & est condemnare industriam divinam, dicere, quòd Deus cùm membra corporis fecerit solùm propter bonum totius, & non propter se, tamen membris dederit inclinationem contrariam bono totius, quasi verò pedes sibi, & non homini ambularent, & aures sibi, & non homini audirent, & oculi, &c. Et ut de membris hominis donemus hoc illis, quid de aqua dicturi sunt, cùm sursum ascendit, an non ipsa se sursum movet? An potius imaginandum est totum universum concurrere ut aquam moveat? Profectò dicendum non est.

Quod si ita est, ut certè est, cùm Deus fecerit hominem potius propter se, quàm propter hominem, absurdum est dicere non dedisse inclinationem suo fini convenientem, qua plus ipsum Deum, quàm se diligeret.

Error tamen iste emanavit, quòd viderent hominem cum magna difficultate, aut vitam, aut etiam bona temporalia ponere pro Deo, aut pro bono publico: quare ex hoc arguunt non inclinari naturaliter ad bonum publicum. Sed hoc perinde est, ac si quis dicat,

hominem non amare propriam vitam plusquam unum membrum, cum videant gravari nimis, & cum magna molestia, & difficultate secare aut urere membrum propter salutem totius: aut si quis neget aliquem cupidum esse vitæ, ideò quia potionem amaram non libenter sumit: ita non statim si quis ægrè, & molestè ferat aut vitam aut fortunas perdere propter Deum, aut propter bonum publicum, non inquam statim arguendum est, hominem non plus naturaliter Deum aut commune bonum diligere, quam privatam. Ut enim Doctores docent, gratia non est contraria naturæ, sed perficit naturam, & naturalem inclinationem: difficultas autem provenit tum ex appetitu, tum etiam quia licet plus inclinetur ad bonum totius tamen etiam inclinatur ad alia bona, & sic patitur difficultatem, sicut de projiciente merces in mare.

Atque id demum cogitandum est, non esse Deum deteriore artificem ipso homine, cum tamen artifex homo, si quod instrumentum ad aliquem finem fingat, curet omnem aptitudinem ad talem finem instrumento dare, idoneumque suo fini facere: quare ergo Deus, qui omnia fecit propter se, non talem inclinationem suæ creaturæ credatur dedisse, qualem ad illum finem convenire noverat? Nos ergo amoliamur hujusmodi querelas de summo artifice, ac conditore, credamusque naturam non nisi ad bonum inclinare, atque ideo omne quod est contrarium naturali inclinationi, esse malum: *Perditio enim tua ex te Israel salus autem ex me.*

(1)
Ossee. 13.

(1) Cum ergo, ut à principio arguebam, interficere seipsum sit contra naturalem inclinationem consequens est esse illicitum, quod erat primum argumentum ad probationem conclusionis.

Secundo principaliter probatur eadem conclusio. Occidens seipsum, facit contra præceptum decalogi. *Non occides*: quod habetur Exod. 20. & Deuter. 5. ergo peccat & mortaliter. Hoc est argumentum beati Augustini 1. de Civitate ad probandum, quòd occidere seipsum, sit illicitum.

Sed ut apertius constet quam vim habeat argumentum sicut etiam de primo fecimus, operæpretium est etiam

etiam examinare quid prohibetur in illo præcepto : *Non occides* : cum in scriptura non inveniatur alibi prohibitum, aut reprehensum seipsum occidere. Aut ex illo præcepto oportet esse illicitum aut revocari in dubium potest, an liceat se interficere. Cum enim præceptum sit absolutum : *Non occides*, & in multis casibus licitum sit occidere, ut certò constat, dubitari * merito potest quid illo præcepto, & qualiter homicidium prohibeatur.

Quidam ergo ita intelligunt præceptum illud, ut absolute prohibeatur occisio cujuscumque hominis, siue privata autoritate, siue publica, siue nocentis, siue innocentis. Sed ab eo præcepto tanquam à canone generali excipiuntur lege divina aliqui casus, in quibus licet occidere: verbi gratia, ut homicida juste à magistratu occidatur. Sed dicunt, quòd nisi hanc facultatem haberent à Deo ex sacra scriptura, quæ jubet, ut qui occiderit hominem, occidatur, ut patet Levit. 24. magistratus occidens latronem faceret contra illud præceptum : *Non occides*. Itaque sine quocumque alio præcepto præter id : *Non occides*, erat sufficienter prohibitum Regi occidere etiam malefactorem, nisi dominus excepisset de homicida, & quibusdam aliis malefactoribus. Et sic apud istos in nullo casu licet etiam publicis potestatibus occidere, nisi in casibus expressis à jure divino. Unde ortum habuit illa opinio, quòd non licet interficere aut adulteram, aut simplicem furem, quia non est expressum in jure divino de adulterio, & licet fuerit expressum in veteri Testamento, tamen est revocatum à Domino per illa verba Joan. 8. *Nemo te condemnavit mulier, neque ego te condemnabo.*

Sed contra hanc sententiam arguitur : Illud quod est de se licitum, & per se bonum, non est prohibitum præcepto divino ; se occidere hominem in casu, est per se bonum, videlicet in defensionem sui : ergo non est prohibitum illo præcepto : *Non occides*. Neque indiget excipi à regula id, quod nullo modo potuit cadere sub regula. Si ergo occidere invasorem non potuit cadere sub præcepto : *Non occides* : non est factum licitum, quia exceptum sit ab illo præcepto. Item in lege data

Moy-

Moyfi fuit aliquando licitum occidere, aliquando non, & tamen non erat facta talis exceptio in jure divino plus de homicida, quàm de adultera: ergo vel utrumque licebit, vel neutrum. Et quæro, ante legem Moyfi, an licebat interficere blasphemum, & homicidam, vel non? Si non, contra. Quicquid non licuit in lege naturæ, nunquam licuit. Non enim lex Moyfi, aut lex gratiæ sunt dispensationes legis naturæ, sed potius è contrariò, multa licebant in lege naturæ, quæ in lege Moyfi prohibita sunt: si ergo licebat interficere in lege naturæ adulteram, sine exceptione, & expressione juris divini licuit in lege Moyfi.

Et ideo alii dicunt, quòd in præcepto: *Non occides*, prohibetur solùm occisio innocentis. Et illud præceptum Exod. 20. *Non occides*, videtur explicatum Exod. 23. *Infontem, & justum non occides.*

Sed contra hoc est, quòd privatus occidens peccatorem, & fontem, facit contra illud præceptum: *Non occides*: si enim non peccat contra id præceptum: *Non occides*, nusquam alibi in jure prohibetur occisio nocentis hominis. Quare cùm certum sit etiam apud istos privatum hominem reum esse homicidii, etiam si nocentissimum occidat, certum est illo præcepto non prohiberi solùm in nocentis occisionem pluriquam nocentis.

Et ideo alii, qui proprius ad veritatem accedunt, dicunt, quòd prohibetur illo præcepto occisio hominis privata autoritate: sed neque isti quidem sufficientem vim illius præcepti explicarunt. Si enim Respublica, aut Rex innocentem hominem occideret, faceret contra illud præceptum, ut certum est, ergo non prohibetur absolute privata autoritate occidere, aut permittitur occidere publica. Neque valet dicere, quod qui interficit se defendendo, occidit publica autoritate, quia habet autoritatem à Deo per jus naturale: Hoc enim ineptum & ridiculum est. Nam hoc modo neque comedere, aut bibere nisi publica autoritate liceret. Non enim liceret, nisi à jure divino esset permissum.

Et ideo dimissis variis opinionibus, dico primò, quòd * hoc præceptum est juris naturalis, & non po-

fitivi, sicut etiam alia præcepta decalogi. Quòd patet, quia in lumine naturali semper fuit notum homicidium esse culpabile, & illicitum.

- 13 Secundo infertur ex hoc, quòd * hoc præceptum semper fuit æquale, & ante legem, & in lege, & tempore Evangelii. Patet, quia lex naturalis nunquam mutatur. Nec enim abrogatur, aut limitatur, aut extenditur. Est enim lumen signatum super nos à principio.
- 14 Tertio infero, quòd * si licebat interficere adulteram, aut furem in lege Moysei, etiam licuit ante legem, & licet in lege Evangelica.
- 15 Quarto dico, & infero, quòd * illo præcepto prohibetur omne homicidium, quòd stando in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile, & ad hoc solum oportet respicere, & non ad exceptiones, vel permissiones factas in lege. Omnia enim illa vel solum sunt judicialia, quæ jam cessaverunt: aut si sunt moralia sunt explicativa juris naturalis. Quare ad id est ultimo referendum, quando licet occidere, & quando non. Ad quod tamen juvat scripturas consulere, neque hoc est (ut ajunt) explicare idem per seipsum, aut ignotum per ignotius. Non est enim homicidium malum, quia prohibitum: sed prohibitum, quia malum. Quare ad intelligendum quid sit prohibitum per illud præceptum: *Non occides*, optimè respondetur, & per causam, quòd omne illud homicidium, quòd est jure naturali malum.
- 16 Quinto dico, quòd * in illo præcepto non magis prohibetur homicidium auctoritate publica quàm privata: Alia enim quæstio est, quem, & quando licet occidere: & alia quæstio est, cui licet occidere, nam aliquando est malum publica auctoritate occidere.
- 17 Sexto dico, quòd * dupliciter potest occidi homo. Uno modo ex intentione, & certo proposito, ut judex intendit privare vita malefactorem. Alio modo præter intentionem, non dico solum à casu, & involuntariè, sed etiam propter alium finem, quem si posset occidens aliter consequi, non occideret: sicut cum quis in defensionem sui, vel etiam Reipublicæ occidit invasorem, quem non occideret: si aliter posset se defendere.
- 18 Septimo dico, quòd * ex intentione licitum est stando

do in jurē divino solūm , & naturali occidere hominem nocivum Reipublicæ , quia homo est membrum communitatis : Et ideo sicut licitum est abscindere membrum corruptum , & nocivum toti corpori , ita est licitum jure divino , & naturali hominem perniciosum , & boni communis corruptorem interficere , etiam si hoc nunquam sit expressum in jure divino scripto : quia hoc est notum in lumine naturali , quod majus bonum debet præferri minori bono , & privato bono publicum bonum.

Octavo dico , quòd * tale homicidium de jure naturali , & divino est solūm commissum Reipublicæ : aut publicis magistratibus , & principibus , qui habent curam Reipublicæ : ut patet ex Paul. ad Rom. 13. *Non sine causa gladium portat , vindex enim est.*

Nonno dico , quòd * ex intentione occidere hominem semper est prohibitum homini privato. Nunquam enim licet nisi in casu præmissio. Non autem est commissa cura publici boni defendendi , nisi publicis personis : ergo nulli privato sua authoritate licet ex intentione occidere.

Ultimo dico , quòd * omne aliud homicidium ex intentione , est illo præcepto prohibitum , seu publicæ , seu privatæ personæ , præterquam in casu præmissio , quando vita alicujus propter peccatum ejus est perniciofa Reipublicæ. Nam de homicidio non ex intentione , quale est in defensione sui , aut Reipublicæ latior est disputatio : quòd licet etiam ex jure naturali cognosci posset , tamen quia non est præsentis speculationis , misum facio.

Ex his patet quam vim habet argumentum ex illo præcepto ad probandum , quod non licet interficere seipsum. Cùm * enim nemo sit judex sui ipsius , neque habeat authoritatem in seipsum , nunquam licebit se interficere , etiam si dignus morte esset , & perniciosus Reipublicæ.

Tertio arguitur , & probatur conclusio : Se occidens facit injuriam Reipublicæ : ergo peccat. Consequentia est clara. Antecedens patet : Quicquid homo est , est ipsius Reipublicæ , sicut pars sui est totius : ergo qui se occidit,

aufert à Republica quod suum est.

Quarto & ultimo probatur: Quia occidens se, facit contra præceptum de charitate: ergo peccat. Consequencia est nota, & antecedens probatur, quia non minus homo tenetur se ipsum diligere, quam proximum, sed si occideret proximum, semper esset contra charitatem proximi: ergo se occidens, facit contra charitatem sui. Ista duo argumenta, non carent difficultatibus, & dubiis, possentque examinari sicut præcedentia.

Sed quia impugnando conclusionem ipsam, commodius veritas ipsius explicabitur, nec tempus nobis suppeteret, si utrumque vellem prosequi, ideo hoc relicto, contra conclusionem arguitur, & primo sic: Nemo potest se saltem de industria, & volens occidere: ergo conclusio includit falsum, scilicet inveniri posse tale delictum, & crimen. Antecedens probatur: Quia voluntas non potest velle nisi bonum, ut Aristoteles habet, & impræsentiarum pro rato habemus: sed non esse, aut definire esse non est bonum, imò potius malum: ergo nullus seipsum potest interficere. Neque sufficit dicere, quod cum anima sit immortalis, non desinit esse saltem meliori sui parte, qui se interficit. Saltem enim argumentum procedit de illo, qui non haberet spem alterius vitæ, qui non posset seipsum interficere, cujus oppositum ex historia constat. Et confirmatur, quia impossibile est quod aliquis nolit esse beatus, ut disertè August. tenet 17. de Civitate Dei. Sed qui vult esse beatus, vult esse, cum non possit esse beatus, si non sit: ergo non potest aliquis nolle esse, & per consequens neque se interficere.

Secundo arguitur: Nulli facit injuriam qui se interficit: ergo non peccat se interficiendo. Antecedens patet, quia non sibi, volenti enim non fit injuria. Ipse autem volens patitur: ergo non patitur injuriam. Nec sufficit, dicere, quòd facit injuriam Reipublicæ, quia saltem qui bona venia Reipublicæ, vel adepti licentiam à Republica (sicut mos apud aliquas nationes fuit) se interficerent, non peccarent. Et confirmatur, quia qui bona temporalia volens perderet, neque sibi, neque Reipublicæ injuriam faceret, ut si quis equum suum occideret, & tamen non minus res temporales sunt Reipublicæ, quam

Arg. contra conclusionem.

hominis vita, imò multo plus: ergo nec se interficiens facit injuriam Reipublicæ aut sibi.

Item licet non se defendere à latrone invadente, quando non potest vitam tueri nisi alterum occidat: ergo licet se interficere. Consequentia probatur: Eodem præcepto tenetur quis defendere propriam vitam, quo tenetur se non occidere, & si se posset defendere, & non se defenderet, esset contra præceptum de non se occidendo.

Quartò, licet duobus existentibus in extrema necessitate, & habentibus solum unicum panem, unde alter posset tantum vitam conservare, licet inquam alteri habenti panem cedere alteri, & hoc est se interficere: ergo.

Quintò, si servus esset cum Rege in naufragio, & essent in tabula, vel navicula, quæ utrumque non posset sustinere, licet servo desilire in mare sine spe evadendi, ut Regem servet à morte: ergo licitum est in casu se interficere.

Sextò, licitum est damnato ad mortem, ut fame conficiatur, oblato panem non comedere: ergo licitum est se interficere. Antecedens patet, quia licitum est, & potest parere sententiæ, cui adjudicatus est.

Septimò, licet damnato ad mortem habita etiam opportunitate fugiendi non fugere, sed expectare, sit dat operam mortis propriæ: ergo.

Octavò, licet damnato ad mortem veneni hausti, haurire venenum: ergo licet se interficere.

Nonò, licet cum manifesto periculo mortis tempore pestis visitare amicos: ergo.

Decimò, licet navigare cum manifesto periculo mortis: ergo.

Undecimò, licita sunt exercita militaria, & taurorum exagitatio, etiam cum periculo mortis: ergo seipsum interficere. Probatur consequentia, quia in omnibus his tribus argumentis est eadem ratio, quia eodem præcepto generaliter prohibetur interficere alium, & exponere se periculo occidendi: ergo etiam de seipso.

Duodecimò, licet vitam breviorē facere abstinentiis & duro vitu, & aliis vitæ austerioris rigoribus: ergo se interficere. Consequentia probatur ex dicto Hieronymi:

Nihil interest parvo an magno tempore te interimas. Et antecedens probatur, & patet de monasteriis, ubi certum est vitam esse breviorē, quā extra.

Decimotertiò, non tenetur aliquis constitutus in extremo periculo redimere salutem quacumque pecunia, vel toto patrimonio: ergo non tenetur conservare vitam suam. Antecedens patet: Si enim quis indigeret ad salutem herba aliqua, ut (exempli gratia) radice pontica, quam non posset habere, nisi daret suum Regnum, aut principatum, non teneretur dare: ergo.

Decimoquartò, semper est licitum subire minus malum, ad evitandum majus malum: sed majus malum videtur in fama, & ignominia, quam mors: ergo saltem ad vitandum ignominiam, & infamiam licitum erit subire mortem, & se interficere.

Decimoquintò, saltem hoc, scilicet non licitum esse se occidere, non est ita per se notum, quin possit ignorari, cum apud multos, qui reputari sunt sapientes, fuerit laudatum: ergo saltem excusabuntur illi, qui purant se fortiter, & laudabiliter agere, se interficiendo, ut Cato, Brutus, & similes.

Decimosextò, legitur de quibusdam sanctis foeminis, quòd cum essent à Tyrano damnatae ut igne comburerentur, ipsae se in eum praecipitaverunt: ergo licet se interficere.

Decimosseptimò, Samson, Saul, Rasis, Eleazarus, se interfecerunt, qui non solum non vituperantur in Scriptura, sed certè Samson inter sanctos refertur ab Apostolo ad Hebraeos. Et Rasis, & Eleazarus laudantur. Et idem argumentum potest fieri de virginibus: Quae fugientes Romanorum injuriam, apud Aquilejam se in flumen praecipitaverunt.

Pro solutione istorum argumentorum multa & varia possent adduci, quae si tempus ferret, non essent inutilia vel injucunda tractatu, sed pro temporis brevitate solutionem illorum in paucissima verba conferam. Pro elucidatione ergo primi argumenti est advertendum, quòd
22 * objectum voluntatis non est solum verum bonum.

Resp. ad Arg.

Cum enim objectum non moveat voluntatem nisi mediante cognitione, nihil refert admovendum voluntatem

Ad 2.

an sit verum bonum, aut æstimetur verum bonum. Itaque cum interficere seipsum, aut prorsus non esse, possit æstimari bonum, ex hac parte non impeditur, quin possit aliquis sciens, & volens seipsum interficere, cum possit errare, & æstimare sibi bonum non esse.

Sed quoniam ista solutio solummodo ostendit aliquem ex errore posse velle non esse, & per consequens se interficere, dico secundo, quod non inconvenit aliquem sine errore quocumque, velle non esse.

Pro quo advertendum, quod sicut non inconvenit aliquid esse secundum se bonum, & tamen est aliqua circumstantia fieri malum, ita econtrario aliquid, quod absolute est malum, potest ex aliquo adjuncto fieri bonum. Atque in proposito, non esse, licet absolute sit malum, tamen tanquam medium ad vitandas miseras non solum potest æstimari bonum, sed revera esse bonum. Et quamvis esse secundum se sit bonum, tamen conjunctum cum aliquo malo, potest non solum æstimari, sed fieri revera malum. Unde dico, quod damnati sine quocumque errore cupiunt non esse. Quanquam enim esse absolute esset eis bonum, tamen tale esse, scilicet cum summa miseria, revera est eis malum, & melius esset eis non esse, quam sic esse. Quod Dominus in Evangelio satis aperte ostendit dictum de Juda traditore: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* (1) Quamvis enim aliqui ita hunc locum intelligunt, ut melius quidem fuisset Judæ non nasci, non tamen melius non concipi, aut non esse. Tamen non puto Christum habuisse respectum ad differentiam illam inter natum esse, & conceptum esse, & prorsus esse, sed absolute protulit, melius futurum illi omnino non esse, quam ita perditum esse. Unde Ecclesiast. 30. *Melius est mors, quam vita amara.* Quare damnati non errantes, sed recte eligentes, cupiunt non esse. Et hoc plusquam satis ad primum argumentum.

Sed instabat in confirmatione, quod omnis homo necessario appetit beatitudinem, quam non potest habere, si non sit: & per consequens videtur quod necessario velleret esse, neque posset velle non esse.

Ad hoc argumentum quamvis multifariam possit responderi, tamen in presentia dico, quod nullus potest velle

(1)

EUG. 231.

le absolute quod scit se nunquam adepturum, & per consequens nec medium eligere ad consequendum illud, quod consequi non sperat. Quare cum damnati firmiter credant se nunquam futuros felices, fit ut nec etiam esse velint, quod tamen necessarium est ad felicitatem: Et eo ipso quod damnati cupiunt felices esse, cupiunt miseras vitare, quas fugere non possunt, ac per consequens vellent non esse.

Pro secundo argumento, ejusque confirmatione est notandum, quod differentia est inter alias res corporales, & inter vitam hominis. Est enim homo ita verus dominus aliarum rerum, ut possit pro suo arbitrio uti omnibus illis. Omnia enim Dominus subjecit pedibus ejus: quare non tenetur homo ad conservationem rerum temporalium, sed potest pro sua voluntate, vel tenere, vel dimittere. Unde occidens proprium equum, aut comburens propriam domum, nulli facit injuriam: non est autem ita dominus, aut corporis, aut vitæ propriæ. Est enim solus * Deus dominus vitæ, & mortis, & quantum ad hoc homo peculiariter est servus Dei: unde occidens seipsum, occidit alicui servum, & facit injuriam Deo, à quo tantum donum utendum accepit non perdendum. Et sicut non est immunis ab injuria qui alium interficit, etiam alio petente, quia scilicet ille non est ita dominus vitæ suæ, ut possit facultatem cuiquam dare sibi vitam eripiendi: ita & qui seipsum interficit, injuriæ reus est. Ut enim apud Ciceronem Pythagoras ait: Prohibentur mortales sine jussu Imperatoris vel domini de præsidio, & statione vitæ discedere.

Pro tertio argumento: Quamvis nonnulli in illa sint opinione, ut putent hominem teneri ad tuendam vitam, quandoque licitè potest: tamen dico, quod * non solum in isto, sed in multis aliis casibus homo posset licitis mediis vitam servare, & tamen non tenetur. Unde si invasus à latrone, aliter non posset se defendere, quàm latronem interficiendo, non dubito, quin sit opus consilii, & perfectionis, permittere se occidere potius, quàm latronem in tali statu mittere in perditionem. Quod probatur: Si enim Christianus deprehensus in solitudine à Pagano invaderetur, eo quod Christianus esset, dato quod posset se ab illo defendere, etiam licitè, &

sine scandalo fidei; tamen nemo dubitaret, quin esset opus patientiæ, ferre aquanimiter mortem in testimonium fidei. Probatur secundo: Christus licitè se poterat defendere à Judæis vel Gentilibus, qui tyrannicè oppreserunt illum nec tamen fecit: ergo non quicumque licitè potest salvare vitam suam, tenetur. Item decem milia Martyrum, qui pro Christo mortui sunt, non videtur quòd non potuissent se defendere licitè, & pugnare adversus tyrannos, sicut & nunc Christiani se tuentur contra Paganos. Unde non dubito, quin plerumque martyrium sit sub consilio, & quòd multi martyres se ultrò martyrio obtulerunt, cùm ad hoc non obligarentur: quòd satis consonum videtur consilio Apostoli: (1)

(1) *Ad Rom. 12.* *Non vos defendentes charissimi, sed date locum ira. Et Dominus in Evangelio Matth. 5. Ego autem dico vobis, non resistere malo. Imò iste videtur error Judæorum, quem Dominus apud Matth. 5. capite elidit, quòd putabant non esse laudabile, si quis injurias patienter tolleraret.*

Pro quo est considerandum, quòd licet (ut dictum est) homo non sit dominus sui corporis, aut vitæ suæ, sicut aliarum rerum, tamen aliquid dominii, & juris habet in vita sua, ratione cujus qui nocent in corpore, non solùm facit Deo, qui est supremus dominus vitæ, sed etiam ipsi homini privato injuriam. Hoc ergo jus, quod homo habet in proprium corpus, potest homo laudabiliter dimittere, & perdere, quamvis habeat jus se defendendi, & sic patienter ferre mortem.

Contra hanc tamen solutionem potest instari. Quilibet tenetur defendere vitam innocentis, si quis per violentiam vellit eum interficere. *Unicuique enim Deus mandavit de proximo suo.* Et Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Unde si quis posset innocentem eripere de manu invasoris, & non faceret, esset reus homicidii. Ex hoc sic arguitur, plus tenetur homo servare propriam vitam quàm vitam proximi: si ergo tenetur homo defendere vitam proximi ab injusto invasore: ergo etiam propriam vitam.

Ad hoc primo dico, quod non est ita exploratum, quòd

25 quòd * semper homo teneatur defendere vitam proximi, etiam quodcumque licet. Si enim Christianus se ultrò offerret tyranno, ad augmentum fidei, etiam extra tempus necessitatis, quando scilicet est opus consilii, dato, quòd Christiani possent illum eripere de manu tyranni, & liceret sine scandalo, credo quòd non tenerentur, & sic non est universaliter verum, quòd quilibet tenetur defendere vitam innocentis, etiam cum licitè potest, ut patet de Petro Apostolo quem Dominus reprehendit, quia volebat eum eripere de manibus Judæorum.

Secundo dico negando consequentiam, si teneor defendere vitam proximi, quòd teneat defendere meam. Possum enim, ut dictum est, cedere juri meo, non autem juri fratris mei. Exemplum est clarum. Certum est enim quòd non teneor defendere bona temporalia mea, juxta id: *Si quis petierit à te tunicam, da ei & pallium.* Et tamen si possem sine periculo meo defendere bona innocentis à raptore, & latrone, certum est quòd teneor. Simili ergo modo quamvis possum non defendere vitam meam, non possum non defendere vitam proximi.

Pro quarto argumento licet multi vertant in dubium, an liceat pro privata persona ponere vitam, & plures partem negativam defendant, tamen ut aliàs à me disputatum est, puto probabilius hoc esse laudabile, & videtur laudatum à Domino in illo loco: *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis &c.* Ubi non distinguit de privata persona, aut publica. Et Joan. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Neque videtur solum loqui pro spirituali bono proximorum. Statim enim subditur: *Qui habet substantiam hujusmodi, & videt fratrem suum necessitatem habere, &c.* Et Cantic. 8. *Fortis est ut mors dilectio,* quia scilicet facit pro amico mori. Et ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea.* Et infra: *Ita viri debent diligere uxores suas, sicut corpora sua.* Et item: *Unusquisque uxorem suam diligat sicut seipsum*

seipsum. Et Arist. 9. Ethic. Omnino docet maximam honestatem esse, mortem etiam oppetere pro amicis: & filium patrem potius, quàm se redimere, & honestius esse, parentibus alimentis opitulari, quàm sibi ipsis: quod si in extrema necessitate licet panem vitæ necessarium patri relinquere, non est dubium, quin etiam liceat amico dare. Quare * omnino concedo in casu proposito 26 in argumento, quod licet panem alteri cedere cum certa pernicie propriæ vitæ.

Sed contra hoc vehementer illud urget. Sit enim casus quod sint in extrema necessitate filius cum patre, & alio extraneo, & filius habeat unicum panem. Sic arguitur: Sequitur, quod filius potest dare panem extraneo, relicto patre. Consequens autem est contra ordinem charitatis: ergo non sufficienter respondetur ad argumentum. Consequentia probatur, quia postquam filius habet jus servandi sibi soli panem, si potest juri suo cedere: ergo relinquere extraneo, & nullam injuriam facit patri, cum pater nihil juris habeat in pane illo.

Ad hoc nego consequentiam. Quamquam enim filius possit sibi panem retinere, & potest cedere juri suo, non tamen cui vult, sed tenetur ex ordine charitatis subvenire potius patri, quàm extraneo: & eo quòd panis est in potestate filii, pater habet majus jus ad panem, quàm extraneus.

Ad 5. Et per hoc patet ad quintum argumentum. Credo enim quòd in illo casu servus possit relinquere naviculam, aut tabulam, certus mortis, & non solùm pro Rege hoc esset laudabile, sed pro quocumque etiam amico, aut proximo, quod Lanctantius lib. 5. de Justitia, cap. 18. disertè commendat. *Quid (inquit) justus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? Non invitus, confiteor, morietur potius, quàm occidet. At stultitia est, inquiunt, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ, nunc etiam pro amicitia perire stultum judicabitur.* Et reliqua, quæ in hunc locum eloquentissimè congerit. Est sine * dubio pro amicis animam ponere stulticia hujus mundi, quæ tamen sapientia est apud Deum.

Ad 6. Pro sexto argumento dico, * quod talis tenetur co-28 me-

medere, & Sanct. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. dicit: Quod si non comederet, se interficeret: Quod probatur, quia tenetur uti ad conservandam vitam omnibus mediis à judice non prohibitis: judex autem non prohibuit, imo neque potuit quidem prohibere, ne oblato pane non ederet: non enim damnavit eum ut mortem sibi daret, sed solum ut pateretur: ut patet, quia comedens non facit contra sententiam judicis: ergo non est pœna inflicta à judice, ut ipse se ab esu abstineat. Itaque si licet ei comedere in casu posito, quod pro confesso video inter omnes constare, omnino videtur quod tenetur.

Pro septimo argumento similiter dico sicut ad sextum, quod * talis tenetur fugere, quia non est pars pœnæ inflictæ à judice ut maneat in carcere. Ad minus dico, quod idem est judicium de eo, qui est in carcere, & de eo qui est in sua libertate, & si latro peccat, ultro se oferendo judici, & carceri, etiam peccat si libere potest fugere, & non fugit.

30 Pro octavo, certè * non video quare id sit negandum licere. Etenim sicut sunt alia supplicia decreta contra nocentes, quare non posset id institui ut veneno tollerentur, quod si illud supplicium potest esse justum, cum aliter illa pœna irrogari non potest, nisi ut ille venenum epotet, nihil videtur cur non liceat ei haurire venenum. Sicut licet damnato ad supplicium ascendere scalas, & ei qui damnatus est gladio, parare jugulum: Neque enim unus magis cooperatur morti suæ, quam alius. Quod si datur, non posse tale supplicium constitui, consequenter dicendum est non esse licitum venenum sumere damnato à tyranno, sicut neque se jugulare, aut gladio incumbere: hoc autem est probabiliter dictum. Non tenetur enim sibi aliquis pœnam inferre, sed solum ferre: unde non videtur posse constitui pœna, ad quam necessarium sit ipsum nocentem cooperari. Mi tamen primum magis placet quam hoc, neque valet: ergo posset domnari ut seipsum jugulet, hoc enim potest fieri per alium, quod non est de haustu veneni, sed de hoc disputari potest.

Ad nonum patet ex solutione ad quartum, & quintum:

*Ad 7.**Ad 8.**Ad 9.*

tum: Ubi * enim amicus meus indigeret auxilio meo, vel 31
 obsequio in ægritudine vel consilio meo in conscientia,
 non dubito quin possem consulere illi, cum quantocum-
 que periculo meo, quod si nihil essem profuturus, pro-
 fecto, non videtur carere temeritate exponere me pe-
 riculo gravi sine ullo fructu: quanquam hoc ipsum sci-
 licet amicitiam, & fidem in amicis servare magnus fruc-
 tus est: Nec vellem uxorem damnare, quæ etiam cum
 magno periculo marito peste laboranti assideret, etiam
 si hoc officium non esset illo ullo pacto profuturum, sed
 ut pereunti viro officium, & consolationem prestare.

Ad 10. & 11.

Ad decimum, & undecimum est * advertendum, quòd 32
 ad cognoscendum quid in hoc casu liceat, non oportet
 solum habere respectum ad circumstantias pro tempore oc-
 currentes, sed magis, quid ut plurimum contingat: ne-
 que respectus habendus magis est ad bonum vel malum
 privatum, quàm ad bonum vel malum publicum, & com-
 mune, navigatio etiam pro tempore periculoso est utilis
 bono communi. Ex communicatione enim nationum, &
 provinciarum Respublica magna comoda accipit, &
 in pace, & in bello. Quare si propter periculum tem-
 pestatum homines deterrerentur à navigatione, fieret mag-
 na jactura publici boni, cum aut vix, aut nunquam,
 navigari sine magno periculo possit, & eodem modo de
 exercitiis militaribus dicendum: omnino enim est neces-
 sarium Reipublicæ milites habere ad defendendum pa-
 triam, qui sine militari exercitio inutiles bello essent.
 Sunt autem quædam exercitia militaria parum pericu-
 losa, ut sunt equestria, & alia multa, quæ sufficiunt ad
 exercendos milites, & ideo aliis multum periculosus uti
 illicitum esset: verum si non possent milites exerceri si-
 ne etiam magno, & gravi periculo, non ideo omitten-
 da essent bellica exercitia. Minus enim malum tempora-
 le tolerandum esset ad evitandum majus, ne scilicet pa-
 tria perdatur, & tyranni occupent illam, aut in bello
 victores hostes multo plures cædant, quia non sunt exer-
 citati milites.

Ad 12.

Ad duodecimum argumentum dico, quòd * nullo 33
 modo licet abbreviare vitam, sed est considerandum,
 quòd (sicut in materia de abstinentia late disserui) aliud
 est

est vitam mīnuere, aliud non proferre. Secundò est advertendum, quòd homo, licet teneatur non abrumperè vitam, non tamen tenetur omnia media etiam licita, quærere ut longiorem vitam faciat. Quod manifeste patet, dato enim quòd aliquis certò sciat, quòd in India est salubrior, & clementior aura, & quòd ibi diutius viveret quàm in patria, non tenetur navigare in Indiam, imò nec de una civitate ad aliam salubriorem. Nec enim Deus voluit nos tam sollicitos esse de longa vita. Similiter dico de alimentis, quòd quædam sunt, quæ non sunt propriè alimenta, quia de se sunt insalubria, & nociva humanæ valetudini, & istis uti esset interficere se, nec solùm intelligo de venenis, sed etiam de aliis insalubribus cibus, ut si quis velit victitare fungis, aut crudis herbis, & acerbis, aut aliis similibus. Alia sunt alimenta, quæ licet non sint ita salubria sicut alia, non tamen sunt contraria vitæ humanæ, ut pisces, ova, lacticia, & potus aquæ. Item dico, quòd oportet respicere ad id quòd communiter accidit. Est autem commune, ut plures in juventute reperiantur fortè moriantur ex lautis, quàm ex pœnitentibus, plures enim interficit gula, quàm gladius.

34 Istis præmissis dico ad argumentum, quòd * non est licitum vitam breviorè, reddere alimentis insalubribus & nocivis. Secundò, quòd non tenetur homo uti alimentis optimis, non nocivis, ut piscibus. Neque enim si medicus consulit, quòd si quis bibat vinum, vivet diutius decem annis, quàm cum aqua, ideo non licebit abstinere à vino: potus enim aquæ non est contrarius vitæ, neque hoc est vitam minuere, sed non producere, ad quòd non tenetur quisquam. Hoc dico de sanis & bene habentibus: Ægrotantibus enim aliqui sunt insalubres, & nocivi, qui sanis sunt salubres. Unde ægrotis non esset licitum hujusmodi alimentis uti: sed de hoc in materia de abstinentia latius. Et idem est de inediis, & aliis pœnitentiæ exercitiis judicium.

Per hoc etiam patet ad decimumtertium. Non enim
35* tenetur quis, ut dixi, omnia media ponere ad servandum vitam, sed satis est ponere media ad hoc de se ordinata, & congruentia. Unde in casu posito credo,

Ad 13.

do, quod non tenetur ille dare totum patrimonium pro vita servanda: Et reputatur non habere remedium, & alius qui negat remedium, est homicida. Ex quo etiam inferitur, quod cum aliquis sine spe vitæ ægrotat, dato quod aliquo pharmaco pretioso posset producere vitam aliquot horas, aut etiam dies, non tenetur illud emere, sed satis erit uti remediis communibus, & illæ reputatur quasi mortuus.

Ad 14.

Ad decimumquartum dico, quod vita * est majus ³⁶ bonum, quam bona temporalia, inter quæ gloria, honor, & fama reponuntur. Cuncta enim quæ habet homo, pro anima sua dabit: omnia liquidem illa ordinantur ad vitam humanam sicut ad finem. Unde Salomon dicit: *Curam habe de bono nomine: hoc enim permanebit tibi magis, quam mille thesauri*. Non enim comparat bonum nomen ad vitam, sed ad thesauros. Et alibi: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Et Eccles. 30. *Non est census super census salutis corporis*. Dico ergo, quod non licet ponere vitam pro fama aut gloria. Unde non solum qui se interficiunt, sed qui sine alio titulo ponunt vitam in magno periculo propter gloriam humanam, graviter delinquent. Et Arist. 3. Ethic. ait: *Ultimum malorum mors*.

Pro his omnibus quatuordecim argumentis est considerandum, quod in eis omnibus non est tractatum, an aliquis ex intentione, & volens, possit se occidere, sed solum præter intentionem, ut patet in omnibus illis, & ideo nihil possunt probare contra intentionem conclusionis propositæ. Unde solum concedimus, quod non possit quis se interficere ex intentione ut se interficiat. Quare sive id, quod in argumentis propositum fuit, sit licitum, sive non, nihil procedunt contra conclusionem, non enim id est se interficere, ut in proposito accipimus, sed solum mors imperata, ex tali actu, volo me occidere.

Ad 15.

Et ideo gavius argumentum est decimumquintum: Utrum * Brutus, Cato, Decius, & alii innumeri, qui ³⁷ se occiderunt, poterant ignorare inculpabiliter talem mortem esse illicitam, cum ipsi omnino crederent esse optimam, & honestissimam, & à viris qui pro sapientibus habiti sunt, laudentur.

Rospondetur: Non videtur majus dubium, quam de aliis divinis præceptis. Multa enim sunt præcepta divina, quæ apud paganos fuerunt, & hodie sunt ignorata, ut de fornicatione, de vindicatione injuriæ, in quibus tamen non damus ignorantiam invincibilem, sed dicimus cum beato Paul. ad Rom. 1. quod in pœnam perfidiæ suæ impietatis, *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea que non conveniunt, repletos, omni iniquitate, malitia fornicatione, homicidiis, &c.* Et sic quod non excusantur, sed est sapientia hujus mundi quæ est stultitia apud Deum. Quod autem in lumine naturali cognosci possit illicitum esse seipsum interficere, patet, quia Philo'sophi studiosi virtutis, id docuerunt, ut patet ex Arist. 3. Ethic. dicente, quod est non magnanimi mortem sibi consciscere, sed pusillanimi, & non potentis ferre vitæ labores, & Cicero: *Mortem (inquit) cur mihi consciscerem, cum causam nullam habeam? Cur optarem multas? Quamquam hoc ipsum sapienter, sapientis enim est, neque optare mortem, neque timere.*

Ad ultimum de Samfone, Rafia, Saule, &c. non similiter de omnibus dicendum videtur. Samsonem enim necessarium est excusare, quem Paulus retulit inter justos. Unde August. dicit Samsonem hæc ratione excusari, quia spiritui Dei motus fecit, nec hoc est divinare, sed habetur expressè ex historia Judicium, ubi dicitur orasse Dominum, ut redderet ei pristinam fortitudinem, ut ulcisceretur se de inimicis suis. Quamvis posset, & alia solutio dari. Non enim interfecit se ex intentione, sed voluit hostes opprimere, & interficere, ad quod secuta est mors ipsius: ipse enim bene optasset alios perdere se salvo, si fieri potuisset: hoc autem sine nova revelatione videtur licitum. Quis enim dubitat, quin aliquis in prælio, vel defendendo civitatem, posset certus de morte facinus aggredi, quod sit quidem patriæ salutis, hostibus autem magnum detrimentum futurum? ut de Eleazaro legitur 1. Mach. 6. qui ingressus sub ventre elephantis, cui regem Antiochum insidere credebatur, elephantem quidem gladio confodit, ipse vero bestię ruina oppressus, præclaram mortem invenit, quia se libenter

ter (ut dicit Scriptura) pro populo suo posuit : quod factum adeò non vituperatur , ut Ambr. lib. *de Officiis*, cap. *de Fortunitate* , Eleazarum mirificis efferat laudibus. Atque ita videtur posse excusari Samson sine recurſu ad instinctum caelestem. Eodem enim modo Eleazarus se interfecit , sicut Samson.

De Saule verò non est idem iudicium : cum enim dimissus esset , imò repulsus à gratia Dei , non est necesse quærere excusationes. Sabellicus scribit Saulem non se interfecisse , sed cogitasse quidem de morte sibi consciscenda : verùm quia visum est impium vitam violenter abrumpere , ab Amalecita quodam ignorante quis esset , interfectum. Sed est turpis lapsus Christiani Historici , cum primi Regum ultimo legatur Saulem incubuisse super gladium suum , & sic vitam finiisse.

Rasias verò probabilius posset excusari , quamvis S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. non excuset illum : Super qua re est contentio inter Nicolaum & Burgensem , quos videre poteritis ad longum. Et ista quantum ad præsentem relectionem sufficiant.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA

RELECTIO DE SIMONIA.

Locus relegendus est Matth. 10. *Cratis accepistis , gratis date.*

S U M M A.

1. *An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali.*
2. *Simonie definitio. Et unde sit dicta Simonia.*
3. *Simonie objectum circa quod versatur.*
4. *Spirituale quid dicatur in materia simoniaca.*
5. *Simonia non committitur nec circa scientiam , aut*
dos-

ter (ut dicit Scriptura) pro populo suo posuit : quod factum adeò non vituperatur , ut Ambr. lib. *de Officiis*, cap. *de Fortunitate* , Eleazarum mirificis efferat laudibus. Atque ita videtur posse excusari Samson sine recursum ad instinctum caelestem. Eodem enim modo Eleazarus se interfecit , sicut Samson.

De Saule verò non est idem iudicium : cum enim dimissus esset , imò repulsus à gratia Dei , non est necesse quærere excusationes. Sabellicus scribit Saulem non se interfecisse , sed cogitasse quidem de morte sibi consciscenda : verùm quia visum est impium vitam violenter abrumpere , ab Amalecita quodam ignorante quis esset , interfectum. Sed est turpis lapsus Christiani Historici , cum primi Regum ultimo legatur Saulem incubuisse super gladium suum , & sic vitam finiisse.

Rasias verò probabilius posset excusari , quamvis S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. non excuset illum : Super qua re est contentio inter Nicolaum & Burgensem , quos videre poteritis ad longum. Et ista quantum ad præsentem relectionem sufficient.



REVERENDI PATRIS FRATRIS
FRANCISCI A VICTORIA

RELECTIO DE SIMONIA.

Locus relegendus est Matth. 10. *Gratis accepistis , gratis date.*

S U M M A.

1. *An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali.*
2. *Simonie definitio. Et unde sit dicta Simonia.*
3. *Simonie objectum circa quod versatur.*
4. *Spirituale quid dicatur in materia simoniaca.*
5. *Simonia non committitur nec circa scientiam , aut*
dos-

doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato.

6. Spirituale, in hoc proposito vocatur donum Spiritus Sancti.
7. In Simonia definitione, quid per emptionem & venditionem intelligitur.
8. Emptio, & venditio rerum spiritualium non solum est simoniaca, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita.
9. Quod Simonia sit illicita.
10. Simonia, divino jure prohibita est.
11. Simonia, jure naturali prohibita est.
12. Simonia omnis an sit jure divino prohibita, & an aliqua sit solum jure positivo.
13. Contractus aliquis, qui nunc non est simoniacus, an sit vel possit jure positivo fieri simoniacus.
14. Spiritualia, sunt aliqua jure positivo: Et quae sint.
15. Emptio, aut venditio eorum, quae jure positivo sunt spiritualia, jure divino prohibita est.
16. Simonia aliqua: omnino praecise de jure positivo est.
17. Simonia, an sit aliqua circa ea quae sunt vere spiritualia, & secundum se & de jure positivo. Et quomodo contractus aliquis, vel permutatio spiritualis secundum se de jure positivo sit simonia.
18. Simonia peccatum: in lege scripta & potuit esse, & fuit.
19. Simonia peccatum in lege naturae potuit esse, aut fuit.
20. Simonia crimen: an inter paganos, & idololatrias esse potuerit.
21. Emptio, aut venditio, non solum ex intentione apud idololatrias fuit crimen simoniae verum, sed etiam ex objecto.
22. Simoniacus, an sit is, qui timore, consanguinitate, praecibus, & favore, aut obsequio administrat spiritualia.
23. Simoniacum non est conferre spirituale sine respectu ad commodum, vel incommodum, timore indignationis.
24. Spirituale dare ex timore alicui digno, videtur non esse malum.
25. Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, ut vitae, aut exilii, aut carceris, dummodo hoc non redundet

- det in aliquod commodum temporale, vel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum pretii: non videtur esse malum.
26. Collatio spiritualis ratione consanguinitatis an sit simonia.
27. Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum.
28. Beneficium si quis conferat consanguineo, aliàs idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate: non peccat mortaliter.
29. Pontifices parati ad dandum beneficia consanguineis sine delectu, peccant mortaliter.
30. Beneficia conferre propter preces principaliter, an sit simonia.
31. Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale, siue digno, siue indigno illicitum est.
32. Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale, an sit mortale, si alias collatio fiat digno.
33. Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale si fiat digno, non putat author esse propriè simoniam.
34. Simonia: quomodo esset, si favor, vel preces, vel laus resolverentur tanquam pretium in aliquod temporale.
35. Simonia, quomodo fortè esset, si preces, favor, vel laus, & amicitia deducerentur in pactum.
36. Simoniacum est, conferre officium ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia estimabile, ita quòd tandem resolvitur in commodum temporale. Et quid si non adsit pactum expressum, vel tacitum.
37. Prestare obsequium Pontifici, ut illa ratione possit quis consequi beneficium, an, & quando esset simoniacum.
38. An possit summus Pontifex esse simoniacus.
39. Papa, in simonia, quæ est juris divini, equè, vel gravius possit esse simoniacus, sicut alius homo.
40. Utrum sit simoniacum sperare beneficium spirituale ex officio temporali.
41. Spiritualia promittere, an sit simonia.
42. An omnis simonia in ecclesiastico beneficio sit de jure positivo tantum.

43. Vendere Canonicatum simplicem non minus est simonia, quàm vendere beneficium cum cura animarum.
44. Papa, non possit vendere sine vitio simonia ex quacumque causa quodcumque beneficium ecclesiasticum.
45. An præbende omnes militares, quas commendas vocant, auctoritate Papæ possint vendi pro temporali sine vitio simonia.
46. Commenda, pro beneficio commutari non possunt, etiam ex auctoritate Papæ.
48. Simonia an contingat circa pensiones.
48. Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicujus ministerii spiritualis, licita est, & honesta.
49. Beneficium habens, cui per aliquod tempus ministravit, licetè possit auctoritate Papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocumque onerati officio spirituali.
50. Papa, non possit dare alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neque temporale, neque spirituale conferat in Ecclesia, vel alio pio titulo.
51. Quod Papa det Clerico pensionem aliquam in alieno beneficio solum, quia sit Clericus, non videtur irrationabile.
52. Si Papa alicui justo vel injusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicujus tituli spiritualis, talis pensio merè temporalis est. Et quomodo vendere talem pensionem aut redimere pretio quolibet temporali non sit simoniacum.
53. Si quis contulit beneficium, aut permutavit pro pensione, etiam auctoritate apostolica: an talis pensio possit vendi, aut pecunia redimi.
54. Pensio quacumque, quam Papa imponit, vel ex officio suo, vel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium vel ministerium spirituale possit vendi, & sine simonia redimi. Et an talis pensionarius teneatur ad officium canonicum.

Quæst. principi-
pali.

Super hunc locum ponitur quæstio in præsentî dis-
serenda: An licitum sit * dare aliquid temporale
pro spirituali.

Arg. 1. pro
parte affirm.

Pro parte affirmativa arguitur: Licet recipere pecuniam pro administratione sacramentorum, & illa sunt maxime spiritualia: ergo licitum est pro spirituali temporale recipere. Antecedens patet ex consuetudine per totam Ecclesiam approbata de recipiendo aliquid pro Sacramento Missæ, pro administratione Sacramentorum, pro prædicatione, & similibus: ergo. Confirmatur, quia Prophetæ receperunt pecunias pro actu prophetandi, & tamen actus prophetandi ponitur inter spiritualia, & inter dona Dei: ergo. Major patet, quia ut dicitur. 1. Reg. 9. Saul dedit pecuniam Samueli, ut indicaret ei asinas patris sui: Ubi sic habetur, quòd puer respondit Sauli: *Ecce inventa est in manu mea, 4. pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.* Idem patet 3. Reg. 14. de uxore Hieroboan, quæ attulit munera ad Abiam Prophetam, ut indicaret ei quid futurum esset de filio ægrotante. Et 4. Reg. 8. legitur, quod *Elisæus venit Damascum, & Benadab Rex Syria ægrotabat: annuntiaveruntque ei dicentes: Venit vir Dei huc, & ait Rex ad Azael: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule per eum dominum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? Fuit igitur Azael habens secum munera, & omnia bona Damasci onera 40. camelorum.* Et quamvis non legamus, quod Elisæus ea acceperit, non tamen legimus quòd reprehendit, nec scriptura reprehendit.

Secundò: Licet recipere pecuniam pro sepultura, pro dote facelli, etiam cum pacto: ergo. Confirmatur, quia Abraham emit sepulturam, & habetur Genes. 22. Jacob etiam emit jus primogenituræ cui eodem tempore videtur fuisse annexum Sacerdocium. Genes. 25.

Tertiò: Licet præstare obsequium Cardinalibus, & Episcopis, solùm ea ratione & spe, ut obtineantur beneficia: ergo.

Quartò: Licet emere, aut vendere calices, & ornamenta 10. q. 2. cap. Circa: ergo.

Quintò: Licet dare pecuniam pro ingressu Religio-
nis,

nis, ut pater de Monasteriis Virginum, nec satis est dicere quod recipiunt ad sustentationem, quia constat quod saepe recipiunt plusquam opus si ad sustentationem Virginis Monasteria alias opulenta, & hoc cum pacto, alias non recipiunt hujusmodi Virgines aut puellas.

Sextò: Licet sperare spirituale pro temporali, ut patet de famulis Episcoporum: ergo.

Septimò: In matrimonio intervenit pecunia, & cum pacto, & est verum Sacramentum: ergo licet etiam dare pro aliis. Proposui tot argumenta, quia ex solutione istorum dependet magna ex parte solutio, & explicatio materiæ de simonia.

In contrarium sufficit locus propositus Matth. 10. Quatuor partes habebit relectio. Prima de peccato simoniæ: Secunda de pœna simoniæ: Tertia de restitutione acquiritorum per simoniam: Quarta respondebit ad argumenta proposita.

Pro solutione quæstionis notandum, quod simonia à Doctoribus sic definitur. Simonia * est studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Hæc definitio ponitur à S. Thom. & prius ab Altisiodorensi lib. 3. tract. 21. & ponitur ab Hostiensi, & communiter à Doctoribus in Jure Canonico, & sumitur secundum omnes ex cap. *Quicumque studet* 1. q. 2. ut ait frater Martinus in Margarita decreti. Panor. in cap. *Nemo*, de simonia addit in definitione: *Opere subsequuto*. Et etiam Hostiens. & dicit Panorm. notari in definitione in cap. *Insinuasti* 1. q. 1. Sed tamen vide Armach. lib. 10. cap. 12. expresse probantem non opus esse illa particula. Et probat ex facto Simonis, Actor. 3. & ita dicit, quod simonia dicta à facto Simonis, est velle communicare gratiam & potestatem petitam, sive pro ea habenda offerre pecuniam.

Pro cujus declaratione dubitatur, quid in definitione dicatur spirituale: Hoc enim ante omnia operæpretium est ut cognoscamus: quid est objectum simoniæ. Et ut aliqua certa ratione, & velut quibusdam numeris procedamus distinctiùs, sit prima conclusio.

3 Objectum * circa quod versatur simonia, est res spiritualis. In qua conclusione omnes conveniunt. Et pro-

batur, Actor. 8. dicit Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Sed donum Dei vocatur aliquid spirituale, & ab eo conatu Simonis vocatur simonia: ergo simonia est circa aliquid spirituale: vide de hac authoritate Armach. lib. 10. cap. 12. Voluit enim Simon emere potestatem, seu facultatem, ut cuicumque manus imponeret, acciperet Spiritum Sanctum. Præterea ratione probatur: Quia nihil est temporale, quod non videatur posse cadere licite sub prætio, sed in hoc consistit simonia, quod aliquid prætio æstimatur, quod non licet æstimare: ergo objectum simoniæ non potest esse aliquid temporale.

Sed hoc ipsum revocatur in dubium, quid * in proposito dicatur spirituale. Cum enim spirituale multifarie dicatur, non sine causa disputatur cujusmodi spirituale sit materia, vel objectum simoniæ. Pro quo est considerandum, quod ut dicit S. Thom. in 1. sentent. d. 10. artic. 4. spiritus prius dicitur de corporeis rebus, quàm de incorporeis. Dicitur enim spiritus ab spirando, quod est halitum emittre, atque adeò spiritus id videtur ex primaria significatione, quod halitus: quod adeò verum est, ut grammatici nostræ ætatis non probent, aut recipiant ut vel Deus, vel Angeli, vel omnino aliquid in corporeum, dicantur Latine spiritus, aut spirituale, quo nomine etiam Baptistæ Mantuano Itali negocium facefiverunt, quod in suis poematibus in illa significatione frequenter usurpaverat. Sed defenditur à viro eruditissimo Ptolomæo fratre. Et certè præterquam quod ita illa voce usi sint vetustissimi Christianorum non minus eruditione quàm Religione insignes cujusmodi fuerunt Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambrosius, Prudentius, Sedulius, & ante eos Tertulianus, à quibus (bona vel mala venia istorum dixerim) omnes Grammatici nostri latinitatem discere potuerunt. Sed præter hoc inquam libenter ab illis quærerem, qua ratione, aut quibus verbis illi novum testamentum, aut totum etiam vetus ex Septuaginta Interpretibus traducere possent, ubi pneuma & pneumatica pro incorporalibus usurpantur, ut nunquam aliis vocabulis signentur. Dubitandum autem non est quin ipse Cicero si ex Græco traduce-

ceret, non aliter quàm spiritus, aut spiritalia verteret.

Unde cum S. Thom. est notandum 1. p. q. 36. art. 1. & in 1. sentent. ubi suprà, quòd licet ita sit, quòd nomen spiritus primaria impositione impositum fuerit ad significandum aliquid incorporeum, tamen quia spiritus subtile quoddam & invisibile est, factum est, ut illud nomen derivatum esset ad omnia subtilia, & invisibilia, ut sunt Deus, Angelus, & anima, & omnia quæ in eis sunt.

Quare cum tam latè pateat nomen spiritus, & spirituale in materia, & proposito de simonia, Doctores distinguunt, quòd spirituale vel dicitur à spiritu creato vel increato: non enim dicitur spirituale propter ordinem ad Spiritum Sanctum. Gratia verò spiritualis est spirituale à spiritu increato.

Burida 2. de Anima q. 22. dicit, quòd hoc nomen spiritus priùs fuit impositum ad significandum res invisibiles, sicut Deum, & Angelos, & postea translatum est ad significandum corpora subtilia.

Est ergo opinio aliquorum, quòd in definitione simoniæ non solum capiatur spirituale à spiritu creato, sed etiam à spiritu increato. Unde dicunt quòd emere, aut vendere scientiam naturalem, simoniacum est, ejus sententiæ fuit Altissiodor. lib. 3. tract. 21. & sequitur eum Sylvest. verbo *Simonia*, §. 10. unde dicunt, quòd vendere veritatem non solum in scientia theologica, sed etiam in aliis scientiis, est simoniacum. Idem habet Alexan. Al. 2. p. q. 135. memb. 3. & eadem videtur sententia Glossæ in cap. *Non licet* 11. q. 3. ubi dicit, quòd si advocatus potest ferre patrociniū causæ justæ sine labore revolvendi libros, quòd tenetur gratis dare consilium. Et posset suaderi opinio, quia nulla scientia est æstimabilis prætio.

(1) *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* (2) *Noli sapientiam vendere, & doctrinam, & intelligentiam.*

(1)
Proverb. 17.

(2)
Proverb. 23.

Sed contra istam opinionem sit secunda conclusio:
3 Simonia * non committitur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato. Hujus opinionis fuit Durand. 4. dist. 25. q. 3. quòd absolutè docere, consulere pro pretio, non est simonia. Idem habet Ricard. 4. dist. 25. & Palud. ibidem
quæst.

quæst. 5. Adrian. quotlib. 9. artic. 1. idem videtur tenere Armach. lib. 10. cap. 2. nullam enim videtur facere mentionem de spirituali alio, nisi pro dono Dei: & cap. 9. ponit tres rationes: quare dona Dei, qui gratis acceperunt, gratis debeant impendere.

Verum est, quòd S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. artic. 2. q. 2. ad 8. dicit, quòd Magistris artium licet vendere labores suos, sed non scientiam, sive veritatem, quæ spiritualis est. Unde dicitur Proverb. 23. Noli vendere scientiam. Sed in 2. 2. q. 100. nullam fecit mentionem de hoc. Et sic non dubito illum reliquisse opinionem illam antiquorum. Atque adeò pro certo habeo nec simoniam nec aliud peccatum committi, si quis quomodocumque componat de pretio doctrinæ, aut scientiæ. Imò S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. videtur idem dicere, quod in quartò loco citato, sunt verba ejus: *Ille autem qui habet scientiam, & non suscipit cum hoc officium ex quo obligetur, alii usum scientiæ licitè impendere potest, & pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans.* Idem videtur expressè dicere quotlib. 8. q. 6. art. 5. & Adrian. ubi supra.

Sed nihilominus probatur conclusio: Quia in scriptura nunquam prohibetur emptio, aut venditio rei, eo quòd spiritualis sit, sed quia donum Dei, ut patet Actor. 8. & Matth. 10. dicitur: *Euntes autem predicare dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones ejicite, gratis accepistis, gratis date.* Præterea quia si eodem modo esset prohibitum vendere hæc spiritualia sicut alia, non solùm veritatem ipsam, sed nec laborem annexum, nec effectum doctrinæ liceret vendere sicut nec licet Sacerdoti vendere laborem circa Sacramentum, nec effectum Sacramenti, & tamen licet Medico vendere laborem docendi, & effectum artis, scilicet curationem infirmi. Præterea, quia si non liceret vendere: ergo nec emere. Utrumque enim est æqualiter illicitum, & tamen Proverb. 23. dicitur: *Veritatem eme.*

Verum est etiam quod Turrecremata in cap. *Qui studium* 1. q. 1. tenet, quod scientiam vendere est simonia.

nia. Et citat Hugonem: imò sanitatem vendere. Sed Cajet. in summa tit. de Simonia in principio expressè tenet, quòd non dicitur res spiritualis, nisi à Spiritu Sancto: licet infra regula sexta videatur dicere, quòd non licet vendere veritatem scientiarum. Et idem habet 2.2. q. 100. art. 3. ad secundum dubium: sed contra istos omnes sunt rationes factæ.

Dubium tamen peculiare est de scientia theologica: An liceat vendere doctrinam theologicam secundum se. Et quidem Hostiens. in cap. *Quia nonnullis*, de Magistris dicit, quòd Theologus habens præbendam; si aliquid exigat, est simoniacus. Et Palud. ubi supra concedens de aliis scientiis, de Theologica dicit, quòd videtur, quòd accipere aliquid pro Theologia, sit simonia. Quod sequitur Sylvest. ubi supra. Concurrentibus tamen duobus, primò quòd legatur est officio magisterii, secundo, quòd incidat pactum vel exactio, sed idem puto dicendum quod de aliis scientiis, si intentio solùm feratur ad tradendum doctrinam, & non per modum consilii spiritualis, qui non est donum Dei plusquam philosophica disciplina. Et Durand. & Adrian. indistinctè loquitur de scientia. Præterea, quia cùm temporale est annexum spirituali, non potest vendi temporale ratione spiritualis, sed solùm ratione sui, ut patet. Atqui in Ecclesia labor doctrinæ nil valet, nisi ratione doctrinæ: ergo.

6 Tertia conclusio: Spirituale * in proposito est, quod vocatur donum Spiritus Sancti, quia Actor. 8. de hoc condemnatur Simon, quia voluit emere signum Spiritus Sancti: & Matth. 10. præcipitur Apostolis gratis dare, quia gratis acceperunt.

Unde sequitur primum corollarium: Omnia quæ Apostolus numerat (1) sunt spiritualia isto modo: *Divisiones* (inquit) *gratiarum sunt, idem autem spiritus, divisiones ministrarionum sunt.* Et infra: *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alii quidem sermo sapientia, alii sermo scientia, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Et ad Ephes. 4. *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et ipse*

Dub. 1a

Corol. 1.

(1)

1. ad Cor. 12.

& ad Eph. 4.

se dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii. Omnia enim hæc sunt gratia & dona Spiritus Sancti.

Secundum corollarium: Omnia quæ spectant ad salutem animæ dicuntur spiritualia in proposito. Patet: quia omnia quæ spectant ad salutem animæ spirituales sunt dona Dei, vel spectant atque ordinantur ad dona, vel procedunt ex ipsis.

Confirmatur conclusio cum corollariis: Ubicumque in scriptura reprehenditur emptio aut venditio alicujus, semper est de aliquo spirituali, hoc modo: ut patet de Balaam, de quo habetur num. 22. & Deut. 23. qui condemnatur à beato Petro; (1) inde, quia mercede conductus, voluit maledicere filius Israel. Et de Giezi 4. Reg. & de Hieroboan legitur 3. Reg. 13. quod constituebat Sacerdotes pecunia, & pretio. In omnibus autem illis erat aliquid spirituale, ut gratia sanitatis, spiritus propheticus, autoritas sacerdotii, quæ omnia sunt spiritualia hoc modo: ergo ita capiendum est spirituale in materia simoniæ. Et confirmatur, quia prohibitio simoniæ sumpta est ex scriptura: sed nec scientia, nec aliquid aliud bonum acquisitum in scriptura vocatur donum Dei, nec spirituale: imò nec sancti antiquiores unquam dicerent geometriam esse bonum spirituale: ergo nulla ratione simonia consistit circa illam. Confirmatur secundo: Nam si quis daret beneficium pro scientia geometriæ aut medicinæ, esset simoniacus: ergo scientia non est spirituale, sed temporale bonum. Et profectò si geometria est spiritualis, non licet eam vendere: ergo nec artes mechanicæ, scilicet sartoriæ, sutoriæ possunt vendi. His accedit quod S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 4. dicit, quòd advocatus in causa justa potest vendere auxilium, & patrocinium, & consilium.

Dub. 2. Secundum dubium, pro declaratione definitionis est: Quid * per emptionem & venditionem intelligatur in definitione simoniæ, utrum scilicet intelligatur solus contractus, ubi intervenit aliquid temporale, vel absolute prohibeatur omnis contractus non gratuitus. Et quidem

(1)
E. Petr. 2.

dem videtur primum, quia Actor. 8. ubi primò videtur damnatum hoc crimen in novo testamento, solum prohibetur pactum temporale. Et Matth. 10. satis ostendit Dominus idem prohiberi: statim enim subjungit: *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Et in veteri testamento ut patet in locis ubi supra, non damnatur nisi temporalis merces pro beneficio spirituali, ut de Giezi patet, & Ballaam, & Hieroboam. Sed hoc non obstante est conclusio.

8 Non * solum emptio & venditio rerum spiritualium, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita, est simoniaca. Hæc conclusio est S. Thom. quæst. 100. art. 1. ad 5. & Adrian. quotlib. 9. art. 2. & Ricard. in 4. dist. 25. & Palud. dist. 5. & Sylvest. verb. *Permutatio*, §. 4. & fuit antiquissima. Unde etiam Cantor Parisiensis doctor antiquus definit simoniam, quòd est spiritualium acceptio vel collatio non gratuita. Et Ricard. specialiter dicit, quòd non licet duobus adultis pacisci inter se, ut invicem baptizentur. Probaturs conclusio ex cap. *Quæsitum* de Rerum permutatione: ubi disertè continetur, quòd permutationes præbendarum continent ex pactione partium labem simoniæ. Et cap. *Cùm olim.* Innocentius III. reprobabit Archidiaconum & Præpositum ex eo, quòd inter se commutassent: Et ratio est, quia talis permutatio non gratis fit, & per consequens prohibetur Matth. 10. Præterea illud est vitiosum, & non videtur aliud peccatum, quàm simoniæ: ergo est simonia. Major patebit inferiùs latiùs. Sed in presentia probatur quia spiritualia dantur propter utilitatem communem, ut Apostolus ait: (1) *Ad consumationem sanctorum in opus ministerii, in edificatione corporis Christi.* Sed si liceret hujusmodi commutationes facere potestates spirituales non distribuerentur pro utilitate communi, sed in favorem privatorum hominum: ergo illud est illicitum: de quo tamen uberiùs paulo post differemus.

Sequitur in definitione: Vel annexum spirituali. De hoc, ut nil sit extra controversiam, sunt etiam variæ opiniones. Nam quidam intelligunt per spirituale, quod ex natura rei est spirituale, ut Sacramenta, & eorum effectus: per annexum autem spirituali illud quod per ac-

(1)

1. ad Cor. 12.
& ad Eph. 4.

cidens, id est de jure positivo, habet aliquid spiritualitatis. Sed communior expositio Doctorum est, ut per annexum spirituali intelligantur illa quæ ad spiritualia ordinantur, ut vasa, & ornamenta sacra. Ita exponit S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4.

Restat in definitione illa particula, studiosa voluntas, in qua illud solum dubitari potest, cur potius simonia diffiniatur per actum voluntatis, quam homicidium, aut alia vitia, cum æquè ex sola electione voluntatis sint aliqui rei homicidii, aut adulterii secundum illud: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Aut: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est, &c.* Ad hoc dico, quod occasio hujus fuit, quod Simon Magnus conatus quidem fuerit donum Dei pecunia possidere, sed opere non perfecit: ideo in definitione simoniæ ponitur: Non opus ipsum, sed voluntas, vel studium: hæc spectant ad qualemcunque diffinitionis intelligentiam.

Nunc redeundo ad quæstionem principalem: Utrum simonia sit licita, sit prima conclusio.

Simonia * est illicita. Hæc est nota ex Evangelio, & ex sententia omnium Sanctorum & Doctorum: sed quo jure, sit secunda conclusio.

Simonia * est prohibita jure divino: hæc etiam est nota, tum ex veteri, tum ex novo Testamento, ut patet ex locis superius allegatis. (1) Damnatur Balaam: *Erraverunt (inquit) secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.* Et de eodem Judas in Epistola. *Vae illis, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt.* Et Joan. 2. *Cum fecisset Dominus quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & mensas nummulariorum subvertit, & his qui vendebant columbas, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Simoniaci autem isti videntur esse perniciosissimi negotiatores in domo Dei. Imò quibusdam non sine causa Judæ videntur esse non dissimiles: ille enim Redemptorem Christum vendidit, isti dona illius.

Tertia conclusio: Simonia * est prohibita jure naturali. Probat, quia lex nova nulla præcepta negativa con-

(1)
Matth. 10.
Act. 8. 1. Pe-
tri 2.

continet præter præcepta legis naturæ, ut S. Thom. videtur sentire, tum alibi, tum 12. q. 108. art. 1. & 2. nec etiam præcepit affirmativum nisi de Sacramentis, & de fide: ideo vocatur lex libertatis Jacob. 1. ergo prohibitio simoniæ non est super addita in novo Testamento, de jure naturali. Et mirum esset, quod hoc solùm novum mandatum inveniretur in novo Testamento, nec Balaam item peccasset hoc peccatum: Qui solùm lege naturali tenebatur. Præterea si hoc fuisset novum præceptum, merito Simon Magus excusari potuit, scilicet per ignorantiam. Præterea rationes, quæ fiunt à Doctoribus de Simonia, procedunt jure naturali. Quarum prima est, quia spirituale non potest compensari aliquo temporali: unde de sapientia dicitur Proverb. 3. quòd *pretiosior est cunctis opibus*. Et idem judicium est de quocumque dono divino. Secunda: Quia homo non est dominus bonorum spiritualium secundum illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Tertia, quia quæ gratis accepta sunt, sicut & alia, quæ sola benignitate mortalibus sunt collata, debent gratis communicari, ut aqua, sol, & alia quæ sine operibus nostris constant. Quarta, quia data sunt à solo Deo. Nam videtur jure gentium, quod pisces maris, & feræ omnibus sint communes. Præterea si omnia dona Dei data sunt ad utilitatem communem, ut patet 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. ergo injuriam facit, qui in privatam commoditatem vult ea vendicare. Præterea à posteriori, quia si permetteretur hujusmodi emptio, & venditio, esset calamitas, & perditio rerum Ecclesiasticarum, quarum dominatores, gubernatores, & administratores non essent meliores, sed ditiores, & avidiores. Omnes, inquam, hæ rationes procedunt stando in jure naturali. Ista est conclusio communis omnium Doctorum, S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 2. & Armach. lib. 10. cap. 9. & Adrian. quotlib. 9.

12 Sed majus dubium est: Utrum * simonia omnis sit prohibita jure divino, an aliqua sit solùm jure positivo. Durand. quidem in 4. dist. 25. q. 5. negat esse aliquam simoniam solùm de jure positivo. Et probat aliquot rationibus: sed duæ sunt potissimæ. Prima: Si aliquid est

malum solum, quia prohibitum jure positivo, non est in alia specie nisi solum in obedientia. Si ergo esset aliqua emptio, & venditio illicita, solum, quia Ecclesia prohibuit, non esset vitium simoniae, sed solum peccatum inobedientiae. Et potest confiteri: Ecclesia prohibet vendi bona temporalia Ecclesiarum, & Monasteriorum, & tamen talis venditio etiam contra jus, non est simonia. Et hoc videtur dicere S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Secunda ratio: Nam simonia non potest esse nisi de spirituali re, sed non est ex institutione Ecclesiae, sed suapte natura quod aliquid sit spirituale, necne: ergo nulla simonia est solum de jure positivo.

In contrarium est communis sententia Doctorum, qui ponunt distinctionem, quod aliqua sunt simoniaca de jure divino, & aliqua de jure positivo. Hæc est distinctio Glossæ in cap. *Ex parte de Officio Delegati*. Quam sequitur Joan. Andr. & Hostiens. Item dicit Antonius de Butr. & Joan. de Imol. cap. 1. *De Simonia*: eandem ponit Archid. & Adrian. & Sylvest. §. 2. & 4. & Cajet. opus. *de Simonia* Et in summa, & videtur excepta ex cap. *Salvator*. 1. q. 3. ubi Urbanus Papa determinat simoniam esse emere, aut vendere quamlibet rerum Ecclesiasticarum, inter quas, aliquas numerat, quæ profecto nihil spirituale videntur habere, ut est præpositura, œconomia, Castaldatus, & aliqua hujusmodi. Palud. dist. 25. q. 4. respondet quidem ad rationes Durand. sed putat opinionem ejus esse probabiliorem, & tutiorem.

Ego credo quod distinctio Juristarum in hac materia est bona, & necessaria. Quare notandum, quod quæstio proposita: Utrum omnis simonia sit de jure divino, potest dupliciter intelligi. Uno modo in sensu composito. Utrum sit in potestate Ecclesiae, quod aliquis contractus sit simoniacus, & tamen non sit illicitus, & quantum ad hoc sit prima conclusio.

Nulla * simonia isto modo est prohibita solum jure positivo. Hæc patet clarè: Quia non dicitur simonia, nisi sit indebita emptio aut venditio rei Ecclesiasticæ, & si est legitima, non est simonia, nec hæc quæstio habet locum in isto sensu, sed solum in sensu diviso: Hoc est, an aliquis contractus qui nunc non est simonia-

niacus, sit simoniacus, vel possit fieri per jus positivum. Et de hoc sit secunda conclusio.

14 Aliqua * sunt spiritualia, & solum jure positivo. Probat: Sunt enim in Ecclesia. Vasa sacra, & vestes sacrae, in quarum emptione non committeretur simonia, nisi haberent aliquid spiritualitatis, ex hoc, quod ordinantur, & dicantur ad sacra, quae solum habent ex institutione Ecclesiae. Et Ecclesia posset facere, ut ista non essent dicata illi Ministerio, nec essent vasa ad illum usum. Praeterea illa habent id ex dono Dei, & Calix, & Ara habent devotionem, sicut Templum.

15 Tertia conclusio: Emptio, * aut venditio istorum est prohibita jure divino. Haec conclusio est contra Doctores, ponentes illam distinctionem, qui illam simoniam prohibitam solum ponunt jure positivo, ut vendere calices, & ornamenta. Sed probatur conclusio, quia Ministerium, & Officium illorum est vere spirituale: ergo si ratione illius venduntur, aut emuntur, est simonia, sicut benedictio aquae est solum de jure positivo, & tamen est vere spiritualis, & si ratione illius emeretur, esset vera simonia prohibita jure divino, sicut si quis emeretur ipsum Sacramentum. Et ita ponit Major, & Sylvester, & Anr. de But. & alii, qui vocant simoniam solum juris divini, quando est spirituale ex natura sua. Confirmatur clare, quia etiam Subdiaconatus, & forsitanse Diaconatus sunt in Ecclesia solum de jure positivo, & tamen non est dubitandum, quin consecratio illius Ministerii empta, aut vendita, sit simoniaca de jure divino, & ita est spualis consecratio ipsa calicis, sicut consecratio Diaconi.

Unde infero cotollarium, quod non minus est simoniacum de jure divino recipere aliquid pro consecratione calicis, aut benedictione vestium, quam pro consecratione Sacerdotis.

16 Quarta conclusio: Aliqua * simonia est omnino praecise de jure positivo. Quia aliqua sunt, circa quae contingit simonia, quae revera nihil spirituale continent, neque ordinantur proprie ad aliquid spirituale, sed solum sunt annexa de jure positivo rebus spiritualibus, talia sunt, quae continentur in illo cap. *Salvator*, ut Oe-

nota

conomia, Castaldatus, Præpositura, quæ omnia ordinantur potius ad administrationem temporalium, quam spiritualium: præterea administratio hospitalium, in qua nihil spirituale videmus contineri. Et fortasse idem iudicium est de sepultura, quia non videtur continere, nec ordinari ad aliquid spirituale: in istis, inquam, nulla est simonia, nisi quia propter concomitantiam cum rebus spiritualibus prohibita sunt vendi. Et intelligatur differentia inter hæc & alia (de quibus in proxima conclusione.)

Dico quòd si calix consecratur, aut aqua benedicitur, sine quacumque nova prohibitione Ecclesiæ, erit simoniacum emere, aut vendere illa: sed administrationem hospitalis, aut officium procuratoris, aut Oeconomiam Ecclesiasticam, non erit simoniacum emere, aut vendere, nisi quia Ecclesia prohibuit, sicut posset non prohibere. Confirmatur: Sicut simonia est quædam irreverentia, & violatio rerum sacrarum, ita est sacrilegium: sed est sacrilegium aliquod quia est prohibitum à jure divino, si quis abutatur sacramentis, aut aliquid de se turpe in loco sacro faceret, aliquando autem est de jure positivo, ut eripere hominem ab Ecclesia, quod est præcisè de jure positivo: ita ergo non inconvenit, quod sit etiam aliqua simonia præcisè de jure positivo.

Verum est, quòd apud Doctores antiquos, ut apud Altiosiod. Alexand. & S. Thom. non invenio hanc disputationem, nec unquam invenio apud S. Thom. quòd sit simonia emere aut vendere hujusmodi officia. Armach. lib. 10. c. 16. dicit: Quòd si qua sunt officia, aut beneficia, quæ nullam curam omnino regiminis habent annexam, ordinantur omnino ad administrationem spiritualem: Non video, inquit, in talium emptione, & venditione simoniam posse committi. Unde, & de præbendis Canonorum non invenit modum quo possent emptiones aut venditiones illarum esse simoniacæ, nisi capitula habeant spiritualem jurisdictionem saltem in eos, qui de collegio suo sunt, & quia habent, ut ipse putat, authoritatem prædicandi. Unde revera in illis officiis ubi nihil est propriè spirituale, non est propriè simonia, sed tantum est prohibita jure emptio, & venditio.

nota.

tio. Confirmatur: Nam aliqua est emptio & venditio nunc licita, quam si Ecclesia prohiberet, esset simoniaca. Si enim Ecclesia prohiberet propter reverentiam Sacramenti, ne calices venderentur, etiam pro materia esset simoniaca: ergo aliqua simonia potest esse solum de jure positivo.

- 17 Sed est dubium: An * circa ea quæ sunt verè spiritualia, & secundum se, & de jure divino, sit aliqua simonia de jure positivo, vel omnis sit de jure divino. Est quinta conclusio: Aliquis contractus, vel permutatio spiritualis secundum se, est simoniaca solum de jure positivo. Probat: Permutatio mutua beneficiorum sine autoritate superioris est simoniaca, ut supra probatum est, & solum de jure positivo: & beneficium est res spiritualis, saltem ubi est cura animarum: ergo Antecedens probatur. Et primo ostendo, quod non est ita prohibitum de jure divino permutare spirituale pro spirituali, sicut spirituale pro temporali. Patet, quia multa licent in permutatione præbendarum, quæ non licent in ordine ad aliquod temporale. Primum licet dare beneficium pro spe alterius, quod non licet pro spe temporalis commodi. Præterea licet convenire de permutatione. Præterea licet renunciare conditionaliter in favorem alterius, qui permutaturus est, & non aliter. Præterea licet exprimere causam. Et in summa licet omnia facere quæ fierent, si commutaretur domus pro agro. Hoc excepto, quod pro forma (ut ajunt) omnia referantur ad Papam, vel Episcopum. Hæc autem nec somnari quidem licebit, si quis vellet permutare beneficium pro agro: ergo non est idem permutare temporale pro spirituali, & spirituale pro spirituali.

Dico autem hæc licere, id est, sine vitio simoniæ fieri, non disputando de alio peccato. Innoc. in cap. *Quæsitum*, tenet quod in præbendis ejusdem Ecclesiæ potest fieri permutatio sine licentia superioris. Et quamvis hoc non recipiatur, & oppositum teneat Hostiens. & Joan. de Imola in cap. finali, de *Rerum permutatione*. Et Joan. Andreas: Quia in permutatione rerum est nova collatio, ut in cap. unic. de *Rerum permutatione*, in 6. tamen signum est quod illud de se non est simoniacum.

Præterea Doctores concedunt, quòd cùm agitur de sola permutatione, potest fieri talis permutatio Ecclesiarum, ut unus Episcopus concedat unam Parochiam pro alia ad dirimendas lites. Imo S. Thom. distin. 25. q. 3. art. 3. ad 8. dicit, quod si permutationes hujusmodi fiant pro aliquo terreno commodo sunt simoniacæ, secus autem si sint pro commodo spirituali. Unde si est periculum de simonia, hoc est propter temporale annexum. Præterea quis dubitat, quin jure possit concedi, quod permutationes, quæ fiunt auctoritate superioris, possent fieri sola voluntate partium saltem in casu, & tunc non esset simonia eo modo quo nunc est.

Præterea principaliter probatur conclusio, quia Actorum 8. certum est non condemnari permutationem unius spiritualis pro alio, nec Matth. 10. videtur prohiberi nisi merces, vel pretium temporale. Ut patet ex eo, quod post illa verba, *Gratis accepistis*, sequitur: *Nolite possidere aurum, nec argentum.* Et ita exponunt illum locum Hieronym. Chrysost. Greg. Remig. & Glossa, & alii Doctores, nulla mentione facta de alia permutatione spiritualis pro spirituali. Nec in veteri aut novo testamento locus invenitur, unde possit damnari, aut reprehendi hujusmodi permutatio. Item rationes contra simoniam, non videntur procedere contra hujusmodi permutationes rerum spiritualium. Non enim videtur quid habeat inhonestum, ut componam tecum, ut ores pro me, & ego pro te, ut absolvas me, aut audias confessionem meam, & sis confessor meus, & ego sim tuus. Nec sufficit dicere, quod hoc est per modum pretii, quia certum est, quod non licet componere, ut absolvas me ut dem tibi pecuniam, eo modo, quo licet pasci ut sis confessor meus, & ego sim tuus, maximè ubi ista fiunt pro majori utilitate utriusque: v. g. ut tu legas in Parochia mea, & ego prædicem in tua. Præterea ex hoc nulla jactura sequitur in Republica Christiana, sicut in commutationibus pro rebus temporalibus. Præterea sicut superius arguebam: Sicut simonia est quædam injuria, & abusus rerum spiritualium: ita sacrilegium. Sed circa res de se sacras, est aliquod sacrilegium

solùm de jure positivo, ut si quis celebravit sine ara, & sacris vestibus, aut non jejunus communicaret: ergo similiter erit aliqua simonia circa spiritualia de se solùm contra jus positivum. Præterea certum est, quod aliqua licent nunc circa spiritualia per se, quæ essent simoniaca, si Ecclesia prohiberet, ut exigere stipendium pro Sacramento, aut administratione Sacramentorum, aut pacisci de pretio in necessitate (ut infra dicitur) quæ etiam, & similia essent simoniaca, si Ecclesia prohiberet.

Innocent. & Verbericus dicunt, quod in collatione beneficiorum potest Prælati pacisci, & exigere aliquid spirituale. Præterea Doctores antiqui nil loquuntur de ista commutatione unius spiritualis pro alio, nec Magister sententiarum, nec Armach. Præterea definitio communis nil dicit de hoc: ergo videtur quod simonia, quæ contingit in permutatione unius spiritualis pro alio, non sit de jure divino.

Unde nescio an certum sit, quod dicit Ricard. quod si duo adulti paciscantur ut invicem se baptizent, sit simoniacum: potius credo, quod de se non esset illicitum: & cum de hoc non habeatur specialis prohibitio, nisi in materia præbendarum, puto quod non est formidandum in illis spiritualibus componere vel pacisci: quare non video quod simoniacum esset, si commutaretur calix consecratus pro ara consecrata ratione consecrationis, aut reliquiæ beati Petri pro reliquiis beati Domini. Major in 4. d. 25. q. 5. ad 4. dicit, quod translatio & permutatio beneficiorum non est simoniaca, sed propter periculum simoniæ, & fraudis, jura hoc prohibent. Et simpliciter unum spirituale pro alio non est illicitum.

Ex his patet, quod constantius loquutus est Durand. quàm alii, ut Major, quia Durand. non admittit simoniam nisi circa vere spiritualia, nec meminit simoniæ in aliis officiis, neque spiritualis pro spirituali. Unde negat distinctionem. Et Major, qui negat simoniam circa illa officia vel circa spiritualia pro spirituali, debuit etiam non recipere distinctionem. Imò Major dist. 25. q. 6. dicit, quod in spiritualibus aliis licet commutare unum spirituale pro alio, ut Missam pro Psalterio.

Ex quibus omnibus sequitur corollarium primum. In

spiritualibus solùm improprie, & de jure positivo, ut de hospitalibus, de sepulturis, de officiis Ecclesiasticis, quæ nil spirituale de se continent, ad judicandum, an aliquis contractus sit simoniacus, habenda est solùm ratio, & consideratio juris positivi. Quidquid enim jure conceditur, permittitur in Ecclesia per se loquendo. Unde circa illa quando non est certum utrum sit simonia, consulendum est jus scriptum, atque adeò si non constet esse simoniam, declinandum est potius in partem mitiorem, & absolvendum magis, quàm condenandum, maximè cum agitur de pœna & restitutione, quidquid dicant Glossæ.

Secundum corollarium: Eodem modo in permutationibus spiritualium pro spirituali si non est damnatum jure positivo, non est damnandum, nec extendendum, sed potius restringendum, quia est odiosum.

Tertium corollarium: Circa spiritualia proprie spiritualia, sive de jure divino, sive positivo ubicumque intervenit pretium temporale, nil opus est consulere jus positivum, sed judicandum est jure divino. Ex his patet distinctionem illam Juristarum de simonia, de jure divino & positivo esse necessariam, & utilem in hac materia, si sanè intelligatur.

Resp. ad
1. Arg.

Ad argumenta autem in contrarium respondetur. Ad primum: Falsum assumitur, & contra totam Philosophiam Moralem. Sicut enim lex divina constituit aliquid non solùm in specie obedientiæ, aut inobedienciæ, sed in specie alterius virtutis determinatæ, ita & lex humana. Et sicut adulterium est intemperantia quia prohibitum lege divina, ita comedere carnes in Quadragesima non est inobediencia, sed intemperantia (nisi fiat in contemptum) sicut extrahere hominem ab Ecclesia non est inobediencia, sed verum sacrilegium.

Ad confirm. dico, quod Ecclesia non prohibet vendi bona Ecclesiastica tanquam Sacra, aut Ecclesiastica, sed sicut prohibet vendi bona pupillorum: & ideo non est simonia, quia non sunt ad ministeria spiritualia, sed ad sustentationem temporalem.

Ad secundum dato, quod ita sit, quod Ecclesia non posset facere spirituale per legem quod non erat spirituale, potest tamen annectere spiritualibus, & eisdem le-

legibus subjicere, & ita facit de aliquibus ut supra expositum est, & hoc satis est, ut sit contractus simoniacus, de jure solum positivo.

Sed an in permutationibus præbendarum, si aliqua præbenda est pinguior, possit aliqua pecunia intervenire ad compensandum temporale, ut de præbenda mille aureorum, in reditu pro præbenda quingentorum aureorum, an liceat componere, ut des mihi mille aureos, qui dicuntur pensio pecuniæ numeratæ?

Respondet Angelus in summa, in verb. *Permutatio* §.6. dicens hoc notasse Panorm. in cap. *Ad quest. de Rerum permut.* quando, scilicet, datur ratione temporalium, secus si ratione jurium, aut dignitatis spiritualis quæ est major in uno, quàm in alio. Sed Adrian. quotlib.9. ad 8. principale, dicit Angelum vehementer errasse in hoc, nec Panorm. unquam hoc cogitasse, nec tex. loquitur de tali compensatione unius præbendæ cum alia, sed de permutatione possessionum, quæ possidentur jure proprietario, quæ vendi possunt per se, & per consequens permutari, sed non beneficiis admixtæ. Probat: Nam si quis permutaret præbendam nullum habentem reditum, posset dare mille aureos ut haberet præbendam ducentorum aureorum in reditu, non dubito quin sit falsa opinio Angeli.

Postquam ergo ita est, quòd simonia est illicita non solum jure divino, sed humano, dubitatur, quis primus hoc crimen inceperit. Videntur enim Doctores dicere, quòd primus author & inventor fuit Simon ille damnatus à beato Petro, quod ex ipso nomine apparet: & videtur quòd in lege naturæ cadere non potuerit, cum illic non esset aliqua potestas propriè spiritualis.

8 Sed his non obstantibus est prima conclusio: In * lege scripta potuit esse, & fuit hoc vitium. Probat, quia erant Sacramenta, & Sacerdotia, quæ licet non haberent illam efficaciam spiritualem, quam habent in lege Evangelica, tamen erant ordinata ad illum finem spiritualem, & per consequens negotiatio illorum erat prohibita jure divino. Et quod ita fuerit, patet de Giezi 4. Reg. 5. de quo legitur, quod accepit duo talenta à Naaman Principe militiæ Regis Syriæ, quem Elisæus à

Dab.

Resp. ad dab.

lepra curaverat. Et de Hieroboam, de quo legitur 3. Reg. 13. quòd fecit de novissimis populis Sacerdotes excelsorum, & quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos. Et 2. Machab. 4. de Jafone fratre Oniæ legitur, quòd dedit Antiocho argenti talenta trecenta sexaginta, ut fieret Sacerdos. Et 2. Machab. 14. legitur de Alcimo, quòd venit ad Regem Demetrium, offerens coronam auream, & palmam, ut constitueretur ab eo summus Sacerdos, quod & factum est. Omnes (inquam) illi uno peccato peccaverunt cum Simone mago, quam de omnibus illis, saltem de Giezi, Hieroboam, & Jafone videatur posse dubitari. Nam si Giezi fuit simoniacus qui recepit: ergo & Naaman qui dedit duo talenta, qui tamen non reprehenditur à scriptura.

Ad hoc respondet Armach. lib. 10. cap. 21. quòd (ut constat) Naaman gratis dedit ad sustentationem viri Sancti. Sed Giezi fraude accepit, dicens se ab Elisæo missum, ut peteret ab eo.

Sed majus dubium videtur de Hieroboam & de Jafon, qui nullam potestatem emerunt, aut habuerunt, cum essent Sacerdotes idolorum, & potestatem acceperunt à tyrannis, qui nullam dare poterant.

Ad hoc Adrian. in quotlib. 9. de Hierob. & Palud. in 4. dist. 25. etiam de Hieroboam & Jafone dicit, quòd revera ita est, quòd quantum fuit ex objecto, nullum peccatum fuit simoniæ, sed solùm fuit ex intentione: quod sufficit ad peccatum & quantum ad speciem, & quantum ad culpam. Unde & beatus August. 1. q. 1. *Sicut eunuchus*, dicit quòd ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonice captivitatis sub aquis vixerat, extinctus est Antiocho vendente Sacerdotium Jafoni.

Secunda conclusio: In * lege naturæ potuit esse, aut 19 fuit peccatum simoniæ. Probat, quia fuit verum Sacerdotium, ut patet de Melchisedec: (1) ergo negotiatio esset simoniaca: & propterea non est dubitandum, quin haberent multa Sacramenta ordinata dumtaxat ad finem & salutem spiritualem, & per consequens emptio aut venditio illorum esset simoniaca de jure divino. Et quòd etiam fuerit, patet de Balaam Propheta, (2) licet de Balaam possit dici, quod non peccavit, nisi quia

(1)

Genes. 14. &
ad Hebr. 7. &
in Psal. 109.

(2)

Num. 22. &
2. Petr. 2. &
in Epist. Jud.

quia iniquè voluit agere contra Israel.

20. Dubitatur, an * inter Paganos, & idololatrias potuerit esse hoc crimen simoniæ. Videtur enim quòd non, cum nulla potuerit esse apud eos potestas spiritalis, nec aliquid verè spirituale.

21. Ad hoc respondet tertia conclusio: Emptio * aut venditio Sacerdotii apud idololatrias non solum fuit ex intentione, sed etiam ex objecto verum crimen simoniæ. Probat: Nam, ut disputavi in quadam relectione, in lege naturæ erat potestas apud populum, aut apud Principes constituendi viros Sacerdotes, quomodo etiam fuit Melchisedec, neque propter idololatriam amiserant hanc potestatem: ita quòd Sacerdotes Gentilium erant veri Sacerdotes, id est, habebant legitimam facultatem gubernandi populum in spiritualibus, quanquam illi abuterentur illa potestate ad cultum dæmonum: & ita negotiatio, & ambitio illorum pro tali Sacerdotio erat peccatum, & ejusdem rationis, sicut nunc est.

Et nota quòd Hieroboam & Jason non fuerunt simoniaci nisi solum ex intentione, non, ut putant Adrian. & Palud. propter ea, quòd illa essent Sacerdotia idololorum, sed revera: quia nec Hieroboam, neque Antiochus tradere poterant talem potestatem, cum essent tyranni.

Et ex his patet, quòd & Cæsar, & illi, qui per largitionem consequuti sunt inter suos Sacerdotia, idem peccatum peccaverunt sicut Simon. Secus autem videtur jam vel apud Judæos, vel apud Paganos, apud quos expiravit omnis potestas spiritalis, atque adeò non videtur quòd esse possit peccatum simoniæ ex objecto.

Sed adhuc circa definitionem propositam, sicut determinatum est quid pro spiritali intelligatur, restat dubium longè gravissimum quid per temporale intelligatur. Postquam constituimus non esse simoniacum per se & jure divino, nisi interveniat aliquid temporale, 22 descendendo distinctius, quæritur: An * si quis timore, consanguinitate, precibus, favore, aut obsequio recipit, aut administrat spiritalia, sit simoniacus.

Et 1. de timore, D. Bonav. 4. d. 25. tenet, quòd da-

re beneficium ratione timoris, est simonia. Præterea Durand. dist. 25. q. 4. dicit quod etiam si detur digno, quo ad Deum est simonia. Idem dicit Adrian. quotlib. 9. art. 2. & proponit non solum ratione timoris de malo temporali, sed etiam timore indignationis. Idem habet Angelus, verb. *Simonia*, §. 3. & Major expressè, d. 25. q. 3. Et S. Thom. in 4. d. 25. q. 3. ad 3. dicit quod si spiritualiter movetur propter timorem, iste qui sic dat, manifestè est simoniacus. Præterea ex cap. *Nemo*, de *Simonia*. Et probatur, quia qui taliter dat, non liberaliter dat: ergo est simoniacus. Et confirmatur ex Cicer. 2. Rhet. Qui metu mortis facit, non liberaliter facit. Item. Carere malo esset ratio boni. Item talis defensio, est æstimabilis pretio.

iii Sed hoc non obstante, est prima conclusio: Con- 23
fere * spirituale sine respectu ad aliud commodum, vel incommodum temporale timore indignationis, non est simoniacum. Probatur: Talis dat gratis, id est, non pretio aliquo modo: ergo non est simoniacus. Probatur, quia ex hoc, quod aliquis timeret offendere Regem, non recipit, aut amittit aliquid temporale. Præterea si quis timore orat, celebrat, confitetur, non est simoniacus, neque qui absolvit, & tamen hæc sunt maximè spiritualia.

Secunda conclusio: Non * videtur malum dare spi- 24
rituale digno ex timore. Probatur eodem modo, quia neque celebrare, neque communicare ex timore, est peccatum. Tempore enim quo aliàs non teneor communicare, aut confiteri, si timore pœnæ impositæ à prælato confiteor, nullum est peccatum. Suppono enim in præsentia, quod opus ex timore servili aliàs bonum, non est peccatum, contra Lutheranos. Præterea facere ista ad vitandum pœnam inferni, non est peccatum, quia timor etiam servilis est donum Spiritus Sancti, secundum S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. & 6. & Glos. ad Rom. 3. Præterea incutere istum timorem, ut arguebam, est bonum. Ut si Papa minaretur Episcopo exilium, aut carcerem, nisi dignos promoveat: ergo.

Tertia conclusio: Idem * etiam videtur iudicium de 25
timore mali temporalis, ut vitæ, aut exilii, aut car-
ce

ceris, dummodo hoc non redundet in aliquod commodum temporale, vel sit ex pacto aut aliquo modo per modum pretii, ut tyrannus comminatur Episcopo exilium, nisi Petrum ordinaverit. Probatur eodem modo, quia gratis dat. Præterea, incutiens timorem non est simoniacus: ergo nec patiens erit. Præterea, si esset lex, quòd Episcopus providens indigno solvat decem marchas argenti, lex esset justa: ergo Episcopus, qui illo timore providit digno, non est simoniacus. Præterea, quia tunc talis collator incurreret pœnas excommunicationis, & alias pœnas juris, & recipiens beneficium teneretur restituere. Hæc autem nec authores contrarii audent dicere, neque est in usu. Probatur consequentia. Nam pœnæ latæ sunt adversus simoniacos in ordine, aut beneficio absolutè sine distinctione. Præterea, quia in illo cap. *Salvator* 1. q. 3. ubi. Urbanus Papa latè tradit modos & species simoniæ, nullam mentionem facit de timore. Præterea, si quis nollet conferre digno nisi timore, quia tamen volitione conditionata, & vitiosa, hoc non esset simoniacum, sed acceptio personarum, vel aliud peccatum. Et nihilominus velle dare digno ex timore pœnæ, imò ad vitandum pœnam adhuc esset bonum.

Si autem talis timor resolveretur ad commodum, aut ad pretium temporale, credo quòd esset simoniacum, ut si Princeps daret Episcopo salarium, aut stipendium, & Episcopus timens perdere, velut de novo haberet, conferret beneficium, esset peccatum simoniæ. Sed nec hoc videtur certum, maximè si iste finis sit mediatus, putà si timeret perdere amicitiam, vel munera Regis, vel sperat fieri amicus.

Ad argumentum ex autoritate S. Thom. respondeo, quòd intelligit de simonia largo modo, & impropria. Fateor enim quòd cum respectu aliquo temporali sit administratio spiritualium, est peccatum à fine, sed non est simonia damnata à Christo, vel à Petro. Vel dico, quòd revera S. Thom. in 4. sequutus est opinionem sui temporis, quam postea reliquit in Summa. Imò S. Thom. quæst. 100. suprà, per hoc probat, ut statim dicam, quòd conferre ratione consanguinitatis,

*Resp. ad Arg.
pro parte as-
firm.*

non est simoniacum, quia non est illic emptio, aut venditio sine qua non est simonia, sed neque quando fit ratione timoris: ergo nec hoc est simonia. Hæc videtur esse sententia Cajet. in summa, tit. *De Simonia*.

Dubitatur: An * collatio spiritualis ratione consanguinitatis sit simonia, Beatus Bonavent. dist. 25. tenuit quod sic. Et fuit opinio Parisiens. ut recitat Altisiodor. idem Glos. cap. unic. ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, ubi reprehendit Innoc. 3. Archiepiscopum Mediolan. quod beneficium contulerit in favorem carnis. Glossa autem hoc dicit esse simoniam. Et in cap. *Nemo, de Simonia*, dicit, quod est simonia, si quis ex affectu consanguinitatis admittit impoenitentem ad sacramenta. Major dist. 25. q. 3. expressè id habet.

Nihilominus est prima conclusio: Conferre * beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum. Hæc est S. Thom. q. 100. art. 5. ad 2. & Altisiod. ubi supra. Et ratio est, quia gratis datur, & non est emptio, aut venditio. Præterea si collator est simoniacus: ergo & qui scienter eo intuitu recipit, quod nemo dicit, neque talis damnatur ad restitutionem. Et in cap. *Illo unico* reprehenditur Archiepiscopus. Primum quia retinuit sibi proventus beneficii, quod contulerat: & hoc ibi condemnatur tanquam simoniacum. Secundum est, quod affectu carnali hoc fecisset, & hoc non dicit Pontifex esse simoniacum, quanquam esset turpe, unde majus argumentum sumitur ex illo cap. quod non sit simoniacum.

Item dare beneficium ex amicitia honesta, non est simoniacum, sed amicitia consanguinitatis est honesta: imò de jure naturali: ergo.

Secunda conclusio: Si * quis conferat beneficium consanguineo, aliàs idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate, non peccat mortaliter. Quod videtur contra Altisiodor. qui quamvis dicat non esse simoniacum, tamen dicit esse mortale. Probat: Actus ex objecto est bonus, & circumstantia non est mortalis: ergo neque actus. Sed opinio Altisiodor. est probabilis, quia videtur notabilis injuria. Præterea, fundare bene-

neficiū pro consanguineis, est licitum: ergo. Præterea, lex de patrimonialibus est licita: ergo. Præterea, dare extraneo ratione nobilitatis, atque alia humana ratione, non est mortale: ergo nec ratione consanguinitatis.

Tertia conclusio: Cæteris paribus providere consanguineis non est peccatum. De *cobabit. Clericorum & Mulier.* cap. *Potest.* Et Sylvest. verb. *Simonia*, §. 16. saltem secluso scandalo. Et probatur: Habere ratione amicitiae honestæ, non est peccatum, sed amicitia ex consanguinitate est honesta: ergo.

29 Quarta conclusio: Pontifices * parati ad dandum beneficia consanguineis sine dilectu, peccant mortaliter. Probatur, quia communiter omittunt digniores, imò plurimos promovent qui non sunt digni & saltem tales Episcopi gerunt propositum conferendi consanguineis qualescunque sint. Et præterea est magnum scandalum in Ecclesia, & qui dant dignis, dant pluribus occasionem dandi indignis.

30 Sed dubitatur an * conferre beneficia propter preces principaliter sit simonia? Glossa in cap. *Ordinationes*, q. 1. dicit esse simoniam, saltem si preces sunt pro se, & probat ex illo cap. ubi Gregor. IV. dicit, ordinationes pretio, vel prece, vel obsequio factas, esse falsas. Et eadem quæst. cap. *Si non mul. ti* expressè dicit, quod in ordinationibus pecuniam quidem non recipiunt, sed humanum favorem, aut gratiam, aut laudem aucupantur, gratis acceperunt, & non gratis dant. Et in cap. *Salvator* 1. quæst. 3. dicitur, quod munus linguæ, vel pecuniæ, vel obsequii facit simoniam.

Sed Innocent. cap. *Neque tuam, de etate & qualitate ordin.* dicit, quod quomodocunque interponantur preces, sive pro digno, sive pro indigno, si non interveniat aliud temporale, non est simonia. Quem sequitur Cardin. ibidem. Et Hostiens. licet sit turpe, (dicit) & quasi simoniacum, & Panorm. eodem tit. cap. *Tuam*, dicit, quod in eodem casu, in quo Glossa dicit esse simoniacum, non est simonia, nisi quis intendat obligare collatorem.

Adrian. tamen in suo quotlib. 9. sequutus Glossam dicit, quod inducere preces, ut collator tanquam favorabiles accipiat, est simoniacum, & collatio simoniæ, etiam si sint pro digno, & in beneficio simplici. Et probat, quia in dicto cap. *Tuam*, tradunt Doctores, quod qui propter adulationem dat, est simoniacus. Præterea, quia talis plaris æstimat precem, pecuniam, & favorem, quam pretium. Et addit Adrian. hanc esse opinionem Theologorum, ut S. Thom. & Durand. Idem habet Major q. 3. & Palud. Imò addit, si est paratus dare uni, & propter preces det digniori, est simoniacus. Hoc videtur concedere Sylvest. eod. tit. §. 13. & 16. Non refert, inquit, quantum ad Deum, an pro digno sint preces, vel pro indigno, licet quoad Ecclesiam referat. Et idem expressè tenet Durand. dist. 25. q. 4. ubi dicit, quod si preces fiant pro digno, sive pro indigno, si principaliter movetur collator favore rogantis, quantum ad Dei judicium, simoniam committit propriè capiendò, atque etiam incurrit pœnam juris. Idem dicit Palud. q. 5. art. ult. Idem videtur habere Armach. lib. 10. art. 18. & certè videtur hoc sentire S. Thom. dist. 25. q. 3. art. 3. dicit enim, quod quicumque dat spirituale pro temporali commodo, est simoniacus. Idem videtur habere 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. *Temporale autem commodum*, inquit, *vel est ex parte animæ, sicut amicitia, vel favor aliquis, & hoc est munus linguæ.* Et ad 4. dicit contra Canonistas, quod si collatio fiat propter preces ad habendum favorem, vel amicitiam, aut laudem, vel ut vitet pericula, manifestè, inquit, est simoniacus, sive pro se, sive pro alio, sive pro digno, sive pro indigno. Nec videtur discessisse ab hac sententia 2. 2. ubi supra, ubi videtur idem sentire. Et ratio ejus est, quia favor, vel amicitia humana, aut laus est æstimabilis pretio, & per consequens cadere potest sub ratione emptionis, & venditionis.

Sed bona venia summorum virorum in hac parte libentiùs sequeretur sententiam Canonistarum, & ideo respondeo probabiliter per conclusiones.

Prima conclusio: Illicitum * est conferre spiritualia 3 r
ad captandum quodcumque commodum non spiritua-
le,

le, sive digno, sive indigno, ut ad captandum amicitiam, laudem, favorem. Ista est omnium Doctorum: & satis probatur ex dictis in cap. *Salvator*, & in cap. *Nemo*, & in cap. *Sunt*, & *nonnulli*, & quia videtur esse contra dictum Domini: (1) *Gratis accepistis*. Præterea, quia omnes rationes, quæ sunt contra simoniam pecuniarum, videntur procedere contra istam. Primo, quia talis dispensator facit injuriam rebus sacris, tam vili eas æstimando. Præterea, quia hac via Ecclesiæ bona veniant ad potentiores, & non ad meliores. Præterea, quia sunt bona communia, & per consequens est acceptio personarum distribuere per favores, & amicitias humanas.

(1)
Matth. 10.

32 Secunda conclusio: Nescio * an hoc ipsum sit mortale, si aliàs collatio fiat digno. Probatur: Nam stando saltem in jure divino, sperare, aut optare laudem humanam, aut favorem ex aliis actibus spiritualibus, ut ex prædicatione, celebratione sacrificii, & collatione Sacramentorum, non est mortale peccatum, neque video cur ista condemnentur de mortali, cum solum videatur vana gloria, quæ est de numero venialium. Dixi, stando in jure divino, quia fortè Ecclesia voluit ita expressè prohibere, & arcere, ut videtur ex primis capitulis allegatis, quanquam non constet de hoc.

33 Tertia conclusio: Non * puto hoc peccatum esse propriè simoniam. Dico propriè, quia Dominus non condemnavit, aut beatus Petrus, neque condemnatur ab Ecclesia. Hanc puto esse sententiam domini Cajet. in summa, verb. *Simonia*, *notabili quinto*, ubi dicit, quòd triplex est muneris genus, ab obsequio, à lingua, à manu, & ad hoc ut simoniam constituat puniatur ab Ecclesia, exigitur, quòd pretii rationem habeat, & propterea si laus, adulatio, preces non per modum laudis, adulationis, pretii, concurrant, quantumcunque sint nephariæ, carnales, & pro indigno, & efficaces: ita quod inducant Prælatum ad donandum beneficium, ad conferendum ordinem, simonia propriè & verè non incurritur, quia nulla est hic emptio, aut venditio.

Ad locum
Glossæ respon-
det. Glossa,
cap. Ordina-
tiones.

Et primò contra distinctionem Glossæ arguitur, nam certè si fundere preces pro se est simoniacum, ut ipsa dicit: ergo & pro alio: & si pro digno: ergo & pro indigno. Præterea, administratio aliorum spiritualium propter favorem, & gratiam consequendam, non est simoniacum, & hæc sunt magis spiritualia, quàm officia Ecclesiastica: ergo neque collatio beneficiorum. Præterea, secundum illud essent simoniaci, qui etiam post factam laudarent, aut faverent alicui ratione prædicationis, aut alterius ministerii spiritualis, quòd nemo concederet. Præterea, si quis offerat sacrificium propter consequendam salutem spiritualem, vel potius temporalem, vel pro fructibus terræ, nullo modo esset simoniacus, quare ergo, propter favorem aut laudem? Præterea, tales non incurrunt pœnas simoniacorum, neque tenentur ad restitutionem.

Unde Palud. ubi suprà dicit, quòd qui consequutus est beneficium propter preces carnales à se, vel ab alio interpositas, si est dignus, non tenetur restituere, sed debet pœnitere de corrupta intentione. Ex quo patet, quòd irrationabiliter idem ipse dicit, quòd si est indignus, debet resignare, quia certè nihil facit ad simoniam, an collatio fiat digno, vel indigno, neque est mihi verisimile, quòd Ecclesia in hac materia voluerit de novo aliquid prohibere, præterquamquod Christus prohibuit. Imò in dict. cap. *Salvator* 1. q. 3. ex illo Matth. 10. Urbanus Papa probat triplex munus, scilicet à manu, à lingua, ab obsequio esse simoniam, unde nihil de novo videtur constitutum.

Quarta conclusio: Si * preces, vel favor, vel laus 34 resolverentur tanquam pretium in aliquod temporale, clarum est, quòd esset simoniacum: ut si Pontifex pro collatione beneficii Ecclesiastici exigeret favorem apud Principem ad consequendam dignitatem temporalem, aut redditus consanguineis suis, aut laudem ad consequendam pecuniam, vel aliquid simile. Et patet, quia nil refert quòd pretium detur mediatè vel immediatè pro re spirituali. Hæc est Innocet. & Cardin. in d. cap. *Tuam*, de *etate & qualitate ordin.*

Quin-

35 Quinta conclusio: Si * preces, favor, vel laus, aut amicitia deduceretur in pactum, fortè esset simonia, quamvis hoc non habeo pro certo. Sed videtur, quia tunc intercederent per modum pretii. Et ita videtur sentire Cajetanus ubi suprà. Totum hoc confirmatur de consanguinitate, timore, precibus, quia si ista essent simonia: omnis acceptio personarum, imò omnis inordinata distributio spiritualium, esset simonia, quia semper fit ex aliquo motivo, & non spirituali.

Ad authoritatem S. Thom. respondeo, quod intelligit, cum preces, & alia interveniunt, sicut in 4. & 5. conclusione dictum est. Et in summa puto, quod temporale in materia de simonia solùm intelligitur, quod est subiectum avaritiæ. Nam peccata multa possunt contingere in administratione spiritualium: Sed in hoc erratum est, quod volunt hi omne peccatum facere simoniam in hac materia. Itaque simonia est dare, vel accipere aliquid spirituale pro bono aliquo utili, hoc est, facere quæstum de spiritualibus.

*Resp. ad locum
S. Thomæ.*

De munere autem ab obsequio, respondeo item per conclusiones.

36 Prima conclusio: Cum * obsequium est pecunia æstimabile, ita quod tandem resolvitur in commodum temporale pro tali obsequio conferre officium Ecclesiasticum est simoniacum. Verbi gratia: Si Episcopus relevatur à salario ministrorum, quod aliàs erat daturus, & ea ratione dat beneficia, simoniacus est. Hæc propositio videtur nota, quia nihil videtur referre, an pretium temporale mediatè vel immediatè interveniat. Et ut Arist. dicit 3. Ethic. quidquid pecunia est æstimabile, pecunia vocatur: & certum est, quòd Episcopus, in tali casu non gratis dat & ministri volunt cum simonia donum Dei pecunia, id est, pecunia æstimabili possidere.

Secunda conclusio: Si non adsit pactum expressum, vel tacitum, non puto incurreret pœnam juris, neque esset obnoxius restitutioni qui id faceret, sed esset simonia mentalis, quia relevatur à restitutione: Unde in cap. Mandat. Extr. de Simonia, non condemnatur.

Nescio tamen an excusetur à pœna juris, & restitutione, quando inter alias condiciones Prælatus hoc etiam

etiam addit familiari futuro, habens intentionem providendi: Dabo tibi in beneficiis usque ad centum ducatos, vel dabo tibi salarium quinquaginta aureorum, quousque dederò tibi beneficium centum aureorum, ita quòd alia ratione alius non iret in obsequium & famulatum Episcopi: Hæc inquam videntur malè sonantia, & certè periculosa: quia profectò si talis Episcopus illis verbis alliceret, quenquam ut donaret equum, non excusaretur à simonia: ergo si petentem salarium illa conditione inducit ad remittendum, non videtur excusari.

Tertia conclusio: Præstare * obsequium ad consequendam benevolentiam Pontificis, ut illa ratione posset quis consequi beneficium, quamvis credam esse licitum, si tamem absit quodcumque pactum, & obligatio, non est simoniacum, quia tale obsequium non intervenit per modum pretii. Et hoc intelligo, etiam si hac ratione relevetur Episcopus à salariis pecuniariis, & postea beneficium conferat: itaque postea conferat, tanquam ex benevolentia, & non tanquam ex obligatione. Sicut etiam dare Episcopo munera ad consequendam benevolentiam cum spe consequendi Ecclesiastica beneficia cum tali benevolentia, vel ex tali benevolentia, turpe quidem, & nepharium est, sed non simoniacum. Utraque conclusio videtur ex mente Cajet. ubi suprà, dixi verò, quòd est illicitum quærere hac ratione benevolentiam: quia si vellet esse familiaris, ut cognosceret facultatem, & idoneitatem ejus, vel quia Episcopus etiam convenienter dignitates non dabit, nisi familiari, non videtur illicitum.

Dictum est utcumque de peccato simoniæ in genere. Nam determinare casus in particulari, esset conatus laboris immensi: quanquam ex potioribus, & ex quibus explicatio aliorum possit haberi, aliquid dicemus. Sed prius, quia dictum est, quòd simonia ex aliqua parte dependet ex jure positivo, & maxime ex autoritate summi Pontificis.

Dubitatur utrum * summus Pontifex possit esse simoniacus. 38

Et videtur quòd non, quia saltem beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum ipse est dominus, sicut domini Juristæ dicunt quòd potest ea conferre pro suo arbitrio.

Dubium alterum.

Arg. pro parte negat.

bitrio, neque tenetur dare gratis. Nam una ratio, quæ assertur contra simoniacos, est, quia vendunt quod suum non est, quæ ratio non procedit contra Papam.

Durand. ubi supra, dicit, quod in quocumque casu alius esset simoniacus, similiter summus Pontifex esset. Quem sequitur Palud. ubi supra. Et S. Thom. in 4. ubi supra q. 3. art. 3. ad 2. sine distinctione dicit, quod opinio, quæ dicit Papam non posse esse simoniacum est erronea, sed quod potest esse simoniacus sicut alius homo. Sylvest. §. 4. post Anton. de Bur. & Hostiens. dicit, quod Papa potest esse simoniacus in his, quæ de se sunt simoniaca. Et est communis opinio Canonistarum & Theologorum in 4. Ratio est, quia leges non obligant legesatores, ff. de Leg. leg. *Principes*, & 6. q. 3. cap. *Cuncta*. Panor. idem expressè cap. 1. de *Simonia*, & Cardin. ibidem.

Pro parte as-
firmo.

Respondeo per conclusiones.

39 Prima conclusio: In * simonia quæ est juris divini, æquè vel gravius potest Papa esse simoniacus, sicut alius homo. Hæc nota est, quia non est supra jus divinum.

Secunda conclusio: In his autem quæ non sunt verè spiritualia, sed sunt annexa spiritualibus solùm jure humano, Papa posset ex rationabili causa sine vitio simoniæ conferre pro temporalibus. Hæc probata est supra, quia nil habent spiritualitatis, ut officium hospitalitatis, vel procuratoris, ut supra expositum est. Et idem videtur de officio Sacristiæ, & fortè de sepultura, & de aliis hujusmodi, quæ profectò pauca sunt, & in illis quandocumque alius esset simoniacus, si Papa sine rationabili causa faciat contractum aliàs simoniacum, graviter peccaret. Hæc probatur, quia ut S. Thom. probat 12. q. 96. art. 5. Princeps est solutus suis legibus quoad vim coercitivam, sed non quoad vim directivam, & est subditus legi, ex æquitate naturali, ut habetur, Extr. de *Constitutione*, cap. *Cum omnes*. *Quisquis jus in altero statuit, ipse eodem jure uti debet*, ut Sapientis dicit auctoritas: *Patere legem, quam ipse tuleris*. Atque etiam improperantur, *qui dicunt, & non faciunt*, quia aliis onera gravia imponunt, & ipse nec digito volunt ea movere ut dicitur Matth. 23. Unde, inquit S. Thom. quantum ad judicium Dei Princeps non est solutus à lege.

Et

Et dixi graviter peccare: quia fortasse neque à mortali excusatur, & quia vendit non sua, & ratione scandalì, & ratione injuriæ, quàm aliis facit, cogendo ad jus, quod ipse tenere non vult. Et idem judicium est de omnibus aliis, quæ sunt juris positivi. Unde qui sine causa rationabili petunt dispensationes à Pontifice, licet adepti sint dispensationem, fortè excusantur, non tamen excusantur malè petentes, & quia Pontificem inducunt ad peccandum.

Quamvis Doctores dicant, quòd circa ea, quæ sunt juris positivi, Papa posset peccare alio peccato, scilicet acceptione personarum, vel avaritiæ, non autem simoniæ, videtur tamen, quòd illud sit peccatum simoniæ. Nam sicut peccaret peccatum intemperantiæ, si sine rationabili causa non jejunaret, aut duceret uxorem, quæ sunt de jure positivo; ita in proposito dicendum est, licet contra hujusmodi propositiones teneat Glossa in illo cap. *Ex parte*, & Anton. de Butr. & Joan. de Imola, & Cardin. in cap. I. *de Simonia*.

Unde est corollarium: Eodem modo potest Papa dispensare ex rationabili causa cum aliis in his quæ sunt simoniaca jure positivo, & circa spiritualia, & sine illa non excusabit illos à peccato: unde posset dare facultatem commutandi sine nova licentia.

Dub. Sed ex primo dubio de obsequio oritur dubium: Utrum * hoc ipsum, scilicet sperare beneficium spirituale ex officio temporali, sit simoniacum. Ad hoc respondent Doctores, quòd sperare principaliter est simoniacum, sed sperare minùs principaliter, non est simoniacum. Sed parum refert, quòd sit principaliter, vel minùs principaliter. Et ideo melius est ut distinguatur, mediatè, vel immediatè: quia si immediatè per obsequium vult habere beneficium, simoniacum est. Si autem vult consequi benevolentiam, ex qua possit habere beneficium, non est simoniacum.

Dubitatur: An * promittere spiritualia, sit simonia. 41

Dub. aliud. Dico, quòd non, licet sit malè factum.

Sed circa hanc disputationem de simonia juris divini, & positivi difficultas est, quæ sunt illa, in quibus est spirituale de jure divino, & quæ in quibus de jure positi-

vo, ut inde intelligatur in quibus Papa potest dispensare, aut non.

Et in primis est controversia de beneficiis Ecclesiasticis, an sint spiritualia ex sua natura, an solum de jure positivo, & per consequens an vendi possint sine vitio simoniae.

De qua quaestione sunt opiniones. Prima opinio: In 42 * beneficiis universaliter simonia est de jure positivo, & per consequens Papa potest vendere sine rationabili causa, & sine vitio simoniae, vel ex rationabili causa & sine peccato. Hæc est Glossæ in cap. *Ex parte, de Officio Delegati*, & Anton. de Burr. & Imol. & Cardin. cap. *I. de Simonia*.

Pro ista opinione arguitur: Quia omni beneficio sunt simul spirituale, & temporale, & ubicumque hæc duo inveniuntur, potest venditio fieri ratione temporalis, dummodo non plaris vendatur res, ut patet de calice, vestibus sacris: ergo præbenda, quæ habet redditus, potest vendi secundum justam æstimationem temporalis redditus: dummodo gratis detur quod spirituale est in ipso beneficio. Et confirmatur: Quia quod hoc temporale sit annexum huic spirituali, solum est de jure positivo: ergo Papa poterit vendere, ac si non esset annexum, imò usque ad Urbanum Primum Ecclesia dicitur non habuisse redditus. Præterea jus patronatus est spirituale, & annexum temporali, & hoc non obstante, illud temporale potest vendi, ut patet Extr. in cap. *Servire*, & ex cap. *Ex literis*: ergo simili ratione temporale adjunctum spirituali, in præbenda vendi poterit adjunctum cum spirituali.

Verum hæc argumenta solum videntur procedere de simplici præbenda, ut canonicatu, aut patronatu, in quibus nil videtur esse spiritualis propriè, cum neque habeant claves, neque administrationem sacramentorum.

Secunda opinio sequitur aliud extremum, quod omnis simonia in beneficio Ecclesiastico est prohibita jure divino, & per consequens vendi non potest sine vitio simoniae. Hæc est opinio communis Theologorum, de qua statim plura.

Tertia opinio sequitur viam mediam, scilicet quod in beneficiis habentibus administrationem ordinis, vel

executionem clavium, simonia est de jure divino, & per consequens Papa non eximitur ab illa, neque alium eximere potest. In aliis autem non habentibus talem administrationem, aut executionem, simonia solum est de jure positivo, & sic Papa poterit illa vendere sine vitio simoniae, aliàs flagitiosè peccat: Ut de canonicatu, patronatu, & si qua sunt alia similia. Hæc est Panorm. cap. I. *de Simonia*, & *in Receptione*, cap. ult. *de Simonia*.

De hac questione sit prima conclusio contra Panor. & Hostiens. Non * minus est simonia vendere Canonicatum simplicem, quàm beneficium cum cura animarum. 43
 Probat: Nam si venditur officium, ita est spirituale, sicut aliud: si autem temporale, non est magis temporale redditus simplicis præbendæ, quàm beneficii habentis curam animarum: ergo par ratio est de utroque. Antecedens autem pro prima parte probatur, in qua est difficultas, quia clericatus est res spiritualis: quia quamvis sit ex institutione Ecclesiæ, nihil aliud est, quàm cooperatio ad administrandum populo, & sacrificiis divinis. Et S. Thom. 2.2. quæst. 100. art. 4. ponit clericatum inter spiritualia, præbenda autem datur Clerico, quia Clericus est primo ratione officii clericalis, & ex illo habet jus capiendi fructus præbendæ, quod etiam jus non potest esse, nisi spirituale, cum fundetur in officio clericali, ratione enim illius officii debetur illi sustentatio à populo de jure divino, juxta illud 1. ad Corinth. 9. *Qui altari servit, de altari vivere debet*: unde sequitur quòd tam spirituale est officium clericale, & jus recipiendi fructus in simplici præbenda, sicut in Episcopatu: & sic nulla videtur differentia inter beneficium simplex, & cum cura animarum. Præterea, ita est de jure positivo subdiaconatus, sicut simplex clericatus: ergo si propter hoc licet vendere præbendas annexas clericatui simplici, licet vendere præbendas subdiaconatus, si quæ sunt, ut si esset præbenda assignata subdiacono pro officio suo, quod habet.

Secunda conclusio: Papa * non potest vendere sine 44
 vitio simoniae ex quacumque causa quodcumque beneficium Ecclesiasticum. Probat, quia in beneficio non reperiuntur nisi tria, officium, jus recipiendi fructus, & ip-

ipsi fructus. Papa autem non potest dare secundum, nisi per primum, quia non competit jus recipiendi, ut dictum est, nisi ratione officii: sed tam primum quam secundum est spirituale bonum: ergo Papa non potest illa vendere. Hanc habet Palud. 4. dist. 25. q. 4. & Armach. lib. 10. cap. 16. & Adrian. quotlib. 9. & Cajet. Opusc. proprio de Simonia.

Item arguit Palud. & Armach. Magis spirituale est actus eligendi Episcopum, qui tamen spectat ad canonicos, &c. ergo.

Et præterea, quia non est minus spirituale officium Canonici quamvis sit de jure positivo, quam si esset de jure divino, sicut non est minus spirituale officium subdiaconatus de jure positivo, quam Sacerdotii de jure divino. Sed si canonicatus esset de jure divino, vendi non posset: ergo neque & nunc. Præterea, quia in canonicatu tria inveniuntur (ut dictum est) clericatus, sive officium, jus recipiendi fructus, & ipse fructus: quæro utrum canonicus habuit officium gratis, vel pretio. Si secundum, est simonia. Quæro & de secundo, scilicet de jure recipiendi fructus. Aut habetur gratis, vel pretio. Si secundum, est simonia, quia ut probatum est, etiam est jus spirituale, quia ex ratione officii spiritualis, sicut etiam jus decimarum in beneficio curato est spirituale. Si autem Papa hoc gratis dedit, iste jam tenet titulum, & jus possessionemque præbendæ, & hoc sufficit ad recipiendum fructus, neque est ibi aliud, quod Papa possit vendere.

Unde est implicatio, quod Papa gratis det, quod est spirituale in præbenda, & vendat quod est temporale. Et in hoc consistit ratio hujus simoniæ. Et confirmatur: Nam Papa non habet majorem titulum ad fructus præbendarum, quam Ecclesia. Sed Ecclesia non habet nisi jus spirituale, scilicet ratione administrationis spiritualis: ergo neque Papa: ergo nihil habet, quod possit vendere. Et similis calumnia videtur esse, si quis diceret: Ego do tibi gratis titulum, ac dominium ad fundum, sed vendo tibi fructus. Si enim habeo jus ad fundum, fructus sunt mei. Præterea, si fructus essent annexi canonicatui jure divino, sicut in veteri testamento, non possent vendi: ergo neque nunc, quia non minus

est officium spirituale clericorum, quàm erat Levitarum.

Item Panorm. arguit pro ea parte, qui est in hac sententia. Nam in cap. *Ex diligent*, de *Simonia* dicitur, quòd præstatio homagii vel juramenti pro beneficio acquirendo, divinis, atque humanis legibus contraria esse dignoscitur: ergo Papa non eximitur ab illo jure. Præterea, si Papa potest facere: ergo dare facultatem aliis potest: quod omnino esset absurdissimum. Sed totus iste error profecto emanavit, quòd isti crediderunt, quòd illa, quæ sunt juris positivi, non sunt verè spiritualia, in quo vehementer erratum est. Sicut enim spiritualis consecratio Ecclesiæ, aut consecratio Sacerdotis, benedictio aquæ: absolutio sacramentalis, non sunt temporalia, sed spiritualia. Ita licet beneficium canonicorum sit de jure positivo, est ita spirituale, sicut officium Sacerdotis, & idem est judicium de aliis spiritualibus & contrarium dicere est erroneum. Papa enim non potest concedere spiritualia bona beneficiorum sine titulo spirituali, quia non est dominus, ut ait S. Thom. 2.2. q. 100. Et probat Palud. Nam fundatores non reliquerunt bona illa Papæ, sed ministris solùm, neque spectat aliud ad Papam, quam proviso ministrorum.

Hæc videtur contra Adrian. ut infra dicitur. Si tamen Papa sine titulo spirituali de facto venderet, esset simonia similiter, ac si rex venderet illa, neque venditio teneret. Non negamus tamen, quin Papa pro communi utilitate Ecclesiæ posset vendere, vel aliter transferre fructus, vel partem illorum, quia etiam de bonis clericorum potest disponere tanquam dispensator & administrator.

*Ad Arg. quæ
allata sunt
pro prima opi-
nionè.*

Ad argumenta in contrarium: Ad primum respondetur, quòd differentia est clara, quia in calice, aut in argento potest aliquis habere jus ad illud temporale, & non ratione spiritualis: non ita autem est in beneficio, ubi ad temporale non potest esse jus, nisi spirituale, ut declaratum est.

Ad confirmationem negatur consequentia: quia licet sit annexum de jure positivo, tamen annexum est debitum, solùm ratione illius spiritualis.

Ad aliud de jure patronatus respondetur, quòd differentia est clara, quia in patronatu spirituale sequitur ipsum

ipsum temporale : Econtrariò autem in beneficio temporale sequitur spirituale : Et hæc de beneficiis , & officiis , in quibus est aliquid spirituale. Si quæ tamen sunt , quæ revera , ut suprà dictum est , nullum contineant officium spirituale , de quibus fit mentio in dict. cap. *Salvator* non negamus quin vendi possint sine vitio simoniæ , ut officium , & præbenda in hospitali , imo & cathedra in universitate , & alia similia : quia ista ad nihil spirituale ordinantur , & laicis possunt concedi.

45 Ex quo sequitur , quòd * omnes præbendæ militares , quas commendas vocant , possunt autoritate Papæ vendi pro temporali sine vitio simoniæ. Nam licet sint annexæ Religioni , & Religiosis , non tamen ratione officii spiritualis , sed pro officio militari.

46 Ex quo iterum sequitur , quòd * neque ex autoritate Papæ potest commutari commenda militaris pro beneficio. Pater , quia commenda est merè temporalis , sicut stipendium ducis in bello.

Adrian. in quotlib. 9. *Ad quintum principale* , dicit , quòd opinio , quæ dicit , quòd Papa in venditione beneficiorum , non est simoniacus , verissima est , quando intendit vendere jus recipiendi fructus , non mediante aliquo officio spirituali. Contraria tamen opinio habet verum , quando intendit vendere mediante aliquo officio spirituali. Et inquit , quòd Papa hoc potest facere , scilicet non mediante aliquo officio spirituali vendere præbendam , quia jura non possunt eum impedire : Secus de Prælati inferioribus , & sic concedit , quòd autoritate Papæ potest aliquis commutare beneficium pro officio temporali , scilicet notariatus , ita quod intelligitur , quòd Papa dat illis præbendam temporalem pro officio illo , & non jus spirituale.

Sed probatur quòd hoc sit falsissimum. Nam quæro si Papa vendidit Petro jus recipiendi fructus præbendæ , & non mediante aliquo officio spirituali , quare Canonicus tenetur dicere officium divinum , vel interesse in choro , quia Papa non potest obligare ad hoc sine stipendio. Præterea , talis non faceret fructus suos , si non diceret officium divinum , ut decretum est in Concilio Lateran. sub Leone X. ergo fructus debentur ratione

officii spiritualis : ergo Papa non dedit nisi illo titulo.

Sequitur quæstio particularis de pensionibus. An * 47
circa illud contingat simonia, si permutentur cum bonis
temporalibus, ut in redemptione pensionum.

Arg. pro par-
te affirm.

Et videtur quod sic, quia est beneficium Ecclesiasticum : ergo circa illud potest cadere simonia. Præterea, vel illud est temporale, vel spirituale : si spirituale, ergo non habet æstimari, aut redimi pecunia : Si temporale, ergo non licet commutare beneficium pro pensione. Cujus tamen oppositum usus obtinuit.

Cajetanus in proprio Opusc. & in Summa in verb. *Simonia*, respondet, quod jus annuæ pensionis est merè temporale. Quod probat ex duobus. Primum, quia solos fructus beneficii Ecclesiastici respicit. Nam pensio non est beneficium spirituale, propriè loquendo, sed totum beneficium est illius, qui pensionem solvit. Et secundo, quia solet laicis concedi, sicut ait S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. quod cum Papa concedit laicis decimas, non concedit jus, sed solum res temporales, quæ nomine decimæ dantur.

Major in 4. dist. 25. ad 4. dicit, quod pensio non est aliquid temporale, sed est beneficium, sed Glossa in cap. *Cum de constitutione*. videtur dicere, quod ubi præbendæ non est annexum spirituale, videtur quod sit aliquid temporale, & quod vendi, & redimi possit.

Adrian. in illo quotlib. 9. *Ad quintum principale* dicit, & admittit, quod pensio est temporalis, & per consequens quod nullo modo autoritate partium potest commutari beneficium pro pensione. Sed autoritate Papæ potest, imò possit fieri pro nuda pecunia. Nam secundum ejus imaginationem, illa pensio datur pro præbenda temporalis beneficii, & nullo modo pro aliquo jure spirituali : Et quia nullus inferior Papa potest conferre temporale beneficium nisi mediante spirituali, ideo neque possessor beneficii, neque Episcopus, potest dare beneficium pro pensione.

Certè res videtur dubia, & fortasse ista commutatio pensionum non est ita tuta, sicut omnibus videtur, sed utcunque respondeo per conclusiones.

Prima conclusio : Pensio * quæ assignatur alicui su- 48
per

per beneficium alterius, ratione alicujus ministerii spiritalis, licita est & honesta, sicut ratione adjutorii, & subsidii: ut cum Episcopo titulari assignatur certa pensio super Episcopatum alterius, ut adjuvet ad exercendum Episcopalia. Ista conclusio est nota: Nam datur stipendium justum pro administratione spiritali. Et eodem modo posset assignari Presbytero ut ferret subsidium Pastori vel Parocho seni, aut alias invalido, ad administrandum Sacramenta: Unde sequitur quod talis pensio redimi non potest pecunia, non solum transactione partium, sed neque auctoritate Papæ, ut supra probatum est, quia est verum beneficium.

49 ¶ Secunda conclusio: Habens * beneficium, cui per aliquod tempus ministravit, licite potest auctoritate Papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocunque onerato officio spiritali. Hæc probatur, quia ei qui diu in servivit beneficio, honestum est, ut pro præterito ministerio, etiam in futurum consulatur, & prospiciatur, & detur sustentatio, si postea non potest commodè ministrare. Adhuc est verum de illo: *Dignus est operarius mercede sua*. Eademque ratione videtur, quod talis pensio non sit vendibilis: quia jus ad illam est mediante officio spiritali, neque est minus spirituale, quam si sit pro ministerio futuro.

Sed etiam potest argui contra hoc, quia est merè temporalis, nam datur solum tanquam alimentum, & non remanet obligatus ad aliquod officium spirituale.

50 ¶ Unde est tertia conclusio: Papa * non potest dare alicui pensionem aliquam super beneficio Ecclesiastico ei, qui nullum ministerium neque temporale, neque spirituale conferat in Ecclesia, vel alio pio titulo. Hæc probatur, quia Papa non est dominus, sed dispensator, & illud esset dissipare. Præterea, in hoc faceret injuriam populo, & ministris: populo quidem, quia cogeret solvere beneficium, & stipendium nullo titulo debitum, cum tamen nullum alium titulum possit habere Ecclesia ad bona laicorum, nisi quod dominus ordinavit, quod qui Evangelio serviunt, de Evangelio vivant. 1. ad Corint. 9: quod fieret, si decimas ministris Ecclesiæ debitas pro mi-
nif.

ministerio aliis otiosis distribueret : Dico autem, sine ministerio, vel alio pio titulo, ut ratione paupertatis, aut studii ad bonum commune, sed solum pro suo arbitrio. Confirmatur : Nam non est dubitandum, quin Papa possit errare, & peccare in distributione beneficiorum Ecclesiasticorum : sed iste videtur error manifestus, ut bona Ecclesiastica, quæ sunt ministrorum, & pauperum, aliis distribuantur nullo titulo : ergo tales distributiones sunt injustæ non minus, quàm si quis pro quotidiano sacrificio legaret perpetuos redditus, atque Papa illos assignaret alicui, qui neque sacrificaret, neque aliud pium officium conferret.

Quarta conclusio : Non * videtur irrationabile ut 51
Papa det Clerico pensionem aliquam in alieno beneficio, solum quia Clericus est. Probat, quia si Clerici certo numero, & non ita sine discrimine, & passim ordinarentur, rationabile esset, ut Ecclesia sustentaret ministros suos de quorum numero sunt omnes Clerici : Maxime qui alias non haberent unde honestè viverent, sed talis pensio etiam videtur quod esset verum Beneficium, quia titulus esset verè spiritualis scilicet ratione ministerii, quod talis Clericus vel impendit, vel aptus est impendere, & per consequens non videtur quod talis pensio possit vendi.

Quinta conclusio : Utcunque * justo, sive injusto ti- 52
tulo Papa alicui concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicujus tituli spiritualis, talis pensio est merè temporalis, quia secundum se est temporalis, neque est annexa alicui spirituali, postquam jus ad illam non est spirituale : Ex quo sequitur, quod vendere, aut redimere talem pensionem pretio quolibet temporali, non simoniacum patet ex conclusione.

Sexta conclusio : Si quis * contulit, aut permutavit 53
beneficium pro pensione, etiam autoritate Papæ nullo modo possum intelligere quomodo talis pensio possit vendi, aut redimi pecunia, neque sufficio solvere argumentum superius factum. Aut enim talis pensio est spiritualis, aut temporalis. Si spiritualis, redimi non potest : si temporalis, permutari cum beneficio non potest : ergo

talis pensio non potest cadere sub emptione aut redemptione. Unde commentitium puto quod dicit Adrianus, quòd autoritate Papæ possit permutari pensio cum beneficii præbenda, secludendo ipsum spirituale, quia (ut suprà probatum est) Papa non potest dare illud temporale, nisi propter illud spirituale. Imò neque dat, quia nunquam dat jus ad illud temporale, nisi ratione tituli & officii spiritualis. Dico temporale, quod est in beneficio: Unde commutari pro pensione non potest. Confirmatur: Nam si quis obtinuit beneficium quia dedit pensionem, si postea non dicat officium canonicum, non facit fructus suos, ut determinatum est in Concilio Lateranensi, sub Leone X. ergo signum est, quòd talis non habet titulum ad fructus beneficii, nisi ratione officii spiritualis. Fictitium ergo est & sophisma, quòd ille permutaverit quod temporale erat in beneficio pro pensione. Sed eodem modo permutavit sicut pro alio beneficio: Neque de hoc est dubium. Itaque non video quomodo alterum cum altero possit stare, ut beneficium mutetur pro pensione, & iterum pensio pro pecunia. Et Adrian. bene consequenter concedit, quòd sicut à principio est facta permutatio beneficii cum pensione, poterit fieri cum pecunia autoritate Papæ.

Confir. iudicio meo vehementer, quia permutatio ab initio, non potuit fieri cum pacto redemptionis pensionis, ut etiam fatetur D. Cajet. Neque quisquam alijs negat.

Ex hoc sic arguitur: Vel in illa permutatione permutatur temporale vel spirituale. Si spirituale, ergo permutatio pro pensione temporali est simoniaca. Si temporale, ut dicit Adrian. ergo neque pactum de redemptione erit simoniacum, cum nihil spirituale interveniat.

54. Septima conclusio: Quancumque * pensionem Papa imponat, vel ex officio suo, vel ad supplicationem alterius, quæ non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium, vel ministerium spirituale: omnis, inquam, talis vendi potest, & redimi sine simonia. Ista patet ex superioribus, quia talis pensio est purè temporalis. Diximus autem sine simonia, quia non dubito, quin

tais negotiatio sit vitiosa, & præstans magnas occasiones ad fraudes simoniacas.

Unde est corollarium: Habentes tales pensiones temporales non tenentur ad officium canonicum. Hoc corollarium videtur clarum: Nam si pensio est temporalis, non est beneficium Ecclesiasticum. Et hoc profecto in hac materia absurdum est, ut non possimus aliter istos pensionarios absolvere à vitio simoniæ, nisi excusando eos à quocumque officio, & ministerio Ecclesiastico.

Ex quo iterum sequitur, quod nullo justo titulo possident tales pensiones, atque adeo si istæ redemptiones pensionum non redigerent nos ad istas angustias, non pateremur perplexitatem, sed simpliciter diceremus pensiones esse vera beneficia, quæ dantur Clericis ratione officii: & sic tenentur ad officium canonicum, quod multo honestius & securius esset in Pontifice, & possessoribus pensionum.



SECUNDA PARS

RELECTIONIS

DE POENA SIMONIACORUM.

SUMMA.

1. *Accipiens aliquid temporale ratione contractus simoniaci, an teneatur restituere quicquid simoniacè accepit.*
2. *Simoniacè consecutus beneficium Ecclesiasticum nihil juris acquirit in illo: neque facit fructus suos, sed tenetur resignare.*
3. *Simoniacus an de jure naturali & divino teneatur restituere, an de solo positivo.*
4. *Restitutio pecuniæ acquisitæ per simoniam, non est de jure divino.*
5. *Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de jure divino.*
6. *Pecunia ex contractu simoniaco acquisita cui debeat restitui.*
7. *Ref-*

7. Restitutionem quis bona fide fecit dando pauperibus, vel illi, à quo accepit, an teneat factum.
8. Beneficium adeptus, qui quidem non dederat pecuniam Episcopo, sed alium pro eo, ispo ignorante, an teneatur restituere.
9. Contrabentes cum Papa, an sint simoniaci, aut incurrant pœnam juris.
10. Accipere aliquid pro sepultura, an sit licitum, & quando.
11. Sepultura jus privatum an possit quis obtinere, & quomodo.
12. Religionem si quis ingrediatur, an ille, qui eum recipit, possit pro ingressu aliquid recipere.
13. Si quis legat Monasterio in perpetuum mille aureos ut faciat sacrum perpetuò: si hæres dicit: Ego dabo beneficium simplex hujus Missæ, & admittatis legatum, an hoc sit licitum, & fieri possit sine simonia.
14. Mediatores, qui pro aliis contractus constituunt simoniacos, quas incurrant pœnas.
15. Dare pecuniam, ut ab officio quis non deponatur, an sit simoniacum.
16. Simoniaci pœna quæ sit.
17. Licet temporale non possit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis & venditionis, an aliquo titulo spirituali possint spiritualia ipsa esse media ad aliud quod temporale.
18. Titulus triplex recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus describitur.
19. Clerico utrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium.
20. Locare operas in administratione spiritualium non plus liceat, quàm locare ipsa spiritualia, neque licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quàm pro ipso spirituali.

QUIA pœna simoniacorum pendet ex restitutione, & hæc est potissimæ pœna, ideo solum tractabo de restitutionis pœna, quia in hac sola videtur magna difficultas consistere. Unde est prima quæstio: An * ille, qui aliquid temporale accepit, ratione contractus

simoniaci, teneatur restituere quicquid simoniacè accepit.

Ad hanc quæstionem respondent omnes Doctores tam Theologi, quàm Canonistæ, quòd sic, & habet eam tanquam certam & indubitatam: Et probant ex cap. *Si quis Episcopus* 1. q. 1. ubi tamen non agitur de hac restitutione, sed solùm cavetur quòd ordinato per simoniam non proficiat talis promotio, & de Episcopo ordinante dicitur quòd proprii gradus periculo subjacebit. Sed argumentantur (ut solent) ex uno ad aliud. Plus tamen videtur facere cap. *Mandat. de Simonia*: Ubi habetur, quòd simoniaci mentales non tenentur ad restitutionem, neque temporalium, neque spiritualium. Ex quo arguitur, quòd si esset simonia exterior, tenerentur ad restitutionem.

Respondetur tamen & sit prima conclusio: Quicumque * simoniacè consequutus est Ecclesiasticum beneficium, 2
nil juris acquirit in illo, neque facit fructus suos, sed tenetur resignare. Hæc expressè habetur in jure, cap. *Ea quæ* 1. q. 3. & cap. *Ex multis*, & 1. q. 1. cap. *Si quis*, & cap. *Presbyter*. Et sunt Extravag. apertè hoc caventes Martini V. Eugenii IV. Pauli II. & Sixti IV.

Dub. Sed dubitatur, an * de jure naturali & divino tenean- 3
tur restituere, an de solo positivo.

*Pro parte af-
firm. Arg. 1.*

Et primo de temporali videtur, quòd sit de jure divino obnoxium restitutioni. Nam ita est prohibitum de jure divino recipere aliquid titulo simoniaco, sicut usurario, sed usurarius tenetur restituere jure divino, & naturali quicquid acquisivit ex usuris: ergo & simoniacus.

Arg. 2.

Est etiam probatio Sancti Thomæ: Qui aliquid accipit contra voluntatem domini, pro re, quàm tenebatur dare gratis, tenetur ad restitutionem. Sed ita est in præfenti: ergo. Confirmatur, quia si emptor tenetur restituere beneficium sine condemnatione: ergo vendens tenetur restituere pecuniam.

Arg. 3.

Præterea, si hoc solùm est de jure positivo, cum hoc sit pœnale sequitur quòd simoniacus non tenebitur restituere ante condemnationem. Consequens est contra omnes Doctores.

Arg. 4.

Præterea, quia non videtur cautum in jure, nisi de restitutione in simonia quæ est vel committit in ordine, vel beneficio, vel pro ingressu Religionis. Si ergo institutio est solùm de jure positivo, videtur, quòd qui re-
ci-

cipit pecuniam pro administratione Sacramentorum, aut aliis actibus spiritualibus, aut celebratione Missæ limoniacè, non tenebitur restituere: Cùm tamen ista sint non minus spiritualia, & per pactum non minus enorme: ergo. 5. Arg.

Præterea arguitur instanter: Nam non dicitur contractus, ubi alterum pro altero commutatur, si una pars vere non dat quod pasciscitur. Ut si quis pro dono recipit pecuniam, si revera non dat donum, tenetur restituere pecuniam. Et si emo equum à non domino, tenetur mihi restituere pecuniam, & ego equum. Ita est in proposito, quòd vendens beneficium, non facit emptorem dominum beneficii, neque dat ei titulum, sed emptor tenetur dimittere: ergo venditor restituere pecuniam, secluso omni jure positivo.

In oppositum est, quia apud Deum ita est simoniacus mentalis, sicut simoniacus exterior: Sed mentalis non tenetur restituere, sed sufficit ei sola poenitentia, ut habetur in dict. cap. *Mandat. de Simonia*: ergo non est de jure divino.

Ad quæstionem respondent Innocent. & Hostiens. in cap. *Tua nos, de Simonia*, quod in simonia, quæ est de jure divino, est obligatio ad restitutionem, etiam de jure divino. Et ad cap. *Mandat.* respondent quod intelligitur solum de simonia, quæ est solum de jure positivo.

Sed contra est quod cap. loquitur de simonia, quæ est in ingressu Religionis, quæ est de jure divino. Neque valet dicere, ut alius respondet, quod cap. illud intelligitur non de pecunia accepta pro ingressu Religionis, sed pro loco in ordine Monachorum post ingressum Religionis. Hoc enim est divinare, cùm cap. absolutè loquatur de loco habito seu acquisito in Monasterio, & præterea post ingressum Religionis non esset simoniacum dare pro certo loco inter Monachos pecuniam, etiamsi fuisset exterior compositio, quod manifestè esset contra caput.

In eadem sententia cum Innocentio, & Hostiens. est Major 4. dist. 25. q. 5. Generale est, inquit, & de jure, naturæ, quod homo non acquirat dominium per actum quem tenetur gratis dare. Imo addit, quòd neque Papa potest dispensare ut retineatur pecunia. Et in hac sententia videtur esse Adrian. quotlib. 9. quòd tenetur de jure divino simoniacus restituere, Sed

Sed contra istam opinionem statuo conclusionem: Restitutio * pecuniæ acquiritæ per simoniam non est de jure divino. Hæc est Cajet. 2. 2. q. 100. art. 6. & Sylvest. verb. *Simonia*, §. 20. & Panorm. cap. *Mandat.* Ex quo videtur sufficienter probari. Et arguitur sic: Si illa restitutio esset de jure divino, & naturali, deberet fieri illi, à quo ablata est pecunia ut in usura, & in aliis rapinis: Consequens est contra omnes Doctores, & fortè contra veritatem. Confirmatur: Nam si do Petro viginti aureos ut interveniat cum usurario, ut det mihi mille aureos ad usuram: Petrus non tenetur restituere, & tamen si darem ut interveniat apud Episcopum, ut impetraret beneficium, teneretur: ergo non est idem judium de utroque. Præterea non minus obligatur ad restitutionem simonicus spiritualis acquisiti, quam temporalis: Sed hoc non est de jure divino, ut statim aperte probabitur: ergo neque reliquum.

Sed argumenta in contrarium non ita facilè solvuntur. Ad primum Panorm. cap. *Mandat.* conatur multas differentias ponere inter usurarium mentalem, & simonicum, sed omnes sunt inefficaces: vide illum, quia tandem videtur consentire cum Innocent. & Hostiens.

Cajet. ponit differentiam, quia in simonia est voluntaria translatio, quamvis iniqua, sed in usura non: Sed fortasse differentia est, quòd in usura efficitur injuria illi, à quo exigitur usura, & ideo ei restituendum est: sed in simonia non sit injuria illi, qui libenter dedit pecuniam, sed injuria facta est rebus sacris, sicut si in loco sacro aliquis haberet rem cum propria uxore, non faceret illi injuriam, sed templo. Ita in proposito dicit, quòd nulla sit injuria illi, à quo pecunia accepta est, sed rebus spiritualibus: Et ideo nulla restitutio est facienda illi, qui dedit pecuniam de jure divino.

Ad secundum patet per idem: Unde fortasse ita esset, si postquam habet aliquis jus ad beneficium, ut per electionem, aut præsentationem patroni, Episcopus exigeret ab illo pecuniam, tunc enim de jure divino tenetur Episcopus illi restituere.

Ad tertium videtur dubium de consequenti sed tamen dico cum domino Cajet. & communi opinione, quod etiam

etiam ante condemnationem tenetur restituere. Probat, quia Ecclesia potuit illegitimare illum contractum, ita ut non transferretur illud dominium pecuniæ in simoniacum. Sed hoc videtur fecisse, quia fecit in illo quicquid potuit facere, in odium simoniacorum: ergo creditur quod illegitimaverit contractum. Confirmatur apertè, quia ex solo statuto humano, ut continuo dicam simoniacus non acquirit titulum in beneficio, sed tenetur resignare etiam ante condemnationem: ergo cum non minus sit absurdum & odiosum vendere quam emere, videtur etiam quod venditor non acquirat dominium pretii quod accipit.

Ad confirmationem patet per idem: non enim tenetur restituere nisi de jure positivo.

Ad quartum dico, quod forsan consequens est verum, quia nulla facta est pecuniam danti injuria, & ideo si non esset cautum in jure, non cadit restitutio. Vel dicatur, quod cum hoc sit tam odiosum in jure, licet arguere ab uno ad aliud, & sic si tenetur restituere in ordine vel beneficio, tenebitur etiam in aliis spiritualibus, & ita tenet Sylvest. §. 20.

Ad superiora responderetur quod in contractu simoniacico non fuit conventio, ut collator beneficii, aut renuntiator verè det titulum, sed solum quod faciat quod in se est de facto renuntiando, aut conferendo: & sic nulla fit ei injuria, nisi fortè deciperet illum, persuadens, quod non acquireret titulum, neque teneretur ad restitutionem. Idem etiam in jure divino & primum si staremus in jure divino, etiam dans pecuniam acquireret titulum beneficii.

Potest confirmari solutio primi argumenti, quia simili peccato peccat dans pecuniam pro beneficio, sicut recipiens: dans autem non facit injuriam sibi ipsi: ergo neque recipiens facit injuriam danti, quia hoc peccatum non consistit in injuria personarum contrahentium. Confirmatur: Nam non videtur imaginabile, quod in eodem contractu uterque contrahentium patiatur injuriam, in contractu autem simoniacico si accipiens pecuniam facit injuriam: ergo accipiens beneficium. Quia non plus licet extorquere beneficium pro pecunia, quam è contrario pecuniam pro beneficio. Præterea, etiam si Petrus deberet 100. aureos Episcopo, & Episcopus non posset aliter recuperare illos nisi conferendo beneficium, & ea ratione conferret,

ni-

nihilominus esset simoniacus (ut suppono & determinatur à Doctoribus) & ea ratione non facit injuriam Petro tunc: ergo non consistit simonia in injuria partium: Et hoc expressè dicit S. Thom. & Sylvest. §. 17. contra Angelum.

Quest. Res-
pondens.

Sed queritur an * beneficium simoniacè acquisitum sit obnoxium restitutioni de jure divino? Dico quod non, sed de jure positivo. Probatum eodem modo sicut de pecunia probabimus ex illo cap. *Mandat.* Si enim esset de jure divino, Monachus consequutus locum in Monasterio pro pecunia, teneretur relinquere Monasterium, neque professio valeret, cujus contrarium bene habetur ex illo cap. Præterea probatur, quia Summus Pontifex electus simoniacè, acquirit totum titulum, neque tenetur resignare, ut patet extra de elect. cap. *Licet*, ubi Alex. ad vitandum schismata dicit in Concilio generali, quod electus à duabus partibus Cardinalium, sine ulla exceptione habeatur pro indubitato Papa. Ex quo infert Major, quod neque exceptione simoniæ: & ita tenet Glossa in cap. *Si quis pecunia* 79. dist.

Sed contra eadem dist. cap. *Eodem* Nicolaus Papa dicit: Si quis pecunia, aut gratia humana fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus, & aliis Clericis Deum timentibus, & laicis invasorem illum anathematizare.

Respondet Glossa in eodem cap. quod intelligitur si fuit electus ab illis, qui non habebant potestatem eligendi: Sed Major dicit, quod Glossa est contra text. ideo ipse dicit, quod illud jus est revocatum per novum jus cap. *Licet*.

Sed notandum, quod Julius II. anno Domini 1505. 19. Calend. Febr. edidit Extravag. super electionem Papæ simoniacam, quod nullum habeat effectum, quàm fecit publicè affligi in valvis Basilicæ beati Petri, & Cancellariæ, atque revocare omnes constitutiones Pontificum in contrarium, & nominatim illud cap. *Licet*. Unde sequitur primo, quod hodie non teneret electio simoniaca. Secundo, quod hoc est de jure positivo, quia nunquam Papa dicit hoc esse de jure divino, & revocat constitutionem in contrarium. Tertio patet, quod ex cap. *Licet* tenebat, & erat canonica Papæ electio antequam revocaretur, & ita videtur tenere
Glos-

Glossa ibidem quæ solam exceptionem hæresis dicit esse admittendam : quod tamen Major ait adhuc non esse verum, sed esse Pontificem, etiam si esset hæreticus.

Sed contra hanc opinionem & communem modum intelligendi, cap. *Mandato* videtur urgere, cap. *Si quis* 1. q. 1. ubi sic legitur. *Si quis neque sanctis pollens moribus, vel neque clero populoque vocatus, vel pulsatione coactus impudenter Christi Sacerdotium, jam quolibet facinore pollutus, injusto cordis amore, vel sordidis precibus ore, sive comitatu, sive manuali servitio, sive fraudulento munusculo, Episcopalem, seu Sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloria avaritia fultus, dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, casuque insperata mors, pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum peribit.* Ex quo etiam probatur haberi, quod etiam sine peccato exteriori, sed solum munere dato, vel obsequio etiam, aut precibus consequutus Episcopatum, tenetur resignare: quod est contra illud cap. *Mandato*.

Responderi potest quod hoc cap. revocatur per illud cap. *Mandato*.

Sed contra, quia Papa illo cap. 1. respondet consultationi, neque vult condere novum jus.

Adrian. quotlib. 9. putat, ex jure divino esse obnoxium restitutioni, quod simoniacè acquisitum est, sive spirituale, sive temporale. Armach. lib. 10. cap. 23. tenet adhuc latius, quod non solum si simoniacè, sed si ambitiosa hypocrisi pervenerit quis ad Sacerdotium, nullum titulum acquirit, & tenetur restituere: Quia non intrat per ostium, & per consequens est fur, & latro. Henr. de Grand. quotlib. 9. quæst. 26. tenet quod simoniacus tenetur jure divino restituere quicquid est consequutus. Et ad cap. *Mandato* dat illam Glossam supra positam, quod intelligitur non de receptione Monachorum, sed de loco inter Monachos. Major dist. 25. q. 5. etiam tenet, quod est de jure positivo, quod per simoniam non acquiritur titulus in beneficio: Unde videtur consequenter loqui, quia prius dixerat vendentem teneri ad restitutionem temporalium.

Panorm. in dict. cap. *Mandato* (quia non placent ei differentia, quas ponunt Doctores, inter simoniacum, &

mutarium) ponit alium intellectum illius cap. ut intelligatur, non si quis principali intentione dederit aut recipere pecuniam pro ingressu Monasterii; sed secunda intentione, aliàs quod teneatur restituere: Et hoc inquit est tutius. Sed in cap. *Tua nos, de Simonia*, apertè dicit, quòd simoniacus mentalis sive in simonia juris divini, sive positivi, non tenetur restituere, & citat Joan. Andr. in utroque cap.

Sed * cui debet fieri restitutio de pecunia? Respon- 6
detur primò ex sententia omnium Doctorum, quod non debet fieri ei, à quo accepta est, quia non est illi facta injuria, licet de hoc non adducant Doctores aliquem canonem id determinantem, quod ego sciam. Secundò quod debet restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam accepta est. Si verò non est facta injuria alicui Ecclesiæ, danda est pauperibus vel Ecclesiæ Cathedrali, quæ ex Sylvest. §. 20. cum aliis colligere licebit. Tertiò videtur mihi, quod debet expendi, sicut aliæ pecuniæ, in opera pia ex mandato Episcopi. Vel (si hoc commodè non possit) de voluntate possidentis.

Sed notandum, quòd si aliquis dederit pecuniam simoniacè & non recipit beneficium, ita quod simonia non est consummata, pecunia est restituenda eidem, ut ait Cajet. in Summa: quia de jure naturali, tenetur restituere ei, à quo accepit, quia de eodem jure naturali est, ut ille non perdat sua, nisi recipiat illa, pro quibus illa dedit.

Secundò etiam notandum, quod si tenebatur Episcopus illi dare distinctè beneficium, & exigit pecuniam, etiam stando in jure naturali, tenetur illi restituere, quia fecit illi injuriam: Sed fortasse jus positivum voluit privare Episcopum ipso facto, sicut & beneficio.

Hæc dicta sunt pro communi sententia Doctorum. Sed fortasse posset defendi, quod restitutio pecuniæ est facienda eidem etiam: Et ratio est, quia licet stando in jure divino non fiat ei injuria, sed quia ratione juris positivi non acquirit titulum ad illud, pro quo dedit pecuniam, consequenter videtur dicendum, quod debet etiam restitui illud, quod dedit.

Sed ad hoc responderi potest, quòd ille jam novit
quòd

quòd non acquirebat jus in beneficio, & nihilominus vult dare pro illa translatione beneficii pecuniam & sic licet non sit de jure divino cui debeat fieri restitutio, non videtur dubitandum, quin debeat fieri collatori, id est talis debet reddere in manus illius, ad quem spectat providere. At de fructibus beneficii idem videtur judicium, sicut si ex aliis causis non faceret fructus suos & debet considerare ad quem spectant fructus de jure, vel dare in favorem Ecclesiæ, cui facta est injuria, vel pauperibus, sicut de aliis pœnis fieri solet.

- 7 Dubitatur: An * si quis bona fide fecit restitutionem, dando pauperibus, vel illi à quo accepit, teneat factum. Dub. 1.

Respondetur quod sic, neque amplius tenebitur ad restitutionem.

- 8 Dubitatur: Si * adeptus quis beneficium non dedit ipse quidem pecuniam Episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere. Dub. 2.

Respondetur, quod postquam primò scivit, tenetur restituere perceptos fructus, exceptis tamen, quos bona fide consumpsit. Sylvest. §. 13. p. 8. Anton. de Butr. cap. de Regularibus, de Simonia, dicit, quod Episcopus non potest renuntiare sine licentia Papæ, neque inferiores sine licentia Episcopi. Et præter hanc pœnam restitutionis incurrunt omnes sententiam excommunicationis, à qua non possunt absolvi, nisi à Papa.

Ex his patet, quòd Papa potest dispensare in omnibus superioribus, ut si quis: v. g. restituat beneficium per simoniam habitum, etiam in pecunia dispensari potest, quamvis Major dicat, quod in pecunia non potest, quia illa est Ecclesiæ, & Papa non est dominus ejus. Et hoc apparentiam habet postquam jus jam est acquisitum ab Ecclesia: Et quia est pœnale, videtur, quod Papa possit dispensare.

- 9 Sed dubium est: An * contrahentes aliquid cum Papa sint simoniaci, aut incurrant pœnam juris. Respondetur primò, quòd incurrunt peccatum simoniæ. Secundò, quantum ad pœnas, Sylvest. §. 19. post Joannem de Lignano, cap. 1. eodem tit. responderet, & dicit quod eo ipso, quod ex certa scientia Papa scit & tolerat videtur Dub. 3.

dispensare, quod limitandum est (inquit) quando simonia committitur cum ipso Papa, ut ab eo habeatur beneficium, eo sciente & consentiente, quia tunc scientia principis hoc vitium purgat. Adrian. quotlib. 9. ad ultim. ad 4. argumentum principale dicit de contrahentibus cum Papa, quod ubi expressè eximit eos, ne incurrant, etiam incurrunt poenas illas. Et videtur etiam tenere Panorm. cap. 1. de *Simonia*, & cap. *Extirpanda*, de *Præbendis*. Sicut in simili, ludens cum Episcopo ad Azarum, super quo esset lata sententia excommunicationis, non vitat sententiam, ut dicit Joan. Andr. in Regula *Cui licet*, de *Regulis juris*. Paulud. dist. 25. q. 4. art. 1. tenet cum Sylvest. quod Papa videtur dispensare.

Cajet. 2. 2. q. 100. art. ult. tenet partem negativam, quod non licet præsumi voluntatem principis, nisi recta ratio suadet: & hoc modo suadet recta ratio, ut Papa dispense cum illis. Imò contra videtur argumentum, quia si Papa confert beneficium excommunicato & scienter, non intelligitur dispensare cum illo, ut in cap. *Si sumus*, de *Sententia excommunicat.* in Clementina: ubi dicitur, quod Papa communicans scienter cum excommunicato, non intelligitur absolvere illum. Et Glossa dicit, quod etiam si participet in divinis. Sed Cajetanus dicit hanc suam sententiam non esse firmam. Certè videtur quod Papa intendat dispensare, quia intendit retinere pecuniam, quam profectò non potest retinere, nisi conferat beneficium. Et ideo teneo opinionem Sylvestri.

Dub. 4.

Dubitatur præterea * an pro sepultura liceat aliquid recipere. Et videtur quod sic, ex consuetudine Ecclesiæ. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. dicit, quod idem est iudicium, quod de valis sacris, & ideo terra vendi potest, non ratione consecrationis. Idem tenet in 4. dist. 25. Imò in cap. *Abolenda*, de *Sepulturis*, dicitur, quod jus sepeliendi vendi non potest. Unde licet diversæ Ecclesiæ habeant jus sepeliendi in eodem cœmeterio, una non potest vendere alteri jus suum.

Primum dictum Sancti Thomæ intelligendum est, quod locus nondum consecratus in sepulturam vendi potest, 12. quæst. 2. cap. *Aurum*. Si verò jam sit deputatus

ad sepeliendum humana corpora, vendi non potest ad sepulturam, secundum omnia jura licet in necessitate una Ecclesia possit vendere alteri Ecclesie.

Hostiensis dicit, quod quicquid temporale datur vel permittitur, ut electio sepulturæ fiat, est simoniacum, r. q. 2. cap. *Quia Pio*, & de pactis, cap. final.

Panorm. in cap. *Apparentiam*, de *Simonia*, dicit quod observari possunt laudabiles consuetudines, si tamen spiritualia prius conferantur, alias non est tolerabilis consuetudo: Tamen cavendum est, ne petant Clerici aliquid pro sepultura. Sed possunt petere quod servetur consuetudo, & hoc pro officio sepeliendi.

Et idem dicit Sylvest. §. 20. Puto, quod quando est consuetudo, quod aliquid detur pro loco sepulturæ, ut notat Innocent. in dict. cap. *Apparentiam*, pro quo est text. in l. *Privilegia*, cap. de *Sacrofanctis Ecclesiis*: ubi dicitur, quod ea, quæ ab antiquo sunt solita Ecclesie, & ministris tribui, non debent aliquo modo impediri. Quantum ad hoc, videtur mihi primo eodem modo prohibitum esse accipere pro sepulturis, sicut pro aliis spiritualibus, sive hoc sit de jure divino, sive humano. Patet hoc ex cap. *Abolenda*, ubi damnatur perversa consuetudo exigendi aliquid pro loco aut terra sepulturæ. Glossa tamen dicit, quod licet Clerici exigere non possint, tamen laici sunt compellendi servare antiquas conditiones, & ex cap. *Ad Apostolicam*, de *Simonia*, ubi dicitur de funeralibus: & cap. *Cum in Ecclesia*, de *Simonia*.

Secundò dico, quod servare consuetudinem laudabilem tenentur laici, ut patet ex dict. cap. *Ad Apostolicam*, quamvis in cap. *Cum in Ecclesia*, dicatur, quod nulla consuetudine excusari potest, quod aliquid pro hujusmodi accipiatur, sed quod non intelligatur, quod non possint recipere, probatur, quia non est magis spirituale, quam sacrificium. Et eodem tenore in dict. cap. *Abolenda*, & cap. *Ad Apostolicam*, & cap. *Cum in Ecclesia*, prohibentur exigere pro funeralibus, pro benedictionibus nubentium, & quibusdam aliis. Tertiò idem est iudicium de exequiis & funeralibus, quantum ad hoc. Tamen Sylvest. dicit tit. de *Simonia*, §. 11. quod pro his, ad quæ non tenentur

nentur, possunt exigere aliquid, aliàs non facere, dummodo egeant, & citat Archid. & Raymund. & Pisan.

Dub. 5. Dubitatur deinde: An * possit aliquis obtinere jus¹¹ privatam sepulturæ, & quomodo. Sylvest. verb. *Sepultura*, §. 3. dicit, quòd laicus non potest habere dominium sepulturæ, quia loca Religiosa non possunt esse in dominio alicujus. Secundo: Habere possunt quantum ad usum pro se, & suis sepeliendis, neque eis invitis potest aliquis ibi sepeliri, nisi in necessitate. Tertio: Mortuo illo, & familia illius, potest aliis concedi usus illius sepulturæ, quia mortuo usu funerario, usus redit proprietario. Sed etiam quarto idem dicendum de cappellis. Quinto: Hoc potest fieri ex concessione Ecclesiarum. Sexto: Pro hoc beneficio possunt Ecclesiæ recipere dotem in sustentationem, sicut pro aliis spiritualibus secundum consuetudinem laudabilem. Et eodem modo sicut pro Missa celebranda, sed eodem modo debet abesse peccatum sicut in aliis, sed solum fit donatio ex utraque parte.

Dub. 6. Dubium aliud est de ingressu Religionis: An * ille,¹² qui recipit ad habitum possit, aliquid accipere pro ingressu Religionis. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. dicit, quòd si Monasterium est egenum, licet aliquid recipere ad sustentationem Monasterii, addit Sylvest. §. 15. quòd licet exigere, & hoc S. Thom. dicit in 4. Si autem sine gravatione Monasterii potest recipi novitius, simoniacum est aliquid exigere. Hæc S. Thom. & ita Sylvest. absolutè tenet, quòd si egeant Monachi, possunt pacisci. Et est communis opinio, licet contrarium teneat Supplementum & Rosella. Tertio: Si autem Monasterium est opulentum, omnino est simoniacum quocunque modo pacisci, secundum omnes Doctores. Hæc habentur cap. *Quomodo, de Simonia*, & cap. *Periculosa, de statu Religiosorum*, lib. 6.

Dub. 7. Dubitatur item: Si * quis legat Monasterio perpetuo¹³ 100. aureos ut fiat sacrum perpetuo, & hæres dicit: Ego dabo beneficium simplex hujus Missæ, & dimittatis legatum, an hoc sit licitum.

Respondetur quod fieri non potest sine simonia, ut patet, quia hoc est emere beneficium. Sed videtur, quod Papa potest in hoc dispensare: dico quod non video quomodo possit dispensare.

14 Dubitatur præterea de * mediatoribus, qui pro aliis constituunt contractus simoniacos. Sylvest. §. 18. dicit, quòd easdem pœnas incurrunt, & eodem modo indigent dispensatione, ut absolvantur 1. quæst. 1. cap. *Statuimus*, & cap. *Si quis*, de *Simoniacis*. De Matrimonis etiam est difficultas, quia datur pro spirituali aliquid temporale.

15 Dubitatur: An * dare pecuniam, ut non deponatur quis ab officio, sit simoniacum.

Respondetur ex superioribus, quòd videtur quòd non, quia est negatio vel omisio spiritualis pro temporali.

Sed è contrariò videtur quòd sic, quia ille retinet spirituale pro temporali.

16 Dubitatur: An * aliquis simoniacus excusetur à pœnis juris. Resp. Quicumque præsumitur non peccasse mortaliter, non incurrit pœnas juris, tenebitur tamen ad restitutionem, si quid restituendum est. Si tamen facit pactum, tunc fortasse excusatur ignorantia, sed omnino tenetur restituere, & rescindere contractum.

De pœna suspensionis vide Sylvest. tit. *Suspensio*, §. 7. ubi dicit quòd simoniacus in ordine est suspensus ab executione illius ordinis, Extr. de *Simonia*, cap. *Tanta* 18. dict. cap. *Eas*. Imò ab omnibus ordinibus Clement. *Cupientes*, de *Pœnis*. Neque dispensatur, nisi à Papa.

Qui beneficium recipit simoniacè, suspensus est in cap. *Tanta*, & in cap. *Per tuas*, ex Panormit. quod si sit occultus per pœnitentiam, & renuntiationem, ministrare potest. Sed manifestus indiget dispensatione, 32. q. 1. §. *Verum*. Sed post pœnitentiam Episcopus potest dispensare.

17 Dubitatur: An * dato quòd pro spiritualibus non potest aliquid temporale recipere aliquis tit. emptionis aut venditionis, an aliquo tit. spirituali possint ipsa spiritualia esse media ad aliquod temporale.

18 Pro quo nota, quòd * triplex potest esse titulus recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus, ut dicit Cajet. 2. 2. & in sua Summa. Primus, qui comprehendit communem contractum sub se inducentem obligationem legalem, & iste est omnino simoniacus & prohibitus, ut supra dictum est. Secundus est sustentationis ministrorum. Tertius est locationis operum & conductionis. Et de

Dub. 8.

Dub. 9.

de isto tertio vertitur dubium, quia locatio est quodammodo species emptionis & venditionis.

Utrum * licet Clerico locare operas suas in administratione rerum spiritualium? Pro cuius quæstionis solutione nota, quod duplices operæ sunt, vel duplex labor invenitur in administratione spiritualium. Quidam est necessarius labor ad ipsam administrationem spiritualium, imò est ipsamet administratio, ut dicere horas, celebrare Missam, cantare in choro. Et aliæ sunt operæ, quæ accidentaliter concurrunt, ut ire iter unius diei ad celebrandum, vigilare ad aliquod spirituale faciendum.

Et de istis operis secundi generis non est dubitandum, quin ratione illarum possimus aliquid exigere. Et est sententia omnium Doctorum, quod licet locare tales operas, & exigere pecunias pro tali labore. Eodem modo, sicut si quis faceret sumptus eundo ad administrandum vel celebrandum Sacramentum, posset pacisci de expensis, dummodo in æstimatione illarum non habeatur respectus ad spiritualia. Hoc patet, quia illæ operæ sunt purè temporales, & per accidens, & impertinenter se habent ad administrationem spiritualium, de quo Cajet. 2. 2. q. 10. art. 3.

Sed de operis & labore primi generis est majus dubium, & pro parte affirmativa videtur, quòd liceat illas locare, quia sunt temporalia: ergo ratione sui poterunt locari aut vendi. Præterea quia Sacerdotes locant se ad celebrandum per menses, aut annum, & hoc Ecclesia approbat, ut patet ex cap. *Significatum*, de *Præbendis*. Præterea quia cantores in Ecclesia locant operas suas. Confirmatur: Nam calix licet sit consecratus, potest vendi ratione temporalis, quod est in illo: ergo celebrandi aut orandi labor, licet habeat annexam spiritualitatem, potest locari.

In contrarium est, quia si tales operæ vendi possent, cum omnia Ecclesiastica constent ex operibus, sequitur quòd omnia Ecclesiastica essent venalia, & sic poterit vendi administratio Sacramentorum, sicut & calix. Præterea si ministro debetur temporale ratione laboris & operum: ergo non debetur stipendium sustentationis

ratione administrationis spiritualium, seu ratione ipsius spiritualis quod ministrat: esset enim irrationale, si acciperet duplicem mercedem: & esset simile, sicut si sutor velit pro calceo pretium & aliam mercedem pro opera conficiendi calceum. Præterea est contra definitionem simoniæ, qua dicitur, quòd est emere, aut vendere spirituale, aut spirituali annexum: sed istæ operæ sunt annexæ spiritualibus: ergo vendere illas est simoniacum. Nam si unum vendas, & alterum intelligeris vendidisse.

De hac quæstione sunt variæ sententiæ Doctorum. Et de parte quidem affirmativa: scilicet, quòd licet locare operas, & recipere aliquid pro labore, vide Alti-fiodor. 3. p. q. penult. & de Eleemosyn. & Bonavent. 4. d. 25. q. ult. & Richar. eadem d. q. 2. ubi dicit, quòd Episcopus recipiens salarium juxta cap. *Cum sit Romana*; recipit intuitu laboris, & consequenter dicit, quòd Clerici dicentes Psalterium pro mortuis, non peccant recipiendo pecuniam pro suo labore, licet q. 3. excipiat labores in administratione Sacramentorum. Eiusdem sententiæ videtur Armach. lib. 10. ubi dicit, quòd pro laboribus licet recipere pecuniam. Idem tenet Glossa in cap. *Significatum*, de *Præbendis*. Et Panorm. eodem cap. ubi reprobatur Innocent. & Hostiens. qui contradicunt. Et probant ex cap. final. 2. q. 2. & Ex Concilio Agathensi, ubi dicitur, Clerici stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui merita, à secularibus consequantur. Eandem videtur tenuisse Hostiens. in Summa post Gofredum, tit. *de Simonia*, §. *Qualiter committatur*. Hoc tenet Adrian. quotlib. 9. idemque habet expressè Major 4. d. 25. q. 6. ubi inter modos legitimos recipiendi aliquid temporale pro spiritualibus, ponit duos. Unus est pro sustentatione, & alius pro labore celebrandi. Sed his non obstantibus sit conclusio.

20 Non * plus licet locare operas in administratione spiritualium, quàm ipsa spiritualia, neque licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quam pro ipso spirituali. Hæc est sententia Durand. sententia 4. d. 25. q. 1. & Palud. q. ult. & Cajet. 2. 2. q. 100. & in Summa, & Sylvest. verb. *Simonia*, §. 9. & citat Gloss. cap. ult. Extr. Ne

Prelatus vices suas, & cap. finali *de Pœtis*. Ex quo habetur, quòd ubi cessare debet conventio, non licet locare operas. Idem tenet Aliacus tract. *de Simonia* contra Cancellarium Parisiensem, & dicit, nullum antiquorum oppositum tenuisse. Est etiam expressa sententia S. Thom. 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. in corpore, ubi circa actus spirituales distinguit. Aliqui enim sunt actus spirituales ex principio, quia scilicet procedunt à potestate spirituali: sicut celebrare & administrare Sacramenta. Alii sunt spirituales solum ex parte finis: sicut docere, quod terminatur ad scientiam, vel veritatem spirituales. Et dicit, quod in secundo genere operum licet locare operas, non autem in primo: sed solum licet accipere aliquid in sustentationem: & idem ad literam ponit quotlib. 3. q. 6. & eadem videtur sententia ejus 2. 2. q. 100. ubi nunquam ponit alium titulum recipiendi aliquid temporale pro spirituali, nisi ratione sustentationis.

Probaturs conclusio: Quia talis labor, & operæ sunt spirituales, & nullo modo temporales: sicut sanare infirmum, mundare leprosum ex sua natura sunt temporalia, tamen si procedant ex gratia spirituali, spiritualia reputantur in materia simoniæ, & ideo non possunt vendi, ut patet Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Et dixerat: *Infirmos curate*. Præterea talis, qui locat operas, non gratis administrat: ergo est simoniacus. Probaturs antecedens: Quia cùm administratio non fiat nisi per illas, imò revera non est aliud administratio spiritualis, quàm ipsæ eadem operæ: ergo non gratis datur administratio. Confirmatur: Pictor non diceretur gratis dare imaginem, si ita exigeret pretium operarum suarum. Et profectò similis videtur Sycophantia dicere, quòd gratis qui celebrat Missam, sed exigit pretium operæ & laborum: sicut si artifex dicat se gratis dare opus, exigeret tamen laboris pretium. Præterea, minister tenetur gratis dare quantum poterit spiritualia, sed recipiens sustentationem posset non recipere pretium laboris: ergo si exigat non dat gratis. Hoc enim est gratis dare, nihil recipere, sine quo posset ministrare, aliàs facit contra præceptum Domini dicentes: *Gratis date*.

Præterea arguit Cajet. Quia minister spiritualis est de-
le-

legatus à Christo, neque licet ei plus accipere, quàm illi à Christo constitutum est: sed dominus primò dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Et postea, ut Paulus refert, ordinavit, ut qui Evangelio serviunt, de Evangelio vivant: ergo nullo alio titulo licet accipere aliquid temporale, nisi ratione sustentationis. Præterea ratione spiritualis administrationis nullo alio habito respectu ad laborem debetur ei illud pretium: ergo pro uno opere debetur ei duplex merces, quod est omnino iniquum. Præterea si aliquid temporale est annexum spirituali, si illud temporale vendatur, debet æstimari quod ex se est, nullo habitu respectu ad spirituale, ut patet de calice. Sed labor & operæ in administratione spiritualium nullius pretii & æstimationis sunt per se, neque aliquis daret aliquid pro illis nisi ratione spiritualis adjuncti: ergo ratione illorum nihil potest exigi.

Cajet. ponit regulam quòd res composita ex spirituali & temporali, si temporale sit principale, vendi potest sine scrupulo, ut patet de calice, & de patrimonio, cui est annexum jus patronatus. Sed si è contrario spirituale sit principale, res illa non potest vendi, etiam ratione temporalis in ea contenti. Et quia in administratione rerum spiritualium principale non est labor, ideo operæ non possunt vendi. Et ita communiter dicunt Summistæ.

Sed nescio si aliquid est temporale conjunctum cum spirituali, quare vendi non potest, siue sit magis, siue minus principale, neque de hoc datur aliqua ratio, saltem stando in jure divino: quia cum sit temporale, non est prohibitum vendi jure divino.

Et ideo melius videtur, ut dictum est, quòd illæ operæ, & labores non sint temporales, neque magis, neque minus principaliter, sed puræ spirituales ut in proposito loquimur: Et per hoc patet solutio ad primum argumentum.

*Resp. ad
Arg. 1.*

Ad secundum respondet Cajetanus, quòd licet ita sit, ut dictum est, quòd non liceat locare operas necessarias in administratione spiritualium, tamen ratione circumstantiarum & accidentium quæ concomitantur ipsam administrationem, licet aliquid accipere, & pacisci de

illo, & sic Presbyteri possunt pacisci de pensione. Nam illic est vinculum & obligatio libertatis, & alia gravamina, ad quæ non tenentur, & ratione illorum possunt facere pactum. Et sic intelligitur cap. *Significatum*. Hoc est, probabiliter & rationabiliter dictum, sed non caret calumnia. Si enim hoc est verum, semper potest minister locare seipsum cum obligatione audiendi confessiones, aut prædicandi etiam ad unum diem, aut plures, quia etiam est vinculum & ademptio libertatis ad quæ non tenetur: At de hoc dicam inferius.

Ad tertium argumentum patet etiam ex dictis: à cantoribus enim in Ecclesia non quæritur aliquid spirituale, sed potius temporale, quod est musica illa, & amœnitas vocum, sicut ab organista, & ideo illis licet locare operas suas. Quod etiam patet, quia nihil refert, an illi sint Clerici, necne. Unde constat, quod non venditur spirituale, neque emitur. Panorm. in cap. *Suam, de Simonia*, recedit à prima opinione, quam tenuerat in cap. *Significatum*, & reprehendit dominum Andream, qui dicit, quod non licet accipere aliquid pro spiritualibus, bene tamen pro labore.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA

R E L E C T I O

D E A R T E M A G I C A .

Locus relegendus est: *Non declinetis ad Magos, nec ab artolis aliquid sciscitemini. Levit. 19.*

S U M M A .

1. *Magia ars an omnino sit, hoc est, an inter mortales sit ars, vel facultas aliqua ad videndum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de Magis scribuntur, & circumferuntur.*

2. *Ma-*

illo, & sic Presbyteri possunt pacisci de pensione. Nam illic est vinculum & obligatio libertatis, & alia gravamina, ad quæ non tenentur, & ratione illorum possunt facere pactum. Et sic intelligitur cap. *Significatum*. Hoc est, probabiliter & rationabiliter dictum, sed non caret calumnia. Si enim hoc est verum, semper potest minister locare seipsum cum obligatione audiendi confessiones, aut prædicandi etiam ad unum diem, aut plures, quia etiam est vinculum & ademptio libertatis ad quæ non tenetur: At de hoc dicam inferius.

Ad tertium argumentum patet etiam ex dictis: à cantoribus enim in Ecclesia non quæritur aliquid spirituale, sed potius temporale, quod est musica illa, & amœnitas vocum, sicut ab organista, & ideo illis licet locare operas suas. Quod etiam patet, quia nihil refert, an illi sint Clerici, necne. Unde constat, quod non venditur spirituale, neque emitur. Panorm. in cap. *Suam, de Simonia*, recedit à prima opinione, quam tenuerat in cap. *Significatum*, & reprehendit dominum Andream, qui dicit, quod non licet accipere aliquid pro spiritualibus, bene tamen pro labore.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA

R E L E C T I O

D E A R T E M A G I C A .

Locus relegendus est: *Non declinetis ad Magos, nec ab artolis aliquid sciscitemini. Levit. 19.*

S U M M A .

1. *Magia ars an omnino sit, hoc est, an inter mortales sit ars, vel facultas aliqua ad videndum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de Magis scribuntur, & circunferuntur.*

2. *Ma-*

2. *Magi corum opera, & mirabilia qua referuntur, eorum plurima sunt falsa, conficta, & ex hominum vanitate credita.*
3. *Magorum opera non omnia sunt vana & conficta.*
4. *Magica ars, licet sit alicujus efficacia, an tota ejus vis versetur circa illusionem sensuum, & imaginationis ita quod ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint entia vera, & naturalia, qua à Magicis fiunt, sed solum prestigium, & illusio oculorum.*
5. *Magorum facta licet nonnulla fiant solum per illusionem, & prestigias sensuum, tamen quadam in re, & secundum existentiam fiunt.*
6. *Magorum mirabilia opera, an sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantiis separatis.*
7. *Magia aliqua, dici potest naturalis, & sine commercio alicujus substantia spiritualis.*
8. *Magia studiosi qui fuerint, recensetur.*
9. *Magica ars alia, præter naturalem, qua non viribus & causis naturalibus constet, sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata nititur, non est dubium quin reperiat.*
10. *Demon malus, an sit operum Magicorum author, vel an referenda sint potius in bonos Angelos, vel in ipsum Deum omnipotentem. Et an omnino sint demones.*
11. *Damones esse, etiam stando in recta, & legitima Philosophia, nullo modo est negandum.*
12. *Opera eadem, vel similia, fiunt per Artes Magicas, & per gratias gratis datas.*
13. *Opera aliqua fiunt à Magis, qua nullo modo fiunt per gratias, & è contrariò.*
14. *Magi, nihil operantur, aut potestate divina, aut angelica.*
15. *Magi, in suis operationibus nonnunquam utuntur facultate solum naturali.*
16. *Magorum operationes supra facultatem naturalem, malorum demonum potestate, & virtute fiunt.*
17. *Anima defunctorum, maxime qua sunt è numero damnatorum, an se misceant artibus & operibus Magicis.*
18. *Magi, an possint miracula facere.*

19. Magi, non possint miracula facere.
20. Magi, an possint cogere demones pro suo arbitrio.
21. Demones cogi possunt aliquando, & coguntur ab hominibus.
22. Demones ab Angelis cogi possunt, & aliquando coguntur.
23. Demones an virtute divina coerceantur, aut Angelica multum refert, quibus verbis, aut signis homines utantur.
24. Verba nulla, nec exorcismi habent efficaciam infallibilem ad cogendum demones, & arcendum illos, ita ut semper sortiantur effectum suum.
25. Magi aliquando possunt cogere demones.
26. Magi quomodo possint demones cogere.
27. Magi, quomodo habentes fœdus cum aliquo demone principali, possunt cogere inferiores demones, non autem ipsum principalem demonem. Et quid si non habeant tale fœdus.
28. Magorum tota opera, & efficacia in quo fundetur.
29. Demones superiores, an habeant aliquam potestatem in inferiores.
30. Demones superiores possunt cogere inferiores.
31. Damon superior, an & quomodo possit inferiorem demonem tenere alligatum annulo, aut imagini.
32. Magi, an virtute demonum possit corpora localiter transmutare, hoc est, per multa terrarum spatia summa (ut ferunt) celeritate.
33. Demones, & Magi virtute demonum possunt movere, & transferre corpora de loco ad locum.
34. Magi an possint pro suo arbitrio immutare corpora: alterando secundum qualitates, immittendo morbos & contra sanitatem prestando.
35. Demones, & Magi, virtute demonis non possunt immediate imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquam formam: ut calorem, frigus, morbum, aut sanitatem.
36. Magi virtute demonum possunt mirabiliter transmutare materiam, & naturas corporales, applicando semina rerum, & activa passivis.

Quoniam in principio secundi Sentent. quem circa finem hujus anni interpretamur, agitur de natura,

ra, & potestate Angelorum tam bonorum, quàm malorum, & potestas malorum Angelorum inter mortales plurimum, ut opinio est, exercetur per Magos, ideo constitui hanc relectionem de Magica habere.

Et tota disputatio habebit duas partes. In prima tractabitur de potestate, & facultate Magica. In secunda de licentia & iniquitate Magicæ Artis, hoc est, quatenus, & quantum liceat, aut non uti Magicis Artibus.

Et ut scholastico ordine ex more procedamus, prima quæstio sit: An * omnino sit Magica. Hoc est, an sit inter mortales ars, vel facultas aliqua ad edendum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de Magis scribuntur, & circumferuntur: an prorsus omnia illa sint vana, & conficta ab impostoribus, & maleficis, & falso credita à vulgi levitatè, & vanitate, ut quidam putant.

Et videtur quod omnia illa sint vana & fabulosa. Primo, quia si fidem habere volumus iis, quæ de magis referuntur, eadem opera credemus ea quæ de *Circe*, & *Medea*, & aliis famosissimis Magis prodita sunt, ut quod non solum Poetæ, sed & *Varro* narrat socios *Diomedis* in aves conversos, quæ longo tempore post circa templum *Diomedis* volabant quod socios *Ulysis* *Circe* mutavit in bestias, & quod *Arcades* quodam stagno trajecto convertebantur in lupos. Et quod alii de *Medea* scribunt, Jasonem socerum à senectute in juventutem revocasse, & junctis draconibus per aera volasse. Credemus item mensam Solis, quam, teste Hieronymo, *Apollo* nius ut videret, venit in *Æthiopiam*, in qua epulæ singulis diebus ponebantur sine humana ope, & multa his similia. Quod si hæc pro fabulis habemus, non est quare credamus, & recipiamus alia, quæ de Magicis traduntur, istis nihilo probabiliora, neque minus absurda. Quæ enim major ratio est, ut credamus opera *Zoroastris*, & aliorum, quam *Circes*, aut *Medeæ*? Nec satis est allegare auctoritatem famæ aut antiquitatis. Multa enim similia multis seculis credita & celebrata sunt, quæ tamen à viris sapientissimis pro vanis & falsis habentur: Ut de *Phœnice* nominatim dicit *Herodotus*, de qua pulchrum miraculum celebratur, scilicet, nunquam eam quenquam

Arg. 1. præ parte negat.

mortalium vidisse, nisi in pictura. Et confirmatur: Nam si ex miraculis, quæ vulgo narrantur, perquam pauca ad veritatem reducuntur: multo Magis credibile est omnia, quæ de Magicis jactantur, ludibria esse, & prorsus conficta. Nec ego in quenquam hominem fidedignum incidi, qui aliquid Magicum se vidisse aut pro comperto habere affirmaret.

Arg. 2.

Secundò: Nam non minor fama & opinio obtinuit de Arte Alchymistica, quæ montes aureos profiteretur, & promittit, de cujus tamen vanitate, & irritu conatu, nemo est ita bardus, qui dubitet. Unde non major fides videtur habenda Magis, quàm Alchymistis, qui spondent quas non præstant divitias, ut ait Joan. 2. 2. in Extravag. spondent.

Arg. 3.

Tertiò: Magi promittunt divinationem futurorum, quàm tamen neque habere, neque præstare possunt, ut certum est, & statim disputabitur: aliàs essent dii. Esa. 41. *Annuntiate nobis quæ ventura sunt in futurum, & dicemus quia dii estis vos.* Ergo pari ratione credendum est, Magos alia polliceri, quæ implere non possunt.

Ad hanc quæstionem non desunt viri docti, qui totam Magicam non tanquam superstitiosam, sed tanquam falsam, & vanam atque impostricem condemnent, & nullius usus, aut efficaciæ affirmant, inter quos est Plinius multis locis. Sed peculiariter lib. 3. cap. 1. & profectò magno argumento. Multi enim viri, & magni, & potentes cum Magicis studiis operam summo studio dedissent, nihil tamen facultatis, aut efficaciæ suprâ alios homines consequuti sunt. Inter quos fuit Princeps Nero, qui huic Arti validissimè favit & incubuit, cui non opes defuerunt, non vires, non discendi ingenium, ad quem Mithridates Armeniorum Rex venerat, & Magos secum adduxerat, & Magicis etiam technis, & ceremoniis initiaverat: & tamen cum Regnum ei Nero daret, hanc ab eo recipere Artem non valuit, proinde tandem tanquam vanam, irritam, & instabilem reliquit. Idem de Juliano apostata legitur. Neque est credibile homines minoris facultatis & fortunæ consequutos quod tanti veri tenere non potuerunt. Si enim Magicæ opes & vires naturales sunt, nihil afferri potest probabile, quare Nero, & Julia-

nus non sunt adepti facultatem, quam tantoperè affectabant, & nullo pretio non redemissent. Si autem Magi dæmonum virtute & potestate abutuntur, nescio cur dæmones humani generis hostes operam suam præstare noluerint summis Religionis hostibus, per quos nocere tantum poterant, quam postremis hostibus tam facile præbere dicuntur.

2 Sed quia ista sententia nec nihil, nec totum dicit, fit prima propositio: Eorum * quæ de operibus Magicis, & mirabilibus referuntur, longe plurima sunt falsa, & conficta, & ex vanitate hominum credita. Probatum primò: Quia paucissima ex omnium hominum memoria referuntur, aut producuntur in historia à fidedignis, ut videre est apud nobilissimos historicorum: Diodorum, Herodotum, Pompejum, Livium, Plutarchum, Valerium, qui sine dubio, si quid de huiusmodi admirabilibus pro comperto habuissent, in historia referre non neglexissent. Et secundo item mirum est, cum ex omnibus Artibus semper perseveret aliquod opus, ut statuarum, & imagines à nobilibus pictoribus, & sculptoribus, ab architectis nobilibus insignia ædificia, Magicæ verò Artis nulla imago, nullus annulus, nullum pignus, aut vestigium habetur ex tanta multitudine imaginum, statuarum, & annulorum, quos illi quotidie fabricare dicuntur. Promittunt quidem Magi miracula, & portenta, sed parturiunt montes, & nascitur ridiculus mus.

3 Secunda propositio: Non * omnia Magorum opera sunt vana & conficta. Ista conclusio manifestè probatur authoritate Scripturæ, ut patet de Magis Pharaonis, qui virgas suas converterunt in dracones, Exod. 7. & de magia, quæ suscitavit Samuelem, 1. Reg. 28. Item secundo, interdicitur Magia jure divino, ut patet in themate relectionis. Et Levit. 20. indicitur pœna mortis, si quis ad Magos & Ariolos declinaverit. Et in jure civili est capitale, ut patet in C. de Maleficis, l. Nemo, l. Nullus, l. Culpa. Item in jure Canonico 26. q. 5. per totum. Non autem ita severè interdiceretur, si ars esse solum otiosa, & vana, & non esset efficax & perniciosa. Item Psalm. 57. *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Ex quo patet, quod incantatio habet aliquam efficaciam.

Resp. ad
quest.

Item Matth. 24. *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetae, & dabunt signa, & prodigia*, neque alia gratia, aut Arte, nisi Magica: ergo. Et ut non devocemus, & recipiamus sine delectu omnem historiam, & totum vulgi rumorem, tamen intemperantis, & impudentis esset pernegare nonnulla Magiæ opera mirabilia, quæ viri graves literis mandaverunt, ut Cicero cum aliis locis, tum lib. *de Divinatione*: quædam etiam & Livius, & Valerius, & alij nobiles Authores, & ut Arist. ait, quod famam obtinuit non est omnino falsum. Et Porphyrius dicit ita notum esse Magorum artificium, & supra mortalium conditionem opera quædam fieri, ut probatione non indigeat. Et ut omnia cessarent, satis est, quod de mulieribus nostris quotidie pro certo invenitur *de las Bruxas*. Argumenta etiam in contrarium persuadent primam propositionem.

Sed ad illud de Diomedis & Ulysis sociis respondet August. 18. *de Civit. Dei*, transformationes illas, de quibus Varro loquitur, non esse secundum veritatem, sed secundum apparentiam per aliquod præstigium, phantasia hominis per aliquam speciem mutata, ut etiam dicit S. Thom. *de Potentia*, q. 6. art. 5. ad 6.

Sed ex hac solutione oritur secunda quæstio: An * 4
tota ejus vis versetur circa illusionem sensuum, & imaginationis: ita quod ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint vera, & naturalia, quæ à Magicis fiunt, sed solum sit præstigium, & illusio oculorum, & sensuum, sicut August. dicit de Diomedis, & Ulysis sociis.

Arg. pro parte
negl. 1.

Et videtur quod omnia Magorum opera sint hujusmodi. Nam & de opere Magorum, qui serpentes fecerunt, est opinio in Gloss. Rabani, Exod. 7. quod non fuerit vera conversio virgarum in serpentes, sed solum per aliquam præstigiosam illusionem. Et idem August. ad simplicianum ponit tanquam probabile de illa suscitatione Samuelis, quod non fuerit vera, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta: ergo idem potest existimari de aliis omnibus Magorum operibus, si de his, quæ in Scriptura habentur ita putatur, & creditur.

Item secundo arguitur vehementer ex cap. *Episcopi* 26. q. 5. ubi refertur, quod quædam mulieris sceleratæ dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ credunt

se cum Diana nocturnis horis, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias. Et sequitur: Quòd Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare debent, quod noverit hæc omnia falsa esse, & non à divino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Ex quo loco videtur determinatum, quod ea, quæ fiunt à maleficis, non sunt vera, & realia opera, sed tantum phantastica, & præstigiola. Si enim ea, quæ faciunt, aut patiuntur maleficæ mulieres istæ, quas nostri Bruxas: Latini lamias, seu striges appellant, omnia sunt phantastica, & per illusionem sensuum, nihil est, quare non idem reputemus de aliis Magorum operibus.

Item tertio: Idem videtur ex historia. Refert enim Cælius Rhodogin. Pasetem quendam inter Magicæ vanitatis sectatores prima nocte consuevisse refertissimum repente convivium hominibus discubituris præmonstrare, mox ubi collibitum fuisset, evanuisse omnia ita ut nihil omnino viseretur. Et simile quiddam vulgò fertur de illo Inacho Marchione Santillanæ. Nec dubium est, quin epulæ illæ, & apparatus veri non essent, sed tantum oculorum præstigia, & illusiones. Item confirmatur ex eo, quod vulgò dicunt: *Bienes del trasgo*. Nunquam enim verum thesaurum præstat, sed tantisper sub specie auri relinquit carbones. Confirmatur secundo ex ipso nomine Magorum: vocantur enim omnes præstigiatores.

Arg. 3.

Ad hanc quæstionem sit prima propositio & unica.
5 Eorum * quæ à Magis fiunt, licet nonnulla fiant solum per illusionem & præstigia sensuum, quædam tamen in re, & secundum existentiam fiunt.

Resp. ad
quæst.

Prima pars probata est sufficienter.

Secunda autem probatur: Primo autoritate August. 3. *de Trin.* cap. 7. & 8. & in lib. 83. Quæstionum, q. 79. ubi expressè asserit, Magos Pharaonis verè convertisse virgas in serpentes. Quòd probatur ex hoc, quia scriptura eodem vocabulo appellat virgam Magorum, & virgam Aaron, quam constat, vere esse conversam in serpentem. Et satis videtur constare ex historia, quæ postquam narravit quòd Aaron convertit virgam in serpentem, subjicit, quòd malefici fecerunt similiter, projeceruntque

linguli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Et ita tenuit S. Thom. *de Potentia*, q.6. art.5. ad 8. licet Rauclinus de verb. *Mirifico*, contrarium sentiat. Et expressè Origenes super Marcum, hom.13. tenuit cum Beato Augustino. Item videtur probari ex illo etiam Psalm.57. *Sicut aspidis surdæ*, &c. Ex quo loco videtur, quòd incantatores verè faciunt serpentes, & habent effectum circa illas.

Item probat S. Thom. *de Potentia*, q.6. art.10. quòd aliquando in incantationibus audiuntur voces Magorum ab omnibus circumstantibus, quòd fieri non posset per præstigium, & solùm immutationem imaginationis, quia talis immutatio (ut ait S. Thom. lib.3. *contra Gent.* c.104. & verum est) non fit integris & solutis sensibus exterioribus, sed in dormientibus, vel qui raptum & ecstasin patiuntur, ut experientia docet. Unde cum ea, quæ à Magis fiunt, videantur nonnunquam, & audiantur solutis sensibus exterioribus, signum est, quòd verè fiunt, & non solùm secundum apparentiam. Et confirmatur, quia Peripatetici negantes aliquid fieri à Magis quòd excedat facultatem causarum naturalium, ut infra dicemus, non audent negare hujusmodi mirabilia verè fieri à Magis: quòd tamen multum intererat ad opinionem suam tuendam: sed convicti sunt historia, & experientia rerum.

Argumenta autem facta in contrarium de sociis Ulyssis, & de suscitatione Samuelis, &c. dicemus inferius, & ubi videbitis quid de illis habeatur.

Tertia quæstio, quæ sequitur superiorem, est: An * 6 mirabilia opere Magorum sint omnia opera naturalia, hoc est ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantiis separatis.

Et videtur quòd possint omnia esse naturalia. Nam primum omnium non est sufficiens argumentum, quòd non sint naturalia, quia sunt in consueta, & præter solitum cursum naturæ. Ut si quis revera per Alchimix Artem verum auram faceret, certè aliquid insolitum faceret & fortassè hactenus infectum: nullus tamen negaret opus esse naturæ. Unde videtur rudis, & imperiti ingenii statim damnare opus insolitum, quantumvis mirabile, & referre in dæmonum potestatem.

Arg. 2.

Item secundo Magi operantur adhibitis certis rebus

naturalibus & materialibus. Item sub certo situ & constellatione astrorum fabricantur isti suas imagines, & annulos, non ex quavis, sed ex certa materia, & observatis punctis, & motibus astrorum, quæ omnia frustra fierent, & adhiberentur, si effectus expectarentur à virtute substantiæ separatae, & non à causis naturalibus: ergo videtur dicendum, quòd opera Magorum sunt naturalia.

Ad hanc quæstionem. Hermes Trismegistus, ut refert August. 8. *de Civitate Dei*, contendit, quòd omnia opera Magorum fiant virtute naturali, & maximè virtute cælesti, nec oportet ex operibus sumi argumentum substantiæ separatae. Et eadem est communis sententia Peripateticorum. Unde Alexander in lib. *de Magis* hanc opinionem multis verbis defendit, & confirmat.

Ad cujus probationem duo fundamenta præmittit: Alterum quòd virtus cælestis, licet non formaliter, sed virtualiter & eminenter virtus est omnium elementorum & mistorum, & habet efficaciam omnium illorum. Alterum, quòd multa possunt fieri concursu multarum causarum naturalium, quæ ab una tantum fieri non possunt, ut manifestè constat. Ex quibus fundamentis infert, quòd nihil obstat, quominus credamus, quòd in imagine, vel statua, vel annulo astrologico fabricatis, & compositis ad certam influentiam, & positionem stellarum sit virtus, & efficacia ad aliquos effectus, ad quos oportet concurrere multitudinem causarum inferiorum. Et similiter quòd adhibitis certis, & paucis seminibus, & causis naturalibus sub certo situ, & concursu stellarum, & astrorum, sequatur subito opus, quòd aliàs exigeret grande temporis spatium, & concursum plurium causarum inferiorum. Ut exempli gratia. Si Magus usus imagine vel annulo converteret subito argentum in aurum, aut ex virga faceret serpentem, ut Magi Pharaonis fecerunt, non est quare negemus opus prorsus esse naturale. Si enim aliquæ causæ naturales convertere possunt quamvis materiam in aurum aut serpentem, certè nihil inopinabile est, quòd influentia cælestis opportunè adhibita, suppleat vicem omnium aliarum causarum. Imò inquit Alexan. mirum Magis esset, si substantia separata posset tales effectus influere, cum nullam habeat proportionem ad tales effectus, non plusquam ignis ad producendum aquam.

Addunt Peripatetici, & fautores eorum, historias in confirmationem suæ sententiæ. Unde Damis, referente Cælio, scribit Jarcham Indorum Principem annulos septem compegisse, ac septem stellarum nominibus præsignasse, quibus mirifica opera ederet, quos etiam Apollonius Tianeus dono ab eo accepit, quorum beneficio contigisse, Apollonium inventæ nitorem protulisse, & conservasse, quamvis annum centesimum jam excessisset, cum diebus singulis singulos annulos gestaret secundum dierum & planetarum nomina.

Tertiò, neque putant prorsus absurdum Gygis anulum illum Platonis credere, cujus & Cicero in officiis & Gregorius Naziancenus in Monodia, naturalem meminit fuisse, & Magorum artificii egregium opus: Quem cum Gyges gestaret, quando videri volebat, palam intra digitum vertebat. Qua ratione cum in Lydorum Regiam penetrasset, Regem cepit, seque Regem constituit.

Quartò: Ad hujus fidem opinionis etiam facit, quod Philosophi non rejiciunt imagines quas vocant astronomicas, quas adhibent etiam in curatione morborum, inter quos unus fuit Marsilius Ficinus, qui inter medicamenta naturalia imagines ponit astronomicas, ut videmus vulgò annulos ferreos gestari ad certam stellarum positionem fabricatos, quos putant certis ægritudinibus mederi. Wicleff, etiam *de Statu Innocentiæ*, c. 4. ut refert Waldensis, lib. *de Sacramentalibus* dicit, quòd Adam habuit notitiam ad nominandum secundum proprietates naturales naturas sibi subditas, sub quibus nominibus homini naturaliter obedirent, & huic reservantur reliquiæ potestatis innocentie in vocibus exorcistæ, & naturaliter incantantis, & ad hoc credo voces (inquit) Hebræas habere majorem efficaciam.

*Resp. ad
quest.*

Sed pro determinatione quæstionis sit prima propositio: Aliqua Magia * potest dici naturalis, & sine co- 7
mercio, & concursu alicujus substantiæ spiritualis. Pro probatione conclusionis, & ejus declaratione est notandum, quòd nomen Magiæ de se non importat artem, aut facultatem extra vel supra omnem virtutem & efficaciam causarum naturalium. Hoc patet, quia si hoc esset de ratione vel significatione Magiæ, non relinqueretur locus du-

dubio, aut disputationi, an effectus & opera Magorum possint esse à solis causis naturalibus, quæ tamen quæstio fuit multum ac diu jactata inter Philosophos, & adhuc sub judice lis est. Sed videtur nomen Magiæ à principio receptum pro Arte & facultate, ad efficiendum & patrandum opera occulta & mirabilia, non solum extra solitum rerum cursum, sed supra hominum opinionem, & captum.

2 Hoc supposito, probatur conclusio primò. Nam sine dubio sunt in rebus naturalibus virtutes mirabiles, & quas, pauci homines cognoscere possunt, cum nec sensu possint comprehendi, nec aliqua ratione investigari. Ars ergo, & facultas hujusmodi rerum & virtutum merito magia dici potest, quia est effectrix, & operatrix hujusmodi operum, & effectuum, quorum ratio comprehendendi, aut intelligi mente non possit. Unde si magnetis usus vulgo ignotus esset, & aliquis recens primum ostenderet, Magus vulgo putaretur, & haberetur: esset enim admirabilis, & incredibilis operis author, & effector. Unde August. 21. *de Civit. cap. 4.* tanquam pro miraculis refert se vidisse anulum ferreum à magnete pendentem, qui rursus secundum anulum traxit, & ille rursus secundus tertium, & sic usque ad certum numerum, ut velut catena texeretur. Et idem aliud mirabile scribit se accepisse à Coepiscopo Severo, verti scilicet virgam ferream super argentum concitatissimo cursu, cum aliquis magnetem infra moveret, quod opus nunc jam nemo miraretur, cum jam vulgata sit magnetis virtus, & efficacia. Sed illud mirabilius, quod idem asserit magnetem non rapere ferrum, si juxta eum adamas ponatur, & si rapuerit, dimittere. Itaque non videtur Magia naturalis esse, nisi quædam pars secretioris, & reconditioris Philosophiæ, quæ si notior fiat, & in consuetudinem venire incipiat, non solum Philosophorum, sed etiam vulgi, desinet videri, & vocari Magia, sed cum aliis artibus annumerabitur. Idem dici potest de Arte Alchimie, quæ si ars est (quod ego non credo) Magia dici potest, cum sit secretum & mysterium doctissimis, & peritissimis Philosophorum ignotum.

Probatur secunda conclusio: Quia non est dubitandum

dum (in quo Alexander rectè sentit) quod aliquid insigne, & singulare, & præter consuetum ordinem naturæ, seu rerum contingere possit, ad certum firum, & ordinem astrorum adhibitis paucis rebus naturalibus, quale opus etiam nullis causis inferioribus confici possit. Qui ergo hujusmodi artem & facultatem haberet, siue à majoribus traditam, siue experimentis, & casu reperi- tam, siue etiam à substantia separata revelatam, merito Magus dici posset. Item * summi Philosophi fuerunt 8
Magiæ studiosi, ut Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato, & inter nostros Albertus.

Tertio confirmatur, quia in nonnullis rebus naturalibus inveniuntur mirabiles effectus, & prorsus similes Magicis operibus, ut est illud, quod Arist. refert, lib. de Mirabilibus de Lapide molari, qui in Tygride reperitur, quem qui portaverit, non violabitur à feris. Item herbam charisiam reperiri in monte Egero, quam si mulier portaverit, homines ad sui amorem pelliciet. Et item illud quod de dictamo herba certissimi Authores tradunt, capras in Creta cum eam ederint, sagittas excutere. Et alia non pauca hujusmodi, quæ non à Magis, sed à doctissimis Philosophorum monumentis prodita sunt. Non ergo ut statim aliquid ignotum & stupendum videmus, continuo pro superstitioso damnandum est. Item quod omnes asserunt de herba pici, Hispanè, *el pito*, quæ feras etiam ferreas aperit. Item illud videri possit Magicum, quod Plinius lib. 7. scribit, hominis jejuni salivam perniciosam esse serpentibus. Item quis non diceret Magicum esse quod idem August. ubi suprà, cap. 5. inquit, in Epiro esse fontem, in quo faces ardentes extinguuntur, & extinctæ accenduntur? Non ergo statim ut aliquid ignotum videmus, & stupendum, reclamandum est continuo, & pro superstitioso damnandum, ut jam videmus.

Secunda propositio: Præter * hanc Magicam naturalem non est dubitandum, quin sit alia ars Magia, quæ non viribus, & causis naturalibus constat, sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata nititur, & utitur. Hæc conclusio probatur à S. Thom. lib. 3. contra Gentes, cap. 104. Primo: Quia aliqui effectus Magicarum artium referuntur, & pro certo comperti sunt, qui non
pos-

possunt referri nisi in causam & naturam intellectualem: ergo non possunt universaliter omnes effectus Magicarum artium referri in causas naturales, & in corpora caelestia. Assumptum probatur, quia magi dant responsa de occultis, ut de furtis, & thesauris. Item aliqui per Magicas Artes consecuti sunt scientiam rerum, & artes liberales, & alia hujusmodi, quæ pro certò de Magis referuntur. Item aliquæ statuæ Magorum loquuntur comperiuntur, & respondisse ad quæsitæ de diversis. Hæc, & id genus alia, licet rara manifestum est nisi ab intellectu proficisci non posse.

Secundò argumentatur S. Thom. Vel statuæ Magorum sunt animatæ, vel non. Si primum, contrà: Nam principium vivendi est omnibus viventibus forma substantialis: vivere enim est esse viventibus, 2. de Anima: sed statuæ non recipiunt formam aliquam substantialem magico artificio, quia non amittunt formam substantialem, quam prius habebant. Manet enim aurum aurum, & argentum argentum: non ergo est possibile, quòd hujusmodi statuæ recipiant formam substantialem aliquam, quæ sit principium vitæ. Item non est vita sine sensu: statuæ autem Magicæ non sunt sensibiles. Primus enim sensuum est tactus, qui non invenitur nisi in organo temperato, qualis temperies non est in lapide, vel in metallo, ex quo fit statua: non ergo est possibile, quòd hujusmodi statuæ habeant principium vitæ. Si autem non vivunt, contrà: Quia inanimata non movent se, septimo Physicorum: sed Magi, ut fertur, faciunt statuas moveri nullo impellente: ergo oportet dicere, quòd illum motum habent ab aliquo motore extrinseco, & vivente, & non à virtute caelesti, vel aliqua virtute naturali.

Tertiò arguitur: Nam quæcunque fiunt virtute caelestium corporum, sunt formæ naturales rerum materialium: quod igitur nulli rei est naturale, non potest fieri virtute caelestium corporum: quædam autem talia fieri dicuntur à Magis, ut quòd ad præsentiam alicujus quæcunque feræ pandantur: item quòd aliquis fiat invisibilis, & alia hujusmodi: non ergo hæc referri possunt in virtutem caelestium, sed in aliquam potestatem separatam, & invisibilem.

Quartò: Quia effectum naturalem virtutis cælestis contingit inveniri sine artis operatione. Et si enim aliquando artificiosè operetur aliquis ad generationem ranarum, serpentium, aut hujusmodi: contingit tamen hæc fieri sine ullo artificio. Sed nonnulla profitentur Magi per Magicam Artem, quæ per aliam virtutem naturalem non inveniuntur: ergo oportet ut illa sint non à virtute cælesti, sed ab aliqua substantia separata. Et hæc est sententia omnium Platoniorum, ut Porphyrii, Jamblici, Plotini, & aliorum ex eadem secta.

Hoc ergo tanquam vero, & recepto pro certo, quòd Magorum opera tribuenda sunt substantiæ separatæ restat ut ponamus quartam quæstionem talem.

Quæst. 4.

An * author, & fautor Magicorum operum sit malus ¹⁰ dæmon, an referenda sint potius in bonos Angelos, vel in ipsum Deum omnipotentem. Et ante omnia oportet scire, an omnino sint dæmones. Nam quidam putant, quòd hominum vanitas & superstitio dæmones invenerit, aut fecerit, de qua re in vera Religione dubitari nullo modo potest: tota enim Scriptura veteris & novi Testamenti plena est testimoniis, ubi planè, & disertè dæmones esse asseruntur. Et ratione probatur Levit. enim 17. interdicitur immolari hostias dæmonibus. Et Deuter. 32. in Cantico Moyfi contra impietatem & ingratitude[m] populi dicitur, quòd immolaverunt dæmonis, & non Deo. Et 2. Paralip. 2. dicitur de Hieroboam, quòd constituit Sacerdotes excelsum, & dæmoniorum. Et apud Thobiam prolixior historia texitur de dæmonio illo nomine Asmodæo. Et in Psalmis David frequens est mentio de dæmonibus. Item Job 1. *Cum venissent filii Dei ante faciem domini, affuit etiam inter eos Satan.* Nec opus est aut plura ex veteri Testamento, aut aliquid ex novo in re apertissima citare. Unde & mirum videri potest, quomodo Sadducæi negaverint spiritum aliquem esse, ut legitur Actor. 23. qui certè legem recipiebant, nec à consortio templi, & sacrificorum excludebantur. Et Josephus, 2. lib. *de Bello Jud. & Antiquitatum* 13. & 18. dicit de Sadducæis, quòd legem (sine aliis tamen observationibus) custodiebant.

Sed quàm certum est in Scripturis dæmones esse, tam fuit olim dubitatum, & controversum inter Philosophos.

Peripatetici enim pro majori parte negant dæmones esse profus. Nec dubitatur, ut ait Averrois, in Epistola *de Resurrectione*, quin hæc fuerit sententia Arist. qui nullas novit substantias spirituales præter motores orbium. Quod etiam putavit se demonstrasse 12. *Metaphys.* & in lib. *de Cælo*. Et de arreptitiis, qui videntur à dæmonibus teneri, dicit vexari, ab humore melancholico in *Poblem.* p. 30. & Alexander quidem inter Peripateticos nulli secundo constanter tuetur hanc partem. Quæ opinio ante fuerat Democriti, de quo historia scribitur, quòd cum adolescentibus quidam personati in dæmonum habitu & figura ad Democritum noctu penetrassent, quasi hominem territuri, ille profus securus nullos dæmones esse: Desinite, inquit, desinite ineptire: ita certus erat nullos dæmones esse. Putant autem Peripatetici vulgi persuasionem & opinionem de dæmonibus inde obrepisse, quòd viri sapientes hæc terculamenta commenti fuerint, ut ait Averrois, ad arcendos, & terrendos improbos à sceleribus, quasi post hanc vitam mortalem supersint ultores malorum, quos dæmones vocant. Et nominatim Simplicius & ipse Peripateticus, lib. *de Anima* Pythagoram tradit hujus inventi & figmenti primum authorem. Ex qua sententia illa opinio orta est, quam supra recitavimus, quod omnia opera Magorum sunt naturalia.

Sed contra Aristot. & Peripateticos sit prima propositio
 ¶ I ad quæstionem principalem: Stando * etiam in recta & legitima Philosophia, nullo modo est negandum dæmones esse. Hæc conclusio, sententia fuit omnium antiquorum Philosophorum Empedoclis, Pythagoræ, Socratis, Platonis. Unde & Plato in *Politia tyranni*, dicit animas impiorum post mortem cruciari ab ultoribus. Et in *Symposio* dæmones apertè ponit. Quod idem facit Xenocrates in lib. *de Morte*. Nam de Socrate dubium non est, qui etiam dæmonem se habere profitebatur tanquam authorem, & velut præceptorem Philosophiæ, quam suggerere suis civibus curabat, & contendebat. Sequitur enim hanc opinionem tota turba Platoniorum. Herm. Mercurius in *Pimandio*. Proculus in *Alcibiade*. Jamblicus *de Mysteriis Egyptiorum*. Caladius in *Commento Timæi*. Porphyrius in lib. *de Occasionibus*. Plotinus in lib. *de Proprio cujusque*.

Apulejus, qui etiam de Socratis dæmone librum scripsit.

Nec in hac re Peripatetici omnes ausi sunt Arist. sequi, sed plures ab ejus sententia desciverunt. Unde & Porphyrius citat pro sua sententia magnum Teophrastum, in qua etiam fuit Ammonius Philoponus, Avicenna, & ejus locus Algazel. Imò ipse Arist. aliquando videtur non fuisse alienus ab hac opinione, qui in lib. de Mirabilibus dicit referente Apulejo, Lemures, & Lamias habitare in orbe tristi.

Pro hac opinione pauca vel nulla possunt fieri argumenta philosophica: sed cum etiam in contrarium nulla adducantur, talia sufficere deberent cum autoritate summorum Philosophorum fama publica & æterna. Nam & ipse Arist. mundi æternitatem probare nititur ex memoria patrum per manus tradita, & relicta. Et est sententia veridica, quòd nunquam aliquid ex opinione & persuasione communi probatur.

Secundò etiam probatur ex operibus Magorum, quæ, ut probatum est, necesse est referre in aliquam substantiam separatam, & ut statim probabitur, non possunt tribui nec Deo, nec bonis Angelis: ergo oportet ea assignare dæmonibus, & certè, ut omittamus autoritatem Religionis, & scripturarum, vehementer confirmatur hæc sententia ex eo, quòd barbari homines, nec persuasi, nec decepti à Philosophis, ut Peripatetici calumniantur, eandem retinent fidem, & opinionem, nec dubitant dæmones esse, quales sunt isti, qui ab Hispanis ante aliquot annos reperti sunt, inter quos publica fama est dæmones esse, & non rarò aliquibus in ea regione apparuisse.

Sed urgent Peripatetici, objicientes, quòd dæmones si sunt, nullum ordinem, nec locum naturalem videntur habere in orbe. Nec enim ordinantur ad res corporeas, & multo minus ad incorporeas, si quæ sunt: unde videntur frustra esse in rerum natura, atque adeò non esse.

Sed hoc argumentum fortasse satis probat, quòd dæmones non sunt per se in orbe, nec sunt partes seu pars physica mundi, sed per accidens, hoc est, ex malitia eorum ex substantiis cælestibus redacti sunt in substantias inferiores & infra cælestes, quos verbo Græco dæmonas appellant, quòd Peripatetici ignorantes, nihil mirum si

homines alioqui sapientes in hac parte lapsi sunt.

Ergo hoc fundamento firmiter jacto, redeundo ad quæstionem, dubitatur, an opera Magica referenda sint in Deum, vel in Angelum bonum, an in dæmones istos.

*Quæst. propo-
sita.*

Et videtur, quòd possint, & debeant referri in Deum. Primò, quia Magis nihil aliud tribuitur, nisi quod faciunt opera mirabilia, id est supra causas naturales, sed per gratias, quas Theologi vocant gratis datas, fiunt similes operationes, scilicet supra totam facultatem naturæ. Cum ergo gratiæ sint à Deo, nihil videtur ob stare, quominus Magi credantur habere facultatem illam à Deo.

*Arg. pro parte
affirm.*

Nec sufficit dicere, quòd gratiæ dantur ad effectus excedentes totam facultatem naturæ creatæ, etiam Angelorum, & dæmonum: Ex quo constat esse à Deo. Nam inter gratias annumeratur gratia linguarum, & sanitarum, ut patet 1. ad Corinth. 12. Sed utrunque non excedit potestatem Angelorum, & dæmonum, qui certè novērunt omnes linguas: ergo ex hoc non habetur differentia inter Magicas Artes, & gratias.

Nec iterum sufficit respondere, quòd Magi sunt nequam viri, & scelesti: contra autem habentes gratias, sunt viri boni & pii. Nam primo hæc distinctio est per accidens, & non est distinctio rerum sed subjectorum, ut S. Thom. dicit 2. 2. q. 172. art. 4. & q. 178. art. 2. Et præterea nihil prohibet, quin mali habeant gratias, ut videtur ex illo 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Unde videtur, quòd possit etiam esse gratia miraculorum sine charitate. Et Hieronymus super illud Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus?* dicit Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia ejicere, interdum non est ejus meriti, qui operatur. Imò August. lib. 83. q. affirmat quædam miracula sceleratos homines facere, quæ boni facere non possunt. Et Balaam habebat gratiam Prophetiæ, ut patet Num. 21. & 23. & 24. & tamen erat malus, & Magus, ut Gloss. dicit: Numer. 22. & Orig. homil. 13. super Num. ergo malitia & bonitas non potest esse differentia inter Magicas Artes, & gratias.

Nec iterum valet dicere, quòd Magi in malos fines

utun-

utuntur Magicis artibus, habentes autem gratias non abutuntur illis in malos fines. Nam iterum hæc differentia est extrinseca, & per accidens, nec inconvenit Magum uti sua facultate propter bonum finem, ut ad solvendum maleficium, aut sanitatem conferendam: Et si habentes gratias possunt esse mali, ut dictum est, poterunt abuti gratia omnino: ergo non apparet quare facultas Magica non possit referri in Deum authorem, sicut & gratiæ gratis datæ. Unde videtur solvi argumentum S. Thom. de *Potentia*, quæst. 6. art. 10. & contra *Gent.* lib. 3. cap. 106. quo vult probare, quòd Magica opera non referuntur in Deum, aut bonum spiritum: quia boni spiritus non cooperantur hominibus ad illicita opera perpetranda, quod plerunque fit per Artes Magicas: Patet inquam argumentum non procedere.

Arg. 2. Secundò confirmatur de his hominibus, quos Hispani salutatores appellant qui (si vulgo credimus) opera faciunt supra facultatem naturalem, & tamen cùm plurimùm sint homines perditii, & pessimis moribus. Tamen credimus eos gratiam sanitatis habere à Deo, neque pro maleficis habentur, neque puniuntur. Unde ergo convincere possumus, si quis Magicam exerceat, quòd à dæmone potius quàm à Deo habeat.

Arg. 3. Tertio, si omnino non placet referre Magicas Artes in Deum, saltèm non videtur quare non referantur in bonos Angelos potius quàm in malos. Primò, quia certum est, quòd non minorem habent potestatem boni Angeli, quàm mali: ergo si creduntur mali Angeli communicare suam potestatem malis hominibus, quare non sunt credendi boni Angeli communicare suam potestatem bonis, & piis? Et sic saltèm erit aliqua Magia pia, & bona, quæ bonos Angelos habeat patronos.

Arg. 4. Item quartò, si dæmones flectuntur precibus, & sacrificiis, ut operentur mirabilia secundùm vota impiorum, & sacrilegorum, quare etiam boni Angeli non flectentur precibus piorum, & bonorum, ut in favorem eorum faciant aliqua mirabilia?

Arg. 5. Item quintò, saltèm ad dissolvenda maleficia, & incantationes maleficorum, quare non sperandum est, quòd boni Angeli communicent potestatem & virtutem suam, cùm

cùm omnino sit certum, bonos Angelos propensiores esse ad beneficia conferenda, quàm dæmones ad maleficia? Item aliqui Magi utuntur solis verbis sacris, & signo crucis, ut mulierculæ istæ, quæ, nescio quæ his signis faciunt.

Item sextò, cum boni Angeli possint præstare sanitatem præter solitum cursum naturæ, revelare thesauros, dare scientias, & artes humanas, quare si aliquando aliquid hujusmodi contingat, quare, inquam referamus semper in malos Angelos, nunquam in bonos.

Et si dicas, quòd cum hæc fiant virtute divina, aut Angelica, non dicuntur fieri Arte Magica, sed solùm quando fiunt dæmonis concursu, & virtute, jam disputatio tota erit de nomine, & frustra disputant Doctores qua virtute Magi operentur.

At pro solutione quæstionis & dubii sit prima propositio: Eadem * opera, vel similia fiunt per Artes Magicas, & per gratias gratis datas. Probat: Nam ad gratias pertinet dæmonia ejicere, serpentes tollere, sanitatem conferre, linguas loqui, ut patet Marci ult. & 1. Corinth. 12. sed hæc fiunt à Magis: ergo eadem opera sunt utrisque communia.

13 Secunda propositio: Aliqua * opera fiunt à Magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & è contrariò. Hæc patet: Nam Magi operantur maleficia multa, & beneficia, quæ nullo modo competunt gratis gratis datis: E contrariò autem inter gratias est Prophetia, quam Magi nullo modo habent, ut infra disputabitur: ergo conclusio est manifesta in utramque partem.

14 Tertia propositio: Magi * nihil operantur aut potestate divina, aut potestate Angelica. Hæc probatur primò, quia alias Magicæ Artes non essent in universum interdicitæ & jure divino & humano, ut supra ostensum est. Item si Magi uterentur potestate divina aut Angelica, Magia non esset ars, sed gratia, & donum. Non enim aut Deus, aut boni Angeli alliciuntur in opera hominum arte & disciplina, sed pietate, aut propria Dei & Angelorum bonitate, & gratia. Item tertio: Certè procedit argumentum recitatum ex Sancto Thoma: Dato enim, quòd mali possint aliquando etiam miracula face-

Arg. 6.

Resp. ad
quæst.

cere, non tamèn hoc habent habitualiter, nec discuntur habere gratiam: Licet nonnunquam mirabilia per eos fiant propter reverentiam nominis Christi, ut patet Matthæi 7. vel ad amplificationem Religionis, & fidei, qua necessitate, aut opportunitate sublata, nulla superest in malis facultas ad hujusmodi opera: Magi autem operantur ex habitu quodcumque volunt: Et præterea perniciosè, & cum magno hominum nocimento sæpe operantur: unde constat non habere facultatem vel à Deo, vel à bonis Angelis. Item quartò: Quia, ut ait S. Thom. *contra Gent.* ubi suprâ, in operationibus Magicarum artium contingit magna incongruitas, & dissonantia rerum quæ nullo modo potest tribui bono spiritui: Requirit enim hujusmodi artes (ut Magi dicunt) hominem re venerea non attrectatum, cum tamen plerunque adhibeantur rebus amatoriis ad illicitos concubitus conciliandos. Item licet Magi videantur habere scientiam occultorum, tamen nunquam, aut rarò extendit se notitia eorum ad certas artes, & scientias, sed in minimis quibusdam, sicut in inventione futurorum, in deprehensione latronum: Unde constat, quòd spiritus, quibus innituntur Magi, aut sunt Ignorantes, aut invidi, quia aut non possunt, aut nolunt impertiri suis nisi hæc minima, & inutilia, unde non sunt boni spiritus. Item quintò constat, quòd boni spiritus non delectantur, nec utuntur præstigiis, aut mendaciis: Magi autem plerunque ludificant homines, & decipiunt. Item utuntur in suis operibus, & incantationibus non solùm mendaciis, sed impossibilibus quibusdam imprecationibus: Comminantur enim impossibilia, ut quòd deponent sidera, quòd vertent cælum, aut solem retro, ut narrat Porphyrius in epistola ad Anebuntem, & multa hujusmodi vana inveniuntur inter Artes Magicas, quæ manifestè convincunt non esse à Deo, neque à bonis Angelis.

Quarta conclusio: Magi * in suis operationibus nonnunquam utuntur facultate solùm naturali. Hæc propositio probatur: Quia, ut suprâ dictum, aliqua est Magia naturalis ad operandum mirabilia, & maximè utuntur herbis Magi vulgo ignotis, quæ continent præsentanea & efficacia remedia contra morbos, & alios effectus mira-

biles habent, ut de cori celsa, & calicia herba, qua aquam glaciari refert Plinius, lib. 24. cap. 17. ex his enim ortum habuit Magica, ut Plinius dicit 3. lib. cap. 1. Item de Me-naide, cujus succo protinus ictus serpentum sanantur: & varias, & multijugas herbas refert Plinius, quibus Magi utuntur, vel ad morbos depellendos, aut etiam inferendos, quæ cum sint aliis ignotæ, & velocissimæ operationis, pro miraculo ab omnibus habentur. Potuerunt autem Magi hujusmodi virtutes herbarum scire, vel traditione magnorum in medicina virorum: quales fuerunt Pythagoras, Democritus, Empedocles. Aut etiam dæmone revelante, qua revelatione semel facta, sequentes Magi uti poterunt naturaliter, & sine concursu boni aut mali spiritus. Et vulgares Magi plurimum hac ratione imponunt hominibus, & decipiunt vanos homines. Cum enim aliquid hujusmodi mirabile quidem, sed revera naturale præstant, pollicentur multa alia majora, & mirabiliora, quæ tamen rarò implent.

16. Quinta propositio: Operationes * Magorum supra facultatem naturalem, malorum dæmonum potestate & virtute fiunt. Hæc patet ex superioribus: Nam si hujusmodi opera excedunt facultatem naturalem, & non possunt referri in bonos spiritus, necesse est, ut referantur in malos. Et hæc est sententia S. Thom. de Potentia, & contra Gentiles, ubi supra. Et est determinatio Origenis homil. 13. in Numer. & homil. 31. in Job. Et est etiam determinatio Sanctorum, ut August. 2. de Doctrina Christiana, & 3. de Trinitate, & multis aliis locis prolixè disputat, & ostendit, quem vide.

-ii Ad argumenta in contrarium: Ad primum, quod est principale, respondetur, quod quamvis ita sit, ut dictum est, quod eadem opera possunt fieri à Magis & à non Magis, tamen non est difficile intelligere differentiam inter Magum & non Magum. Et primum omnium, quantum ad acquisitionem facultatis, qua aliquis operatur hujusmodi mirabilia, si enim habetur facultas per modum disciplinæ, & artis, hoc est, per libros, aut præceptores, manifestum est illam facultatem non esse gratiam gratis datam, sed si non excedat facultatem rerum naturalium, potuit esse peculiaris aut secreta me-

Resp. ad Argu

dicina physica, aut si excedat facultatem naturalem, sequitur quod est vera ars Magica & dæmoniaca. Item, si tales utantur verbis ignotis, aut etiam certis characteribus, aut aliis verbis non spectantibus ad effectum, qui speratur aut quæritur ex tali operatione, manifestum est non esse gratiam, sed Magiam. Item, etiam si utantur signo crucis, & solis verbis sacris & Religiosis, tamen si sint ritus & observantiæ peculiare & determinatæ, ut certis horis, ad certum situm, stellarum sub certo numero crucium, candelarum, ita ut non speretur efficacia operis aliter, certum est non esse gratiam, sed Magiam. Item, si utuntur actibus, & factis indifferentibus ad effectum, etiam est Magia. Ut si ad expulsionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid hujusmodi, est Magia manifesta. Hæc omnia patent: Nam veri Sancti, qui gratiam Dei habent, nunquam utuntur talibus ritibus & observationibus: ergo signum & argumentum efficax est, quod qui hujusmodi utuntur, non operantur ex gratia, sed ex virtute dæmonum, nec gratiæ per disciplinam & artem possidentur: Sed, ut ait Apostolus: *Omnes gratias operatur unus & idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Magi autem alii ab aliis accipiunt aut artem, aut facultatem. Et licet bona, aut mala vita non sit omnino efficax signum & argumentum, an virtus faciendi hujusmodi mirabilia sit à Deo, vel à dæmone, tamen est magnum indicium: unde qui hæc operantur, si profus sint homines improbatæ vitæ, credendi sunt potius malefici, quàm gratiarum possessores.

Ad 2.

Ad solutionem secundi argumenti, de saluatoribus, certè non satis mihi constat quid sentiendum, aut pronuntiandum sit, cum videamus ex majori parte esse homines minùs probatæ vitæ, & etiam uti aliquibus observationibus, non quidem adeo superstitiosis, sed nec satis Religiosis, multum vereor, ne sint impostores, & nullam efficaciam habeant, & si quam habent, ne illa sit potius à dæmone, quàm à Deo. Sed hæc dico non diffiniendo: Nam gratiæ dantur propter bonum commune. Fieri potest, ut dominus illam misericordiam velit impartiri hominibus per istos, qualescun-

que

que sint isti. Vel potest dici de istis hominibus, sicut de Pŷllis scribunt aut authores, qui sunt populi Lybiae prope Garamantas, quorum corpori ingenitum fertur exitiale virus serpentibus, ut ait Plinius lib. 7. cap. 2. ut cujus odore sopirent eos. Et Plutarchus scribit in *Vita Catonis*, cum exercitum in Africam trajiceret, Pŷllos secum habuisse contra serpentum vim & perniciem. Fortè ergo in istis similiter est aliquid naturale contra canum rabiem. Simile etiam de Pŷllis scribit Varro fuisse in Hellesponto serpentum ictus contactu levare solitos, & eandem vim dicuntur habere Marſi in Italia.

Et sic ad tertium argumentum, quòd videtur majus, respondetur primò, quòd non est negandum, quin boni Angeli communicent aliquando suam potestatem ad præstandum hominibus beneficia: Sed hoc faciunt, non sicut Magi ad ostentationem, vel sicut dæmones, ut colantur ab hominibus, sed solùm ex charitate hominum, & ut Deo soli gratiæ habeantur & referantur: & ideo faciunt occultè regulariter, licet etiam visibiliter aliquando aliquid tale faciant, ut de Raphaele apud Tobiam, qui illo modo, quo Magi solent, usus est corde & felle & jecinore piscis ad expellendum, & rejiciendum dæmonem à domo Raguelis, & postea ad restituendum oculos Tobiae. In quo uno factò satis intelligitur, & posse bonos Angelos præstare omnia, quæ mali dant, & velle si ita expediat. Nec est dubitandum, quin multo plura beneficia recipiant homines à bonis Angelis, etiam in ordine ad temporalia bona, quàm ab omnibus Magis.

Et præterea cum Sancti Angeli sint de numero beatorum, fortasse nunquam semiscent rebus humanis, & terrenis, nisi speciali mandato Dei: & ideo omnia beneficia, quæ homines recipiunt, quæ videntur esse supra spem, & facultatem naturalem, tribuuntur peculiariter Deo auctori, sive sint immediatè à Deo, sive mediantibus Angelis. Imò hæc ponitur una causa, cur Angeli non operentur visibiliter & apertè, ne pro divinitate ab hominibus colantur: Facile enim homines divinitatem arrogant illis, quos mirabilia operari conspiciunt, ut Actorum 14. in Licaonia cum Paulus Lystris claudum quendam in nomine Jesu sanasset, homines vo-

lebant Paulo tanquam Deo sacrificare: quod majus periculum esset de Angelis, qui tam propè videntur accedere ad dignitatem, & ideo solliciti sunt, ne hanc occasionem præbeant hominibus. Unde cum Joannes Apocal. 19. vidisset Angelum & corruisset ut adoraret eum: Vide, inquit, Angelus ne feceris, conservus enim tuus sum & fratrum tuorum.

Et per hoc patet ad quartum, & quintum, & sextum. Fatemur enim, quod boni Angeli flectuntur precibus & sacrificiis bonorum, & opera illorum dissolvi maleficia & præstigia malorum Angelorum, & multo majora contingere bona, quam sit revelatio alicujus thesauri aut furti. Et ita tenendum est tanquam certum, quod Magicæ Artes utuntur dæmonum virtute & autoritate, & non bonorum Angelorum in suis maleficiis.

Dub. Sed remanet unum dubium: An * animæ defunctorum, maximè quæ sunt de numero damnatorum, misceant se Magicis artibus, & operibus. 17

Arg. pro parte affirm.

Et videtur quod sic. Primò, quia sunt ejusdem malitiæ cum dæmonibus, & ideo videntur moliri & conari ad decipiendum homines, & tradendum in perditionem, sicut ipsi dæmones. Item, quia non rarò dicuntur intrare humana corpora, & apparere, & loqui hominibus, & Magi dicuntur revocare animas ab inferno, imò Maga illa Pythonissa revocavit animam Samuelis etiam à Limbo: ergo.

Respondetur ad hoc dubium, quod sine dubio animæ defunctorum nunquam se miscent operibus Magorum. Hoc probatur primò, quia de sanctis animabus, quamvis certum sit, quod possint liberè descendere à Cælo in terram, & juvare mortales, ut S. Thom. dicit in 4. dist. 45. art. 3. tamen hoc non faciunt ad invocationem, aut incantationem Magorum, sed ex propria bonitate, vel ex permissione particulari divina, sicut aliquando etiam inveniuntur visibiliter apparuisse, ut Augustinus narrat de Felice Martyre, & plura exempla ponit Gregorius IV. *Dialogorum*, licet hoc non habeant ex natura sua: Non enim possunt assumere corpus, nec movere.

Animæ verò, quæ sunt in Purgatorio, exire à loco

co non possunt, & si aliquando permittantur ex peculiari gratia, veniunt potius ad petendum iussu gratia vi- vorum, quam ad miscendum se operibus Magorum, aut mortalium prorsus rebus. Nec satis puto constan- tem & Religiosam consuetudinem, quæ cœpit corripe- re nostrates homines, ut in necessitatibus sperent & petant præsidium animarum in Purgatorio existentium.

De animabus autem inferni non est timendum ne possint prodesse, aut obesse hominibus, quæ scilicet per- petuò sint carceri mancipatæ, nec possint etiam damo- nibus adjuvantibus inde exire. Et quamvis aliquæ ap- paritiones huiusmodi ferantur, probabilius puto, quòd nunquam anima semel damnata egressa est locum in- ferni. Cùm enim exire non possint, nisi ex mandato Dei, non est cur credamus hanc licentiam à Deo habe- re, maximè cùm legamus historiam de divite illo Luc. 16. qui nec ad fratres quidem liberandos, ne venirent in locum illum tormentorum, permissus est redire ad mortales. Atque omnino ita credendum est apparitio- nes istas quæ referuntur, cùm sint pro majori parte fal- sæ, tamen si quæ veræ sint, esse ab ipsis dæmonibus, nec habendam esse fidem de istis dictis eorum, qui as- serunt se ab inferno venire, etiam si alioqui videantur pia & Religiosa monere. S. Thom. 1. p. quæst. 117. art. 4. ad 2. citat August. 10. de Civitate Dei, & Chrysostr. super Matth. dicentes, quòd dæmones frequenter simulant se esse animas mortuorum, ad confirmandum errorem Gen- tilium, qui hoc habebant: Ideo cavendum est ab illis visionibus.

18 Sequitur jam, ut dicamus in particulari, quid pos- sint Magi, & sit quinta quæstio in ordine: An * Ma- gi possint miracula facere.

Et videtur quòd sic. Primò, quia suscitatio mortuos est miraculum: Unde inter miracula Christi ponitur. Matth. 11. *Euntes renuntiate quæ audistis & vidistis: Cæ- ci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt: pauperes evangelizantur.* Sed & Pythonissa suscitavit Samuelem (1) ergo possunt miracula facere. Et confirmatur. Ad sus- citationem mortuorum non videntur requiri nisi dis- positio materiæ, nam disposita materia, necessariò in-

Arg. pro parte
affirm.

(1)

1. Reg. 28.

producitur forma: sed videtur quod dæmones possint disponere materiam, applicando activa passivis. Eiusdem enim rationis sunt dispositiones in resurrectione mortui, & in prima generatione, quæ sunt ab agenti naturali: ergo Magi dæmonis virtute possunt mortuos suscitare: Unde & resurrectio generalis futura est per Angelos Ministros.

Arg. 2.

Item secundò: Majus miraculum videtur, quod canis loquatur, vel cantet, quàm quod mutus loquatur: sed de Simone Mago legitur, quod faciebat canes loqui, & cantare, ut patet in Itinerario Clementis: ergo.

Arg. 3.

Item Valerius Maximus narrat 1. lib. cap. 8. quod fortunæ simulachrum, quod Romæ erat in via Latina, non semel, sed bis loquutum est verbis his: *Ritè me matrona vidistis, riteque dedicastis*: Quòd autem lapides loquantur, majus miraculum est, quàm quòd muti loquantur.

Arg. 4.

Item in eodem, & in Historia Romana legitur de Virgine Vestali, quòd aquam in vase perforato de Tyberis portabat, aqua non effusa: hoc autem spectat admiraculum, ut aqua steteret, & non fluat, ut patet in Jordanis divisione, & ejus statione: ergo.

Arg. 5.

Item adversitates Job dæmone authore procuratæ sunt, quod patet ex eo, quòd Deus dedit ei potestatem in omnia quæ erant Job: sed hujusmodi adversitates non sine miraculo contigerunt, ut patet de igne de Cælo descendente, unde & 3. Reg. 18. Elias in hoc probavit Prophetas Baal, ut descenderet ignis de Cælo, & consumeret sacrificium: ergo.

Arg. 6.

Item eadem quæ boni faciunt per miraculum, Magi faciunt, ut patet de serpentibus Moyse, & Magorum: ergo. Præterea: Uxor Lot mutata est in statuam salis, Genes. 19. & hoc à dæmonibus: Ut S. Thom. dicit de Malo, quæst. 16. quæst. 9. ad 3. ergo.

Pro solutione notandum: Quòd miraculi nomen à mirando est assumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, ut potest accipi ex verbis Philosophi in principio Met. quorum unum est, quòd causa illius, quod admiramur, sit occulta. Secundum est, quòd in eo, quod miramur, sit vel appareat aliquid per quod vide-

deatur contrarium deberè contingere ejus, quod miramur. Sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad magnetem, ignorans ejus virtutem. Sed hoc potest dupliciter contingere. Uno modo secundum se, alio modo quo ad nos. Multæ enim causæ naturales sunt ignotæ & occultæ quo ad nos. Virtus autem divina est simpliciter occultissima, & remotissima à nobis, quæ in rebus omnibus operatur secretissimè, & ideo ea, quæ per aliquam virtutem creatam fieri possunt, miranda quidem, & mirabilia dicuntur. Sed miracula propriè dicuntur, quæ sola virtute divina fieri possunt, quæ scilicet tota natura creaturarum miratur. Et licet miraculi nomine Latini utantur ad significandum quodvis stupendum, ac mirandum: tamen Theologi solùm illud in hac significatione usurpant, & meritò, licet August. 3. *de Trinit.* & alibi non timeat vocare opera Magorum miracula.

Ideo respondendo ad quæstionem: sit unica conclusio: Magi * non possunt miracula facere. Probatur primo ex ipsa significatione vocabuli, ut dictum est: Nihil enim faciunt, ad quod divina virtus exigatur. Secundò, quia si Magi possent vera miracula facere, sequeretur quòd miraculum non esset efficax argumentum deitatis, & veritatis, & sic periret ratio confirmandi ea, quæ sunt fidei, quæ miraculis comprobata sunt.

Ad argumenta in contrarium: Ad primum de Samuele responderetur, quod dubium est, an verè Samuel fuerit suscitatus, an potius fuerit aliquod phantasma: Et Augustinus quidem ad Simplicianum putat probabile, quòd fuerit verus Samuel, qui apparuit Sauli, & nuntiavit eventum belli propter hoc, quòd legitur Ecclesiastic. 46. quòd dormivit Samuel, & notum fecit Regi finem vitæ suæ. Hoc ergo tenendo diceremus, ut dicit August. quòd non dominante Arte Magica, sed dispositione Dei occulta, quæ Pythonissam, & Saulem latebat, permisum est, ut spiritus justi se ostenderet aspectibus Regis, divina cum sententia percussurus. Nonnunquam enim dum dæmon consultitur, ipse Deus per suum nuntium veritatem annuntiat, sicut per Eliam veritatem respondit nuntiis Regis, qui mittebantur ad consulendum Deum Accaron, ut habetur 4. Reg. I.

Ad 1. Arg.

Ad confirmationem dico, quòd sine dubio dæmones non possunt disponere materiam ad introducendum animam, quæ semel separata fuit à materia: Requiritur enim identitas corporis ad identitatem individui, & ideo semel corruptum, non potest idem numero redire, nec solum hominem, sed nec muscam possent dæmones suscitare. Unde si quæ suscitationes mortuorum leguntur à Magis factæ, ut ab Apollonio, Simone, vel aliis, omnes fuerunt præstigiæ, & non secundum veritatem, ut de Simone summo Magiæ artifice legitur, quòd apud Phoram Ephesi oppidum præsentem Joanne Evangelista, tres mortuos suscitavit, sed paulo post omnia evanuerunt tanquam fallacia, & præstigiæ: Unde S. Thom. 3. sentent. dist. 21. q. 2. art. 4. q. 2. ad 4. dicit, quæ ea quæ dæmones faciunt præter viam naturæ, non sunt diuturna.

Ad secundum respondetur, quòd loquutio canum, & alia hujusmodi potuerunt fieri à Magis per illusionem sensuum, & non per effectus veritatis. Si tamen per veritatem factum est, non dabat cani dæmon, aut Magus virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculum, sed ipsemet dæmon sonum literarum, & articulatae vocis similitudinem habentem formabat, sicut & asina Balaam intelligitur fuisse loquuta, Angelo bono operante: Et similiter dicendum est ad tertium de locutione simulacri.

Ad quartum respondet S. Thom. *de Potentia*, q. 6. art. 5. ad 5. quòd non dubium est, quin in commendationem castitatis Deus verus per suos Angelos bonos hujusmodi miraculum per retentionem aquæ fecisset: quia si qua bona in Gentilibus fuerunt, à Deo vero fuerunt. Si autem, quod propius vero est, per dæmones factum fuit, nullum fuit miraculum: dæmones enim possunt movere localiter, & sistere corpora, ut infra dicetur.

Ad quintum dicitur, quòd dæmones sua naturali virtute applicando activa passivis, possunt conflare ignem in media regione aeris, & inde concitare deorsum in terram. Et sic factum est in tentatione Job.

Ad ultimum dicitur, quòd verè ita est, quòd idem opus factum à bonis & piis hominibus, est miraculum, quod

quod idem à Mago non est. Nam homo non potest, nec novit applicare activa passivis, nec semina, nec causas occultas naturæ ad conficiendum celeriter & subito effectum aliàs naturalem, & ideo non potest hoc facere nisi virtute divina: dæmones verò, qui omnia naturalia optimè noverunt, possunt utendo causis naturalibus hæc eadem subito facere. Unde quòd Aaron converteret virgam in serpentem, & similiter quòd vir sanctus det sanitatem subitam alicui, miraculum est, quod idem Magus sine miraculo potest facere, scilicet dæmone adjuvante, & causas naturales quidem, sed hominibus occultas, applicante. Unde August. 3. de Trinit. cap. 10. Illa, quæ per Angelos fiunt, quo difficiliora, & ignotiora, eo mirabilia sunt nobis, illis autem tanquam suæ actiones notæ, atque faciles, sicut etiam ibidem ait August. cap. 5. Solennia & usitata fulgura miracula non sunt, sed cum in Monte Sinai inusitato modo fierent, miracula erant.

20 Quæstio sexta est: An * Magi possint cogere dæmones pro suo arbitrio.

Arg. 1. pro parte affirm.

Et videtur quod sic. Ut enim narrat August. 10. de Civitate Dei, cap. 9. Porphyrius refert se vidisse, quòd quidam vir Chaldaeus tactus invidia, adjuratas spirituales potentias precibus alligaverit, ne postulata concederent. Et in 21. ejusdem lib. cap. 6. dicit. *Non potuit primum nisi demonibus docentibus disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur numine vel cogatur, &c.* Ex quo videtur, quòd sint aliquæ incantationes, quibus dæmones cogantur.

Item Josephus de Antiquitatibus, lib. 8. scribit quòd Salomon instituit incantationes, & modos conjurationum, quibus obstricti dæmones ne denuo redeant, effugantur: Et ipse Josephus dicit se vidisse Eleazarum quendam, qui præsentem Vespasiano, & ejus filiis, usus adjuratione Salomonis & radice à Salomone monstrata, dæmones expulit ab obsesso, cujus operis argumentum dedit, quòd calicem aqua plenum ante eos posuit, & dæmoni imperavit, ut egressus ab homine, illum everteret, quòd & factum est.

Arg. 2.

Item tertio, cum dæmones sint superbissimi, non

Arg. 3.

est probabile, quòd nisi cogherentur, ad minas, & terrores, & mendacia incredibilia, quæ multum derogant excellentiæ & sapientiæ ipsorum dæmonum. Unde & August. 10. de Civit. cap. 11. introducitur verba Porphyrii sic dicentis. *Quid sit quòd non demoni vel alicui animæ defuncti, sed ipsi Soli & Lunæ, aut quicumque caelestium homo vitio cuilibet obnoxius intendit, minas, eosque territat, falsò ut eis extorqueat veritatem: Nam & Calum se collidere minatur, ut illi dii tanquam insipientissimi pueri falsis, & ridiculis comminationibus territi, quòd imperatur efficiant.*

Arg. 4.

Item quartò: Nisi dæmones cogherentur, non allicerentur per quædam, quæ ipsi oderunt, sicut per virginitatem impræcantis, cum tamen ipsi ad incestos concubitus homines inducere conentur.

Arg. 5.

(1)

Ad Philip. 2.

Item quintò: Saltem videtur, si Magi utantur verbis sacris, ut in nomine Jesu, & virtute Crucis: Juxta illud (1) *In nomine Jesu omne genuflectatur: Quòd dæmones cogantur.* Nam certum est quòd dæmones oderunt illa nomina, & abominantur gloriam Christi: ergo si possent non venire, & non respondere Mago, nunquam responderent, & tamen aliqui Magi dicunt se solum uti verbis sacris, & efficaciter operari: & mulierculæ utuntur solum signo crucis ad curandum certas infirmitates, de quibus non creditur, quòd habeant gratiam sanitatis, sed quòd sint maleficæ: ergo.

Pro responsione sit prima propositio: Dæmones * cogi possunt, & aliquando coguntur ab hominibus. Probatum quia inter gratias gratis datur potestas super dæmones, ut patet ex illo Marci ultim. *In nomine meo demonia, &c.* Item secundo patet, quia Apostoli, & sancti viri sæpe dæmones expulerunt ab obsessis: & certum est, quòd invitos: Non enim dæmones, si possent, darent operam ad gloriam & manifestationem nominis Christi, & ejus Religionis. Et etiam legitur sanctos viros imperasse dæmonibus aliquando aliqua opera: ergo.

Secunda propositio: Ab * Angelis etiam possunt cogi dæmones, & aliquando coguntur. Et hoc primum probatur, quia Angeli possunt virtute divina coercere dæmones, sicut sancti viri possunt, potestate, item naturali,

N, saltem Angeli superiores, qui ut statim disputabitur, habent potestatem naturalem supra inferiores: ergo. Unde ut ait S. Thom. de Potentia, quæst. 6. art. 10. ad ordinem potestatum pertinet arcere dæmones. Et ita non est dubitandum, quin Angeli custodes semper prohibeant dæmones accedere ad suos clientes, ne noceant eis, & præsidēs provinciarum impediunt frequenter dæmones à detrimentis & nocementis, quæ cuperent & possent inferre civitatibus, & agris, & fructibus, & aliis mortaliū bonis.

23 Tertia propositio: Ad *coercendum dæmones virtute divina, aut Angelica, multum refert, quibus verbis, aut signis homines utantur, etiam si loquamur de verbis sanctis, aut sacris signis. Probatur, nam cum Ecclesia habeat ex autoritate Christi potestatem super omnia dæmonia, multum interest ad coercendos malignos spiritus uti verbis & exorcismis ab Ecclesia institutis, quæ sine dubio majorem virtutem habent, quam quæcunque alia verba & signa. Sicut etiam exorcistæ ab Ecclesia instituti majorem potestatem habent ad expellendos dæmones, & aqua benedicta secundum ritum Ecclesiæ majorem vim habet quàm si aliis verbis esset benedicta, aut consecrata. Pro certo enim pro autoritate, & reverentia Ecclesiæ credendum est quod Deus sive per se immediatè, sive per Angelos suos concurrat ad talem invocationem.

24 Quarta propositio: Nulla *verba, nec exorcismi habent infallibilem efficaciam ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita ut semper sortiantur effectum suum. Probatur, quia cum verba, aut signa non habeant talem efficaciam ex natura sua, sed solum virtute divina, aut Angelica, non alligavit Deus potestatem suam ex lege sacramentalibus verbis, sicut nec sacramentis, sed operatur quando sibi placet ad gloriam suam, & utilitatem credentium, & multum facit ad hoc pietas & fides ministrorum. Idem dicendum est de reliquiis sanctorum, & signo crucis, & cæteris. Quare aliter habent sacramenta effectum aliter sacramentalia. Unde Actor. 19. dicitur de filiis Scævæ, quod invocabant nomen Domini Jesu super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes; *Adjuro vos*

per Jesum, quem Paulus prædicat. Respondens autem spiritus malus dicit: Jesum novi: & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens invaluit contra eos.

Quinta propositio est: Magi * aliquando possunt cogere dæmones. Probat: Quia dæmon superior habet potestatem coercendi dæmonem inferiorem, ut statim disputabitur: ergo Magus ex pacto & foedere, quod habet cum dæmone superiore potest cogere inferiorem dæmonem rejiciendo, aut expellendo illum. Et hoc est, quod Judæi calumniabantur de Christo: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia.* Quam calumniam Christus non ita confutavit, quasi hoc esset homini impossibile, sed aliis rationibus & argumentis. Nec Judæi tantum imponebant Christo Magum ipsum esse, sed, ut refert August. lib. 1. *de Consensu Evangelistarum*, cap. 9. pagani ita dicebant, & objiciebant Christianis, Christum Magicis artibus illa mirabilia patrasse, de qua re libros scripsisse, & reliquisse.

Sexta propositio: Magos * nunquam puto cogere dæmones, nisi ista ratione posita in præcedenti conclusione. Probat, quia Magi utuntur verbis, & signis & applicatione herbarum, aut aliarum rerum naturalium: sed omnia ista non possunt cogere dæmones, quia non est potestas quæ comparetur ei. Job 41. Ergo ipse Magus, aut per se, aut ratione rerum, quibus utitur, non potest cogere dæmones. Item, ut arguit S. Thom. verba de se, seclusa significatione, nullam efficaciam habent, nisi fortè inauditum, in quantum autem sunt signa, solum possunt movere intellectum in ratione objecti, quare non possunt efficaciter, & infallibiliter cogere dæmonem. Nulla enim signa possent cogere hominem, qui tamen est multo imperfectior Angelo, sive bono, sive malo, & intellectu & substantia.

Septima propositio: Magi * habentes foedus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, non autem ipsum principalem dæmonem: non habentes autem tale foedus, nullo modo possunt cogere illum dæmonem: sed dæmones voluntariè concurrunt ad operationes Magorum. Hæc sequitur ex superioribus. Et confirmatur, quia Magi sæpe deficiunt in suis operationibus,

bus, ut ipsimet farentur, etiam servato toto ritu & cæremonia Magica: ergo manifestum est, quòd non cogunt dæmones.

28 Octava propositio: Tota * opera & efficacia Magorum fundatur & nititur in condicito & pacto inito & firmato cum dæmonibus. Ista sequitur ex præcedentibus. Nam si dæmones non coguntur, & respondent, & veniant ad invocationes Magorum, & non aliorum hominum, manifestum est quòd hoc non potest fieri, seu provenire, nisi ex mutua conventionem & foedere Magorum & dæmonum, ut clarissimè patet.

Ad argumenta autem in contrarium. Ad primum patet, quòd ille Caldæus habebat pactum cum aliquo dæmone excellentiore, & virtute illius poterat coercere dæmones inferiores: & Porphyrius fortasse putabat majorem vim inesse Magicis incantationibus.

Ad Arg. 2.

Ad secundum respondet S. Thom. quòd si Salomon instituit illos exorcismos tempore quo erat dilectus Deo, potuerunt illæ incantationes habere aliquam vim ex institutione illius, sicut possent habere adjurationes institutæ ab aliquo sancto viro, quemadmodum habent majorem vim adjurationes ab Ecclesia institutæ. Deus enim ex meritis & orationibus sanctorum concurrat specialiter cum operibus illorum. Si autem Salomon illos exorcismos ordinavit postquam recessit à cultu, & Religione Dei, dicendum est de illis exorcismis, sicut de aliis incantationibus Magicis.

Ad tertium dicendum, quòd dæmones veniunt, & illis mendaciis & vanissimis comminationibus alliciuntur ut homines confidant in mendaciis & fabulis, & quomodoque utantur adjutorio dæmonum.

Ad quartum dicitur, quòd dæmones adveniunt ad nomen & titulum virginitatis, ut suadeant hominibus eos amare virginitatem, quasi sit argumentum excellentiæ & munditiæ eorum.

Ad quintum respondetur primò, quòd rarò, aut nunquam Magi utuntur solis verbis sacris, sed semper miscent alia verba, aut ritum, & cæremoniam supersticiosam. Sed si aliquando utuntur solis verbis sacris, hoc dæmones faciunt, ut vani homines putent eos non exclusos & alie-

alienos à Religione Christiana. Vel fortassè aliquando dæmones coguntur etiam à Magicis, virtute tamen divina propter reverentiam verborum sacrorum, sicut supra diximus, quòd mali etiam aliquando faciunt miracula. Unde Casiodorus dicit lib. 6. Tripartitæ, cap. 1. quòd cùm Magus quidam perduxisset Julianum apostatam ad quendam locum idolorum secretum, tamen illic advocati dæmones apparuissent, terrore compulsus Julianus, frontem signo crucis muavit, quo viso, dæmones repente disparuerunt, quòd valde mirandum est etiam ab homine apostata.

Dubitatur circa propositiones, & maximè contra ultimam: Nam multi bona fide utuntur Magicis incantationibus, & adjurationibus, qui nec volunt, nec vellent aliquod commercium habere cum dæmonibus. Et si putarent dæmones quocunque pacto interesse, aut dare favorem in suis operationibus, nulla ratione illis uterentur, sed prorsus abhorrent, & cessarent à tali usu & negotio: ergo videtur, quòd efficacia Magorum seu Magicarum artium non sit semper ex instantia & commercio dæmonum, sed quòd in ipsis ritibus & operationibus Magorum sit aliqua mala virtus & efficacia.

Respondetur, ut ait Augustinus 2. super Genesim, *ad literam*, quòd dæmon sæpe miscet se hominum operibus, illis ignorantibus, & nolentibus, & sic sæpe contingit in istis superstitiosis ritibus: homines enim, & maximè scæminæ vultæ bona fide utuntur hujusmodi ritibus & verbis ad remedia infirmitatum, & sine dubio dæmones assunt operationibus illorum, ut decipiant, & persuadeant confidere in rebus vanis, & hoc est fœdus tacitum cum dæmonibus, ut Augustinus ibidem dicit. Unde etiam est notandum, quòd licet Augustinus dicat, quòd non potest sciri, nisi ipsis docentibus, quibus signis, aut rebus dæmones alliciantur: tamen pro certo dæmones miscet se, & adveniunt quibuscunque superstitionibus, ac intelligunt homines confidere, & maximè si ex intentione velint invocare dæmones.

Dub.

Ex quinta propositione, ubi dictum est, quòd magi favore, & virtute superioris dæmonis possunt cogere inferiores, oritur dubium: An * superiores dæmones habeant aliquam potestatem in inferiores. Et videtur quòd non:

Arg. 1. pro parte negat.

non: Nam in dæmonibus non sunt aliæ potentia, nisi intellectus & voluntas, sed illæ non sunt potentia activæ ad extra ut Philosophus videtur dicere 9. Metaphys. Et patet exemplo in hominibus, ubi intellectus & voluntas nunquam agunt ad extra, nisi mediante aliqua potentia: ergo videtur, quod dæmones non habeant aliquam activitatem super alios dæmones.

Item, quia vel illa potestas esset naturalis, aut gratuita: non secundum, ut constat: ergo primum. Si igitur esset naturalis, sequeretur, quod dæmones perfectiores in naturalibus haberent potestatem naturalem super alios Angelos imperfectiores in naturalibus. Hoc est inconveniens: ergo.

Arg. 2.

Item tertio: Si aliquid possent superiores in inferiores, maxime videretur quo ad motum localem: Non enim apparet quid aliud possint imprimere superiores in inferiores. Sed hoc non videtur: ergo nullam habent potestatem. Probatur minor, quia dæmones, sicut Angeli, non sunt in loco nisi per operationem: sed in dæmonibus non est alia operatio, nisi intellectus & voluntatis, ad quas cogi non possunt: ergo non apparet quomodo dæmones superiores possint cogere inferiores ad motum localem.

Arg. 3.

30 Pro responsione est prima conclusio: Dæmones * superiores possunt cogere inferiores. Hæc probatur primo, quia dæmones inter se habent prælationes & principatus, saltem ex nequitia, & concordia illorum. Ex odio enim & invidia, qua tenentur erga homines, non est dubitandum quin percusserint foedus, & inter se constituerint ordines & societates ad istum finem, ut homines perdant & sic, ut ait S. Thom. 1. p. q. 109. art. 2. aliqui dæmonum sunt præfecti, & velut Principes ad imperandum aliis, & inferiores dæmones se subjiciunt illis, quos potentiores viribus vident ad propriam nequitiam exequendam. Et ideo Christus (1) vocavit societatem eorum Regnum. *Omne, inquit, Regnum in se divisum, desolabitur: & si satanas satanam ejiciat, quomodo stabit Regnum ejus?* Iste est ergo unus modus, quo superiores dæmones possunt inferiores cogere, scilicet per imperium, cui inferiores resistere non audent ex communi concordia.

(1)
Luc. 11.

Secundo etiam ex naturalibus suis hoc possunt, quia ubicumque sunt res subordinatæ, oportet quod etiam actiones subordinentur sibi invicem. Sicut patet in rebus corporalibus, quia enim inferiora corpora naturali ordine sunt infra corpora cælestia, actiones, & motus eorum subduntur actionibus, & motibus corporum cælestium. Sed manifestum est, quod inter dæmones aliqui sunt superiores in naturalibus: ergo habent potestatem naturalem supra inferiores. Et confirmatur, quia dæmones habent potestatem movendi localiter animas, & alligandi: ergo eadem ratione habebunt potestatem supra dæmones inferiores: & iste est alius modus, quo superiores Angeli possunt coercere inferiores. Unde S. Thom. 3. p. q. 43. art. 2. ad 3. dicit, quod dæmones superiores sua naturali virtute poterant pellere & de facto aliquando pellunt dæmones inferiores à corporibus & August. 21. *de Civit. Dei* dicit, quod dæmones per Necromantiam potestate superiorum dæmonum alligantur aliquibus imaginibus, vel annulis, aut aliis rebus. Et S. Thom. *de Anima*, q. 21. dicit, quod aliqua substantia spiritualis alicui corpori alligetur, non est ex virtute corporis potentis substantiam incorpoream detinere, sed est ex virtute alicujus substantiæ superioris alligantis talem substantiam tali corpori: sicut etiam Arte Magica, Deo permittente, virtute superiorum dæmonum aliqui spiritus alligantur annulis vel imaginibus. Idem dicit 4. *contra Gent.* cap. 90. & multis aliis locis. Et Petrus de Palud. 4. dist. 44. q. 7. dicit, quod Angelus fortior potest sistere & tenere minus fortem.

Ad Arg. 1.

Ad argumenta autem in contrarium. Ad primum respondetur, quod in Angelis est sine dubio potentia motiva, sed illa non distinguitur ab intellectu, & voluntate.

Ad secundum dico, quod revera ita est, quod ex suis naturalibus aliqui dæmones possent obsistere Angelis, & eos coercere, sed non permittantur à bonitate divina, & etiam gloriæ dotes sufficiunt ad resistendum.

Ad tertium pro nunc respondetur, quod Angelus, aut dæmon potest esse in loco per passionem, sicut per operationem, & sic dæmon inferior patitur à superiori, per hoc, quod applicatur loco vel expellitur ab eo, sicut ani-

animæ sunt in Purgatorio, aut Inferno, non agendo, sed patiando.

31 * Sed occurrit statim dubium non dissimulandum: Quo pacto dæmon superior potest tenere inferiorem alligatum annulo, aut imagini: absente enim superiore dæmone, non videtur quomodo possit impedire inferiorem, ne recedat. Ad hoc respondetur primo, quòd profectò virtute naturali non potest alligare inferiorem, ita ut eo absente alius discedere non valeat. Secundo dico, quòd potest cogere illo modo, ut si discesserit retrahat ad eundem locum. Tertio dico, quòd potest cogere ad remanendum imperio, cui inferior, ut dictum est, subjectus est. Quarto dico, quòd non est verisimile, quòd dæmon, qui alligatus est annulo, aut imagini, semper sit præsens imagini, sed dicitur alligatus, quia vocatus à possessore annuli semper venit, nec indiget tempore ad redeundum ubicunque sit, & ad quamcunque distantiam potest cognoscere quid rerum geratur apud illum, in cuius potestate annulus, aut imago est: sed miseri Magi putant se tenere dæmones tanquam compedibus & ex maxima parte sunt fabulæ, quæ de huiusmodi dicuntur annulis, aut imaginibus.

32 Septima quæstio: An * Magi virtute dæmonum possint transmutare corpora localiter, hoc est, transferre (ut ferunt) per multa terrarum spatia summa celeritate.

Et videtur quòd non, quia si corpora obedirent dæmonibus quoad motum localem, sequeretur quòd saltem quantum spectat ad naturam eorum, possent destruire ordinem, & machinam universi, puta movere cælum contrario motu, & tollere terram loco suo: hoc non est dicendum, quòd aliqua creatura habeat potestatem supra totam naturam, & possit perdere universum, &c. Non enim Angelis subiecit orbem Deus: (1) ergo. Item si habent illam, potestatem, quomodo nunquam liberant amicos suos à manibus iudicum?

Item arguitur ex cap. *Episcopi*, 26. quæst. 1. ubi, ut relatam est, damnantur qui credunt mulierculas deferri noctu per aera. Item non apparet quomodo id possit fieri, an impellendo, aut aliter se habendo.

33 Ad hanc quæstionem sit conclusio: Dæmones * &

Dub.

Resp. ad dub.

Quest.

Arg. pro parte neg. 1.

(1)
Ad Hebr. 11

Magi virtute dæmonum possunt movere, & transferre corpora de loco ad locum. Probatum primo autoritate August. 3. de Trinitat. qui dicit, dæmones adhibere semina corporalia ad aliquos effectus producendos: hoc autem non fit nisi per motum localem: ergo, &c. Item, Satan concussit quatuor angulos domus Job, quæ corruens oppressit liberos ejus. Job 1. Item patet manifestè in obsessis à dæmonibus, quos dæmones aliquando invitos mittunt in ignem, & præcipitant deorsum, & jactant, & raptant variè: nec videtur alius modus, quo dæmon possit occupare humana corpora, nisi subjiciendo quo ad motus locales, ut movendo linguam, aut tenendo alia organa, & membra corporalia. Unde nulla ratione potest negari, quin dæmones possint movere localiter corpora. Item quia Angeli movent cælos, & movent animas. Item assument corpora frequenter, & apparent in eis, quod non fit sine motu locali.

Resp. ad
Arg.

Ad argumenta autem in contrarium, ad primum respondetur, quòd nec unus Angelus, aut unus dæmon, nec omnes simul possent aut sistere cælum, aut contrario motu movere, aut terram mutare de loco suo, ut ait S. Thom. de Potentia, q. 16. art. 8. & 3. contra Gent. c. 108. & ratio est connexio & ordo universi, contra quem nulla causa particularis potest ex ipso ordine naturali, sicut nec omnium dæmonum artificio possit dari vacuum. Possent enim dæmon tollere aerem de loco ubi est: sed hoc supposito, omnes dæmones non possent obsistere, quominus alius aer succederet in loco prioris.

Ad secundum de illo cap. *Episcopi*, Jurisconsulti ex illo loco multum dubitant, utrum ea quæ feruntur de istis mulierculis strigibus an verè gerantur, an sit sola illusio sensuum. Et vix adduci possunt, ut credant in veritate mulieres transferri per aera, & deduci in solitudinem, aut in quemvis locum in societatem hominum, & dæmoniorum.

Et quidam frater Samuel Ordinis Minorum proprio opusculo satagit defendere hanc opinionem, quòd nunquam verè dæmon transferat hujusmodi mulierculas, sed quòd rapit sensus earum, & relinquit velut exanimas, & interim illudit, & commovet ita sensus interiores,
ut

ut verè putent illa geri, scilicet se volare, & verè commisceri concubitu aut dæmoni, aut alicui ex suo satellitio, cùm tamen loco non fuerint mutata. Et dominus Abulens. testatur se experientiam de hoc sumpsisse, nam cùm muliercula una ex illo numero coram eo unxisset se unguento, statim corruit sine sensu, ita ut titione pedem illius combusserit, nec excitaretur, sed post spatium temporis cum ad se redisset, narrabat mirabilia, scilicet se fuisse in campo cum multitudine hominum, & alia, quæ solent referri.

Sed frater Joannes Dodo Ordinis Prædicatorum fecit apologiam contra Samuelem, ubi tuetur sententiam, quòd licet ita sit, quòd plerumque ista fiant à dæmone per solùm præstigiùm, & illusionem sensuum, tamen aliquando verè geruntur. Et ita tenet Turrecremeta super illud, cap. *Episcopi*. Et ita tenendum est, quia postquam dæmones possunt realiter ita facere, credendum est, quòd aliquando verè faciant. Et hoc exploratum, & compertum est multis testimoniis, & experiètiis.

Ad verba autem cap. respondetur à Turrecremata, quòd in illo capitulo multa continentur, quæ verè non gerebantur, ut quòd equitarent cum Diana, cum Herodiade. Nam Diana nulla est: Herodias autem est in inferno, nec permittitur exire ei, nec est mulier, sed sola anima. Item quòd veri essent ibi equi, aut bestia, quibus per aera volarent. Equi enim, & alia, quæ ibi continentur, non verè, sed præstigiòse facta sunt, non negat autem capitulum, quin mulieres possent verè à dæmonibus portari per aera.

34 *Quest.* Octava quæstio: An * Magi possint pro suo arbitrio immutare corpora, immutare, inquam, alterando secundum qualitates, putà immitendo morbos, & contrà præstando sanitatem. Et videtur quòd non. Nam dæmones, quorum virtute Magi operantur, sunt incorporei, & immateriales: cùm ergo nihil agat nisi in sibi simile, non videtur qua ratione possint dæmones imprimere qualitatem corporalem in rem materialem. Item Sanctus Augustinus, ut suprà citatum est, negat quòd illæ immutationes sociorum Ulyssis, & Diomedis, quæ dicuntur à Circe factæ, fuerint veræ, sed solùm secundum apparen-

tiam sensuum. Sed si dæmones possent immutare materiam, eadem ratione possent immutare figuras rerum naturalium, & sic potuissent verè socios Diomedis & Ulyssis retinere sub figuris ferarum, & volucrum. Item gravissimum periculum immineret nobis à Magis, qui cùm sint socii dæmonum, reputandi sunt tanquam hostes mortalium, si morbos, & mortes possent inferre hominibus: nec est verisimile, quòd Deus talem potestatem permiserit dæmonibus ad perniciem humani generis. Item si possunt sanitatem præstare, sequeretur, quòd possent ab omni morbo sanare, & sic facere homines immortales.

De hac quæstione Philosophorum non fuit una sententia. Avicena quidem posuit, quòd substantia spiritalis, quæ cælos movet, non solum mediante cælesti motu effectus in inferioribus corporibus causat, sed etiam præter omnem corporis actionem: volens quòd materia corporalis multo Magis conceptioni & imperio spiritalis substantiæ, quàm cuiquam corpori naturali subjiciatur, & ex hac causa provenire dicit, inusitatas permutationes aeris, & infirmitatum curationes, quæ nos miracula dicimus. Et ponit exemplum de anima, ad cuius imaginationem absque omni alio corporali agente transmutatur corpus, & ad calorem & ad frigus, & quandoque ad febrim, vel lepram.

Arg. pro parte affirm.

Arg. 1.

Conformiter ad hanc opinionem dicendum esset, quòd substantiæ spirituales, quales sunt dæmones, possent immediatè immutare corpora, & alterare imprimendo corporeas formas, & qualitates. Et posset opinio confirmari, quia ejusdem virtutis videtur imprimere formam in materiam, & impedire ne imprimatur. Sed hoc dicitur Magos posse, ut quòd aliquis certis verbis scriptis non lædatur ab igne, imò isti salutatores hoc faciunt.

Arg. 2.

Item, quia possunt imprimere immediatè & immutare phantasiā: ergo has formas naturales.

Ad hoc sit prima conclusio: Nec * dæmones, nec 35 Magi virtute dæmonis possunt immediatè imprimere in rebus naturalibus & materialibus aliquam formam, ut calorem, frigus, morbum, aut sanitatem. Hanc propositionem ponit Philosophus 7. Phys. ubi ostendit, quòd formæ non imprimuntur in materia ab aliqua substantia separata, sed

reducuntur in actum de potentia materiæ per actionem formæ in materia existentis. Et probat, quia, ut ibi ostendit, id quod fit, propriè est compositum: omne autem agens agit sibi simile, unde oportet quòd illud, quòd facit res naturales exigere per generationem, sit compositum, non forma sine materia, vel forma separata. Secundo probatur conclusio, quia si dæmon posset immediatè imprimere aliquam formam naturalem: ergo & omnes, cum non sit major ratio de una, quàm de aliis omnibus: consequens autem est falsum, quia tunc tota natura esset ei subjecta, & sic totus orbis: Non autem subjecit Deus orbem terræ etiam Angelis. (1) Et hæc est expressa sententia August. 3. de Trinit. cap. 6. *Nec omnino, inquit, putandum est istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilibus rerum materiam.* Et denique hæc est communis sententia Doctorum omnium, 2. dist. 7. post Magistrum sentent. qui ita determinat.

(1)
Hebr. 2.

36 Secunda conclusio: Magi * virtute dæmonum possunt mirabiliter transmutare materiam, & naturas corporales, applicando semina rerum, & activa passivis. Hæc est determinatio August. 3. de Trinit. cap. 9. Et probatur manifestè ex superioribus: Nam ipsis obediunt corpora ad nutum quantum ad motum localem: sed ipsi optimè novèrunt naturas, & virtutes & efficacias omnium rerum naturalium, & possunt ea celerius & intimius applicare, quàm homines, unde, ut ait S. Thom. de Potentia, q. 6. art. 3. sicut ars imitatur naturam, & ut ait Philosophus 2. Phys. quædam potest facere ars, quæ non potest natura: ita dæmones multa facere possunt, quæ sunt præter solitum cursum naturæ, & præter omnem artem, & humanum ingenium. Item, quia influenza cælestis multum facit, & operatur ad effectus naturales. Unde in Agricultura, & Medicina necessaria est observatio, & consideratio motus, & cursus solis, & lunæ: cum ergo dæmones sint peritissimi astrologi, possunt melius eligere horas ad operandum.

Et hæc fortè est una ratio, quare Magi in invocationibus dæmonum situs stellarum observant. Et sic est aperta ratio, quomodo, & quare dæmones, aut Magi possunt immittere ægrotudines, aut sanitates, aut alias trans-

transmutationes facere : Confirmatur Job 2. Satan percussit Job ulcere infestissimo.

Resp. ad 1.
Arg. pro parte affirm.

Ad argumenta autem contra primam conclusionem, ad primum respondetur à S. Thom. quòd sine dubio dæmon non potest immutare, nec immediatè obviare, quominus agens naturale agat in subjectum dispositum, sed potest impedire ignem ne comburat, vel imprimendo aliquam qualitatem defensivam per modum supradictum, vel etiam tenendo flammam ne perveniat ad tale subjectum.

Ad secundum respondetur, quòd dæmon non immutat phantasiam, imprimendo novas species, nisi fortè aliquando exterius formato aliquo corpore phantastico, quo movet oculos, sed movet interiores species, ubi sunt & taliter offert sensui interiori quod vult, ut videantur res revera esse præsentis, & geri admodum somniantium, vel phreneticorum, imò perfectiùs, quantum (ut dictum est) potest subtiliùs, & præter omnem artem applicare causas ad hujusmodi operationes, & sic ita perfectè movet tales species, & presentat sensibus interioribus, ut tales, qui hæc patiuntur, firmissimè credant rem verè geri. Unde provenit, quod contingit in illis lamiis, ut cum velut exanimis manent in uno loco, credant se translatas per aera, & vidisse, & egisse, vel passas esse quæ nunquam fuerunt in rei veritate. De quo vide Joannem à Turrecremat. in dict. cap. *Episcopi*.

Ad Arg. posita pro parte negat.

Ad alia argumenta in principio quæstionis : Ad primum jam declaratum est, quod non possunt immediatè imprimere formas, sed applicando semina, & causas naturales.

Ad secundum respondetur, quòd licet dæmones possent immutare corpora, non tamen possunt conservare formas naturales sine dispositionibus naturalibus, & quia organizatio est dispositio requisita ad animam rationalem, non poterit dæmon figuram hominis immutare in figuram brutorum, manente rationali anima : Ut S. Thom. dicit de *Potentia*, q. 16. art. 9. ad 2. ergo. Et si aliquid veritatis habet illa historia, omnino dicendum est quòd dæmon occisis sociis Diomedis, & Ulyssis, bestias pro illis supposuit, vel fortasse illæ bestiæ etiam erant phantasticæ. Et sicut non potest hominem sub figurâ bestiæ conservare, ita

nec

nec peculiarem figuram unius hominis tollere, & dare alteri. Unde fabulosa videntur quæ leguntur in itinerario Clementis, quòd Simon Magus Faustiano propriam figuram & faciem abstulit, & suam dederit illi, quod ego non credo.

Ad tertium certissime dæmones nisi coercerentur à Deo, & à bonis Angelis, possent gravissimis calamitatibus mortales afficere, ut patet de adversitatibus Job unde S. Thom. p. 3. q. 29. art. 1. ad 3. dicit, quòd dæmones non permittuntur facere omnia, quæ naturaliter possunt, sed clementissimus Deus non permittit eos uti sua potestate: Et boni Angeli etiam impediunt, & maxime illi, quibus orbis custodia & hominum commissa est. Sed mirum & mysterium est, quod cum dæmones per se nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, sicut per Magos, per lamias istas, & alias maleficas.

Ad quartum dicendum quòd sine dubio dæmones possent à multis ægrotudinibus curare, à quibus nulli medici possunt, tamen non ab omnibus. Nam, ut dictum est, nihil possunt in hac re, nisi per applicationem causarum naturalium, nec sunt causæ naturales ad restituendum hominem ex quolibet morbo, maxime ex morbo senectutis. Sed certè videtur, quòd ex quolibet morbo violento possent sanare, ut à febre, vulneribus, & similibus possent enim sistere sanguinem, aut detrahere, & similiter quemlibet humorem.

Sed videtur, quòd saltem posset dæmon protendere vitam usque ad millesimum annum. Si enim potest omnia naturalia, & aliquando vita naturalis fuerit mille annorum, ut patet in Adam & aliquibus aliis, quare non posset nunc conservare vitam per tot annos, cum sint nunc omnia alimenta, & omnia remedia medicinalia, quæ tunc erant?

Respondetur: Sine dubio dæmones non possent particularem vitam protelare per tot annos, sicut illo tempore. Ratio est, quia per intemperantiam & ignorantiam hominum natura est valde corrupta, & morbida, nec sufficiunt quæcunque res naturales instaurare in antiquam illam integritatem, & alimenta ipsa ex malo cultu non ha-

*Questiuncula
incidens.*

*Resp. ad hanc
quest.*

habent illum vigorem; ex ultimo & fortè principaliter ex influenza cælesti. Dominus enim providentia sua ita disposuit, ut primis illis temporibus essent constellationes cælestes naturales salubriores & efficaciores ad vitam hominum propagandam, & ut alimenta essent majoris vigoris, & etiam medicinæ, & aer, & aqua, & alia quæ conservant vitam mortalium.

Alia erat hic quæstio, vel dubium aliud, quia præsupponitur semper, quòd dæmones sunt incorporei & immateriales, an hoc sit omnino certum, sed quia puto me nunc satis dixisse de hac materia, reservemus hoc in aliam ejusdem materiæ relectionem. Vide S. Thom. 1. p. q. 50. art. 1.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA

RELECTIO

DE EO, AD QUOD TENEATUR

homo cum primum venit ad usum rationis.

SUMMA.

1. Ecclesiastici liber, an deberet recipi inter Canonicas scripturas dubitatum fuit olim, & quid tenendum.
2. An pateat aditus ad salutem, & vitam æternam omnì hominì ad usum rationis pervenienti.
3. Rationis usum habere, quid sit.
4. Liberum arbitrium, aut usum rationis habere non est idem, quod habere actus intellectus, & voluntatis.
5. Liberum arbitrium habere, aut usum rationis, non videtur idem, quod posse agere, & non agere, positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter Doctores capiunt.
6. Liberum arbitrium habere idem est, quod esse dominus propriarum operationum.

habent illum vigorem; ex ultimo & fortè principaliter ex influentia cælesti. Dominus enim providentia sua ita disposuit, ut primis illis temporibus essent constellationes cælestes naturales salubriores & efficaciores ad vitam hominum propagandam, & ut alimenta essent majoris vigoris, & etiam medicinæ, & aer, & aqua, & alia quæ conservant vitam mortalium.

Alia erat hic quæstio, vel dubium aliud, quia præsupponitur semper, quòd dæmones sunt incorporei & immateriales, an hoc sit omnino certum, sed quia puto me nunc satis dixisse de hac materia, reservemus hoc in aliam ejusdem materiæ relectionem. Vide S. Thom. 1. p. q. 50. art. 1.



REVERENDI PATRIS FRATRIS

FRANCISCI A VICTORIA

RELECTIO

DE EO, AD QUOD TENEATUR

homo cum primum venit ad usum rationis.

SUMMA.

1. Ecclesiastici liber, an deberet recipi inter Canonicas scripturas dubitatum fuit olim, & quid tenendum.
2. An pateat aditus ad salutem, & vitam æternam omnì hominì ad usum rationis pervenienti.
3. Rationis usum habere, quid sit.
4. Liberum arbitrium, aut usum rationis habere non est idem, quod habere actus intellectus, & voluntatis.
5. Liberum arbitrium habere, aut usum rationis, non videtur idem, quod posse agere, & non agere, positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter Doctores capiunt.
6. Liberum arbitrium habere idem est, quod esse dominus propriarum operationum.

7. *Liberum arbitrium duo requirit, & quomodo secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum.*
8. *Quod rationis usum unus homo habeat, & alius non, unde proveniat.*
9. *Quod rationis usum, unus homo habeat, & alius non, non potest immediate ex parte intellectus, & voluntatis provenire.*
10. *Quod rationis usum unus habeat, & alius non, provenit ex aliquo habitu à natura concreto, vel intellectu, vel voluntate, qui solum sit in uno, & non in alio, vel in puero, & non in adulto.*
11. *Defectus, & imperfectio, vel privatio usus rationis, unde semper, vel ex majori parte proveniat.*
12. *Appetitus sensitivus potest esse causa privationis usus rationis.*
13. *Usum rationis posse tolli per habitus existentes in voluntate, puta ex odio, vel amore voluntatis, probabile est, posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiva.*
14. *Dispositio qualitatum naturalium, nulla sine speciebus sensibilibus est sufficiens ad usum rationis.*
15. *Educatio docta, & instructio, multum facit: ut aliquis perveniat ad usum rationis.*
16. *Rationis usum an possit aliquis habere circa aliquam materiam, vel objectum, & non circa aliud, utpote circa materiam justitiæ, & non circa materiam temperantiæ, ut si capax rationis ad deliberandum, & judicandum, vel an sit jurandum, nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de fornicatione, sed habeat se ad illam tanquam puer.*
17. *Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeant circa materiam moralem, videtur possibile.*
18. *Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralem, licet sit possibile, tamen videtur multum difficile, vel nunquam contingere.*
19. *Rationis usum habere circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes, putatur impossibile ab authore.*
20. *Rationis usus primum instans, quid sit, vel quid vocetur. Et quomodo deliberatio non possit esse libera, id est, quod sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare.*

21. *Deliberatio prima, est ex causis non naturalibus vel prorsus extrinsecis, puta vel à Deo, vel ab Angelo.*
22. *Deliberans primò non habet in sua potestate prius deliberasse.*
23. *Deliberans primò potuit primò deliberasse.*
24. *Deliberatio prima non potest cadere sub precepto.*
25. *Deliberans primò non tenebatur prius deliberasse.*
26. *Recentiorum dictum, quod detur tempus induciarum, in quo aliquis potest deliberare vanum est.*
27. *Instans primum, vel tempus usus rationis, in quo quis primo deliberat actu, non est in quo potest primò deliberare. Et multa de usu rationis.*

De authoritate lib. Ecclesiast.

Locus relegendus habetur Ecclesiast. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* Quia de authore, & autoritate illius libri Ecclesiastici inter multos dubitandum est, nec desunt adhuc qui ambigant: non erit ab re, de hoc ipso pauca præfari, ne tota nostra disputatio lubrico loco innixa, nutare videatur.

Inter libros Canonicos liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus ab Hebræis non recipiuntur, Authore Hieronym. in Prologo Galeato, & in Prologo ad Heliodorum, & Chromatium, qui etiam de Ecclesiastico dicit: *Nusquam reperiri Hebræum, sed Græcum solum.* Hac ratione dubitatum * in Ecclesia est aliquando, an deberent recipi inter Canonicas Scripturas. I

Et quidem Authores vetustissimi usi sunt testimoniis illorum tanquam prophetorum librorum, ut Egesippus, Irenæus, Tertulianus, Evaristus & Alexander successores Anacleti, Clemens Alexandrinus proximus Joanni Evangelistæ, Origenes, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Damascenus, & Eusebius lib. 4. dicit antiquos Patres illis libris ante usos tanquam Prophetis. Et August. 17. *de Civitate Dei*, cap. 20. expressè dicit esse Propheticos. Et Damascenus lib. 4. cap. 18.

Et tandem, in Concilio Carthaginensi III. cui interfuit August. cap. 47. dicitur: *Placuit ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Divinarum Scripturarum, sunt autem Canonica Scriptura Genesis, &c.* Et Salomon lib. 5. *Hæc à patribus legenda suscepimus*
sub

sub nomine Divinarum Scripturarum. Hæc in Concilio. Unde patet. Sapientiam & Ecclesiasticum reponi inter Sacras Scripturas Salomonis, aliàs non essent nisi tres. De authoribus illorum librorum licet non omnino constet inter Doctores, sed hoc est satis rationabile non esse editos à Salomone, continere tamen sententias Salomonis scriptas in diversis libris Salomonis sparsim, quem multa constat scripsisse, quæ ad nos non pervenerunt. Ideo Egesippus, Ireneus, Tertulian. Cyprian. Euseb. citant librum sub nomine Salomonis.

De Ecclesiastico satis convenit, authorem fuisse Jesum patrem Sirach. Sed Jesum filium Sirach ex Hebræo Græcum fecisse vel potius novum fecisse circa tempora Ptolomæi Evergetis 200. ferè annos ante Nativitatem Domini, sub Simone Magno Sacerdote, Oniæ filio. De sapientia non ita convenit, sed tribuitur Philoni Judæo, non ei qui claruit sub Nerone, sed alteri antiquiori 160. annos ante Christum, sed utcumque sit uterque videtur scripsisse spiritu prophetico. August. autem lib. de Doctrina Christiana utrunque putat esse Jesu filii Sirach. Quod tamen retractavit 2. lib. retract. cap. 4.

Ex verbis igitur propositi loci satis constat scripturam non loqui de homine ante usum rationis, vel omnino priusquam possit deliberare, & consilium sumere de agendis, atque adeò nos in præsentiarum nihil loquimur de salute hominis, vel statu in utero matris, vel prorsus antequam pervenerit ad usum rationis, sed solùm constitui in tota hac disputatione hoc argumentum tractare, & quomodo, aut qua ratione, aut qua via homini possit patere salus postquam est sui juris, aut (ut Scholastici dicunt) postquam annos discretionis attigerit. Et ideo sit quæstio principalis: An * omni homini pervenienti ad usum rationis pateat aditus ad salutem, & vitam æternam.

Pro parte negativa arguitur: *Sine fide impossibile est placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.* (1) Item: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* (2) Sed multis venientibus ad usum rationis impossibile est credere, aut

Quæst. principalis.

A. g. pro parte negat.

(1)

Ad Hebr. 11.

(2)

Marc. 16.

habere fidem, ut patet de natis & educatis apud barbaros & ignatos deitatis, & Religionis: ergo talibus non patet aditus ad salutem. Et confirmatur ex Paulo: (1) *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Ubi Paulus apertè videtur excusare eos, quibus non est prædicata Religio, & nomen Dei.

(1)
Rom. 10.

In contrarium est illud: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* (2) *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex quo loco videtur, quod omni homini (si per illum non ster) sit data supernè facultas perveniendi ad vitam eternam. Item: *In veritate cognovi quòd non sit personarum acceptor Deus, sed in omni gente.* (3)

(2)
1. ad Tim. 2.
Eccl. 15.

(3)
Act. 10.

Ad hanc quæstionem dissolvendam quatuor dubia oportet tractare. Primum, quid sit hominem habere usum rationis, & quid pervenire ad usum rationis.

Secundum, quid potest homo, cum primum pervenerit ad usum rationis.

Tertium, ad quid tenetur pro eodem tempore.

Quartum, de principali quæstione: quibus expeditis, relectio erit absoluta.

Pro prima ergo quæstione est notandum, quod licet ratio essentialiter idem sit quod intellectus humanus, tamen voluntas ponitur à Philosophis in ratione, ut videtur Arist. sentire 3. Ethic. cap. 10. Et apertius 3. de Anima, cap. 6. Imò vocatur voluntas per essentialitatem rationalis, ut patet ex S. Thom. in 3. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. Quare etiam usus rationis non solum dicitur usus, & facultas potentia intellectiva, sed etiam voluntatis. Imò & Arist. 3. Ethic. cap. 10. dicit fortitudinem, & temperantiam esse partium rationis expertum, &c. Et tamen appetitus sensitivus est particeps aliquo modo rationis: ergo aliter voluntas est rationalis, quam per participationem. Similiter etiam quanquam liberum arbitrium sit essentialiter idem quod voluntas humana, ut disertè tradit Damascen. lib. 2. tamen quia actus liberi arbitrii est electio, ex Magistro in 2. dist. 24. & electio adeò exigit consilium, ut Arist. 6. Ethic. in dubium revocaverit, an sit appetitus intellectus vel intellectus appetitivus, ideo etiam liberum arbitrium non

solùm ponitur facultas voluntatis, sed rationis & voluntatis, ut patet apud Magistrum in 2. dist. 24. Hoc breviter præmissio, ut à notioribus & facilioribus incipiamus, sit prima propositio.

3 Habere * usum rationis idem est, quod habere liberum arbitrium. Hæc patet ex dictis, nam si habere usum rationis est habere facultatem intellectus & voluntatis, hoc autem est habere liberum arbitrium: ergo idem est utrumque. Et confirmatur, quia in quocunque est usus rationis, est liberum arbitrium, & èconverso: ergo signum est quod sunt idem. Sed hoc ipsum non est satis exploratum quid est habere liberum arbitrium. Quanquam enim, vel idiotæ & rustici internoscere possint eum qui habet usum rationis, & liberum arbitrium ab eo qui non habet: diffinire tamen in quo consistat ratio liberi arbitrii, & quid sit habere hanc facultatem, non est facile, sed utrumque videbimus.

4 Ad declarationem hujus, sit secunda propositio: Non * est idem habere liberum arbitrium, aut usum rationis quod habere actus intellectus, & voluntatis. Patet, quia ebrii, & amentes non habent liberum arbitrium, & tamen habent actus intellectus, & voluntatis: ergo non est idem. Major est nota. Minor probatur, quia habent actus circa res spirituales, quæ non cadunt sub sensu, ut desiderium etiam rerum spiritualium, ut experientia patet ex his, quæ tum faciunt, tum dicunt. Loquuntur enim de Deo, & Angelis, disputant de dialecticis. Et confirmatur de pueris & somniantibus. Somniantes enim postea meminerunt se habuisse actus intellectus & voluntatis. Item habent aliquos actus universales, quos non videtur quod possit habere sensus, qui est solum particularium, S. Thom. 1. p. q. 84. art. 8. ad 2. loquitur, quomodo sensus & imaginatio plus vel minus ligantur, vel solvantur in dormientibus, & concludit sic: *Ergo per modum quo sensus solvitur & imaginatio dormiendo ligatur iudicium intellectus, non tamen ex toto. Unde aliqui dormiendo syllogizant, & cum excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defecisse.* Ex his verbis S. Thom. patet, quod dormientes habent actus intellectus, & per consequens possunt habere actus voluntatis. Idem & clarius

ponit in 4. dist. 9. q. 1. art. 4. ad 3. & 4. Et ibidem ad 4. dicit, quod aliquando in somno consentit quis turpitudini, unde etiam videtur quod habet actum voluntatis, & 2. 2. q. 172. art. 1. ad 2. & q. 154. art. 5. in sol. arg. & 1. p. q. 84. in corp. & ad 2. idem concedit de dormiente.

Et confirmatur etiam ratione, quia omnes hi scilicet amentes, pueri, & somniantes habent aliquando actus sensuum sufficientes in vigilantibus & sanis ad actum intellectus & voluntatis: ergo possunt esse in amentibus, quia tota causa quare amantes non habent usum rationis, est dispositio sensuum. Antecedens autem patet, quia iudicant per sensum aliquod esse bonum, aut malum: quod iudicium sufficeret movere non amentem ad actum intellectus & voluntatis. Et præterea confirmantur hæc omnia, quia sensus in homine sunt ejusdem rationis sicut in brutis, licet sint aliquo modo perfectiores: Sed amantes habent multos actus, quos bruta habere non possunt: ergo illi non perveniunt à solo sensu, sed ab intellectu, & voluntate.

Tertia propositio: Non * videtur idem esse habere liberum arbitrium, aut usum rationis, quod posse agere & non agere, positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter Doctores capiunt. Ista propositio non est ita nota, neque ita certa, sicut præcedentes, & ideo fermè omnes Doctores recentiores contrarium tenent, scilicet quod omnis actus, qui non necessario producitur, procedit à libero arbitrio. Ego verò dico, quod homo producit multos actus, quos potest non producere, etiam non habens liberum arbitrium, nec usum rationis. Probatum hoc primo. Pueri, & amentes, & somniantes habent actus voluntatis (ut probatum est) & non necessario: ergo hoc non sufficit ad liberum arbitrium. Minor patet, quia voluntas est formaliter ex sua natura libera, quia potentia rationales sunt ad opposita (tertio de anima) & nihil est in illis, à quo necessitetur voluntas: ergo non necessitatur. Probatum minor, quia vel esset notitia intellectiva, vel sensitiva, vel passio appetitus sensitivi, quia nihil aliud potest quisquam imaginari unde necessitetur, sed nullum illorum potest necessitate. Probatum, quia sensus non potest movere voluntatem nisi per in-

intellectum : (tertio de anima) ergo sola sensatio non potest necessitare voluntatem, neque passio. Patet, quia aliquando amentes agunt sine passione, vel saltem potest esse tanta passio in sano, sicut in amente, & puero, & somniante. Neque ex parte intellectus, quia quaecunque notitia est in amente vel puero, potest esse in adulto & in sapiente, & in hoc non necessitatur: ergo neque in illis. Major patet, quia vel est simplex apprehensio, vel iudicium, & quodcunque tale potest esse in adulto.

Et confirmatur, quia si aliqua notitia necessitaret, vel esset simplex apprehensio, vel iudicium incompletum, vel perfectum. Non simplex, quia notitio non solum non necessitat, sed neque potest movere voluntatem (tertio de anima) quia intellectus speculativus non movet, sed solum practicus, & amentes aliquando agunt ex iudicio, neque iudicium simplex de bono vel malo, quia id non necessitat adultum. Iudicium autem completum non potest esse in amente, & dato quod esset, non necessitaret: ergo nihil est, quod possit necessitare voluntatem pueri, aut amentis, aut somniantis. Et confirmatur iterum, quia plus movet iudicium perfectum de bonitate objecti, quam iudicium imperfectum, vel simplex apprehensio; sed iudicium perfectum de bonitate objecti non necessitat: ergo multo minus iudicium incompletum quod est in amentibus: Et profecto mirum est, quod hoc iudicium, hoc est delectabile, vel dulce, quod puer habet, necessitet eum: & tamen idem iudicium cum istis aliis, hoc est bonum honestum & meritorium, preceptum honorificum, quod est in adulto, non necessitet.

Item, quia anima separata cum omni notitia quae est in puero, aut amente, certum est, quod non necessitaretur: ergo nec conjuncta. Patet consequentia, quia profecto intellectus, & tota anima separata est etiam in corpore existens (tertio de anima) & intellectus nihil recipit à corpore nisi notitiam. Et ideo non est dubium, quin positis aequalibus notitiis intellectualibus in duabus animabus, si una non necessitatur, neque alia, quia omnino differentia ex parte corporis nihil facit, si non facit differentiam in notitiis ex parte intellectus.

Secundo probatur: Motus subiti quos Doctores vocant

cant primos, omnino non imputabiles, non sunt necessarii, & tamen pro eo tempore non est liberum arbitrium: ergo hoc non sufficit ad liberum arbitrium. Assumptum probatur, quia omnis notitia, quæ est in primo instanti, non necessitat: ergo nec tunc. Neque valet dicere, quod postea non necessitat, quia supervenit novum iudicium. Nam stat, quod iudicium superveniens magis moveat, quam retrahat ab illo motu: ergo iudicium sequens non facit, quod si prius necessario moveretur voluntas, postea non moveatur. Et confirmatur totum hoc de maniacis, qui scilicet talem passionem habent, quod circa aliquam materiam particularem non habent usum rationis, cum habeant circa omnes alias, sicut aliquando etiam phrenetici, illi profecto non videntur necessitari circa materiam illam, sed errare, & tamen non habent liberum arbitrium circa illam: ergo non est idem habere liberum arbitrium, & non necessario agere. Et certè videmus amentes, & pueros multa agere rogatos vel admonitos ad modum aliorum hominum, neque videntur necessitari in illis: Idem videtur posse probari de omnibus actibus indeliberatis, ut fricare barbam, scalpere caput, de quibus non videtur dicendum, quod sint actus necessarii, & tamen non procedunt à libero arbitrio.

*Arg. contra
propositionem
proximam.*

Sed contra hanc conclusionem potest argui unico argumento apparenti: Quia si actus voluntatis ante usum rationis vel in amente, & somniantibus non sunt necessarii, sed liberi: ergo sunt boni vel mali, & si liberè transgrediuntur præcepta: ergo peccant.

Respondeo negando consequentiam, quia non satis est, quod sint liberi hoc modo, sed oportet quod sint deliberati, quod non est in eis. Neque S. Thom. 1. p. neque in 4. ubi supra excusat somniantes, quia necessario agunt, sed quia non habent perfectum usum rationis, vel intellectus, sed est impeditus intellectus: itaque defectus provenit ex parte intellectus, non ex parte voluntatis. Et patet, quia circa materiam bonam etiam possunt esse motus primi, qui tamen non reputantur actus boni propter indeliberationem. Et confirmatur solutio, quia sive ista sit, sive non: tamen dato, quod ita esset, quod pueri, & amentes haberent talem libertatem ex parte voluntatis, si

tamen haberent intellectum ita impeditum sicut nunc habent, quod non possint cognoscere quid expediat, aut quid noceat, omnino non imputaretur eis quicquid agerent, non amplius, quam nunc imputatur: ergo non est opus negare libertatem voluntatis. Confirmatur ultimo, quia amentia hoc videtur solum significare, scilicet privationem, aut turbationem mentis, sive intellectus, nec dicit respectum ad voluntatem.

Manet ergo si non certa, certe probabilis propositio, in pueris, & amentibus, & somniantibus, & etiam in motibus subitis non necessitari voluntatem, sed posse agere, & non agere & per consequens hoc non esse satis ad liberum arbitrium. Verum est tamen, quod hæc non est simpliciter nec proprie libertas, sed imperfecta, & secundum quid, quæ non est capax bonitatis, & malitiæ, neque laudis, & vituperii.

6 Quarta propositio: Idem * est habere liberum arbitrium, quod esse dominum suarum operationum. Ista conclusio est S. Thom. in multis locis, expressè 1. 2. quæst. 1. art. 1. & 2. ubi dicit, quod in hoc differt homo ab aliis animantibus, quod est dominus suorum actuum. Unde illæ solum actiones vocantur humanæ proprie, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suarum actionum per rationem & voluntatem. Unde & liberum arbitrium dicitur esse facultas voluntatis & rationis, & art. 2. dicit, quod homo habet dominium suarum actionum per liberum arbitrium. Ad hoc autem quod homo sit dominus suarum actionum duo requiruntur. Alterum ut homo habeat facultatem consultandi, ac deliberandi quid bonum est, & quid malum est: Et quid consequendum, quid fugiendum, quid vitandum. Alterum est, ut habeat potestatem post deliberationem, eligendi, & relinquendi quod sic deliberatum est, neque enim primum sufficit sine secundo. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessario aut sequeretur consilium, aut non posset sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione, & acceptione verborum. Nam is verè dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem utendi re. Ita enim definiunt, & Jurisconsulti, & Theologi.

Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis, & voluntatis, quæ est liberum arbitrium. Unde idem omnino est liberum arbitrium habere, quod habere dominium suarum actionum: imò ideo dicitur habere liberum arbitrium, quia habet dominium suorum actuum: & sic & dominium, & liberum arbitrium definiuntur per idem, scilicet facultatem. Est enim liberum arbitrium facultas rationis, & voluntatis. Et dominium actionum humanarum est facultas etiam utendi ratione & voluntate.

Quinta propositio: Ex * duobus requisitis ad liberum arbitrium secundum non potest esse sine primo, &posito primo, ponitur secundum. Hoc est manifestum. Nam ubi est facultas deliberandi, est facultas eligendi, & èconverso, nec unum invenitur sine alio, ut patet in brutis, pueris, & amentibus, ubi nulla mutatione, aut differentia posita ex parte voluntatis (ut dictum est) solùm quia intellectus impeditur à deliberatione, & consilio, voluntas etiam non habet in sua potestate eligere & non eligere. Et ideo etiam qui vellet tenere contra tertiam propositionem, & dicere, quod in non habentibus usum rationis, voluntas necessariò elicit omnes actus, posset respondere ad argumenta facta, & dicere, quòd natura voluntatis est, quòd si intellectus sit solutus, & capax deliberationis & consilii, voluntas liberè agit. Si autem non sit capax, voluntas necessariò agit, & naturaliter. Et ideo cùm quæritur à quo necessitatur voluntas in amente, dico quòd non à notitia, sed à natura: sicut nec in bruto necessitatur ab objecto vel notitia, sed à natura, quia libertas voluntatis dependet ab intellectu. Licet enim libertas formaliter sit in voluntate tanquam in subjecto, sed est in intellectu, tanquam in causa vel radice, ut ait S. Thom. 1.2. quæst. 6. art. 2. ad 2. & quæst. 17. art. 1. ad 2. & *de Veritate* q. 24. art. 2. Et Arist. 3. Ethic. dicit, quod desiderium, sive electio nascitur ex consilio.

Sequitur corollarium responsivum ad quæstionem primam principalem, in qua quærebatur, quid est hominem habere usum rationis, vel pervenire ad usum rationis. Dico enim, quòd est hominem esse in tali statu,

tu, ut possit consultare, & deliberare de agendis: quamvis enim usus rationis præter hoc dicat etiam potestatem eligendi, quod spectat ad voluntatem: tamen in quocumque est potestas consultandi, est etiam eligendi. Sed quamvis in hac determinatione omnes conveniant, vel omnino debeant consentire, nascuntur dubia ex ea, non quidem adeò gravia, sed prorsus non contemnenda.

8 Et primum dubium est physicum: Unde * scilicet *Dub. 1.* cum non solum omnes homines sint ejusdem speciei, sed etiam ipsæ humanæ potentiaë, & ut res imò, ut in præsentia supponimus, una non est perfectior alia: cum ista, inquam, sint ita, unde provenit, ut unus homo habeat usum rationis, & alius non habeat? Et item cur in infantia non sit ut est in adolescentia? Et augetur dubium, quia idem est omnino intellectus in pueritia & in senectute.

9 Unde sit prima propositio: Ista * differentia non potest provenire immediatè ex parte intellectus, aut voluntatis. Ista propositio clara est, quia licet revocetur in dubium, an intellectus unius sit perfectior intellectu alterius, non potest tamen esse tanta inæqualitas, ut faciat amentiam, aut sanitatem. Et item non daretur causa de infantia, & adolescentia, cum sint eadem potentiaë. Et secundo probatur, quia si amentia proveniret immediatè ex parte intellectus, ut voluntatis, tunc inveniretur etiam in animabus separatis, quod non solum absurdum, sed impium esset dicere.

10 Secunda propositio: Talis * differentia non provenit ex aliquo habitu concreato à natura, vel in intellectu, vel in voluntate, qui solum sit in uno homine, & non in alio, vel in puero, & non in adulto. Hoc patet, quia anima nostra est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, ut Arist. disputavit contra Platonem, & si qui sunt habitus, illi solum sunt primorum principiorum, qui sunt communes omnibus, & neque transiens à vigilia in somnium perdit aliquem habitum, neque à sanitate in dementiam, neque è contrariò acquirit aliquem habitum rediens à dementia in sanitatem.

11 Tertia: Defectus, * & imperfectio, vel privatio usus rationis, vel semper, vel ex multo majori parte perve-

nit ex defectu & imperfectione partis sensitivæ cognoscitivæ, scilicet à sensibus, & maximè interioribus. Probatur primò in pueris, cùm potentia rationales sint perfectæ (ut dictum est) nihil potest reddi, quod sit in causa hujus privationis, nisi ex parte sensitiva, neque item in dormiente & somniante, eadem ergo ratio sufficit in aliis, quia si effectus est communis, causa est communis. Secundò, quia cùm nihil sit in intellectu quin priùs fuerit in sensu, (primò posterior.) & necesse sit intelligentem phantasmata speculari (tertio de anima) corruptio & imperfectio in sentiendo necesse est ut redundet in intellectum: ergo ista erit sufficiens causa privationis usus rationis. Et confirmatur, quia etiam diversitas & inæqualitas ingeniorum provenit solum ex differentia sensuum, unde Philosophus secundo de anima dicit: Quod carne molles, sive deliciores sunt aptiores mente & ingeniosiores: quod ideo est, quia omnis sensus fundatur in sensu tactus (ut ipse illic dicit) qui perfectissimus est in carne perfectiore. Hanc conclusionem probat S. Thom. 1. p. q. 84. art. 8. ubi probat, quod ligatis sensibus, ligatur intellectus. Et Arist. reddit rationem libro de somno & vigilia, quare sensus ligantur in dormientibus, quod scilicet resolvuntur vapores fumosi ad cerebrum & (ut dictum est) quanto magis sensus solvuntur, tanto etiam ratio magis liberatur: ergo totum provenit ex parte sensuum. Vide Albert. *de Somno & Vigil.* cap. 7. Unde provenit in dormientibus, &c. Quid autem sit in causa ut sensitiva pars non sit apta ad officium sentiendi in pueris, an humor verbi gratia immodicus in cerebro, quæ item in phreneticis, & amentibus, non est hujus loci quæstio, sed ad medicos, & phisicos releganda: modo hoc sciamus, eos, qui æquo modo se habent in sensibus, æqualiter habere usum rationis ut plurimum.

Quarta propositio: Appetitus * sensitivus potest esse causa privationis usus rationis: volo dicere, quòd dato quod quis habeat vires sensitivas convenienter dispositas ad officium suum, tamen ex vehèmenti passione potest quis perdere usum rationis. Hoc patet, quia ut Arist. dicit 6. Ethic. & 7. Perturbationes, & passiones impediunt judicium rationis. Ita enim judicat homo in agendis si-

cut est affectus. Quare, inquit, qui in perturbationibus sunt constituti, eodem modo sunt constituti, sicut dormientes, furiosi, & ebrii: eodem enim modo falluntur: Atque ideo impossibile est incontinentes esse sapientes, aut prudentes. Si ergo perturbationes appetitus sensitivi impediunt usum rationis, tantum possunt crescere, ut omnino tollant. Et Arist. 7. Ethic. expressè dicit, quòd ira, & cupiditates venereæ, & cæteraque similia, nonnullos in furorem & insaniam adigunt. Et Comicus: minimè miror eos, qui ex injuria insanire incipiunt.

Sed verum est, quòd licet fortassè appetitus sensitivus posset immediatè movere voluntatem, & non solum mediante notitia, tamen ita perturbare iudicium rationis videtur, quòd non posset nisi turbando sensum: Et sic ista causa hujus privationis, tandem reducit ad primam, scilicet ad impedimentum partis sensitivæ cognoscitivæ, quanquam posset oppositum dici, ut statim disputabimus.

13 Quinta propositio: Probabile * est quòd omnimoda rectitudine posita ex parte sensitiva, usus rationis posset tolli per habitus existentes in voluntate, putà ex odio, vel amore etiam voluntatis. Patet, quia etiam, ut Arist. 6. Ethic. tradit, & experientia docet, mali habitus perturbant iudicium rationis: ergo taliter possunt crescere, quòd superent virtutem naturalem intellectus, & omninò tollant potestatem deliberandi: quia si possunt inferre difficultatem: ergo & omnino impedire. Et confirmatur, quia tantum possunt perturbare mali habitus, sicut passiones: ergo si passiones hoc possunt, quare non etiam habitus? Et licet verum sit, quòd eo etiam casu turbantur etiam sensus, tamen prior videtur turbatio rationis. Et confirmatur, quia à sensibus intellectus non recipit nisi species, & ad usum rationis requiritur discursus, & ratiocinatio: ergo dato quòd sensus commodè administrant species, potest aliundè intellectus impediri ab usu rationis. Quòd si hoc est verum, posset aliquis furere, non ex imperfectione sensuum.

Et dixi hanc propositionem esse probabilem, & non ita certam: quia ex hoc videtur sequi, quòd qui ita in-

saniret in corpore, quod etiam extra corpus, perseveraret insania, quia habitus mali perseverant in animabus damnatorum, & sic essent aliqua animae in inferno non habentes usum rationis.

Sed qui vellet negare illam propositionem, oporteret ut responderet, quare si habitus mali possunt aliquo modo turbare iudicium rationis, non possunt tantum crescere, & tantum impedire, ut jam non sufficiant ad usum rationis? Et ad hoc inconueniens de anima separata, quod inferebatur, possemus dicere, quod habitus quidem non possunt esse circa omnes materias, imò habitus ita magni non possent esse nisi circa raras materias: & sic remaneret intellectus liber circa materias alias: nec esset inconueniens, quod anima separata insaniret circa aliquam materiam, sicut maniaci faciunt. Non autem est ita de passionibus, nam ex passionibus commouetur corpus, & ipsum instrumentum, vel organum virium sensitivarum, quo corrupto, jam non est idoneum ad quancumque materiam, etiam si causa fuerit circa unum solum.

Sexta propositio: Nulla * dispositio qualitatum naturalium sine speciebus sensibilibus est sufficiens ad usum rationis, volo dicere, quantumcumque organum esset optimè dispositum per qualitates naturales, & ad recipiendum species, nondum diceretur quis habere usum rationis. Hæc patet manifestè. Nam ad iudicandum & consultandum quid vitandum est, & quid prosequendum, requiritur multitudo specierum. Etenim ad rectè consultandum in agendis, oportet habere memoriam præteritorum, ut dicit Cicero 2. Rhetor. & Arist. 2. Ethic. quod virtutes intellectuales indigent experimento, & tempore, nec potest homo iudicare de contingentibus, nisi ex his, quæ communiter accidunt, quæ sine memoria cognosci non possunt. Unde si quis amitteret omnes species, quantumcumque organa manerent bene disposita ad recipiendum novas species, constat, quod ille non haberet usum rationis.

Septima propositio: Ad * hoc, quod aliquis perueniat ad usum rationis, multum facit doctrina, educatio, & institutio. Volo dicere, quod prius quis, cæ-

teris paribus, perveniet ad usum rationis, si bene instituat, & inter civiles homines, quàm apud rusticos. Patet hoc, quia ad usum rationis requiritur non solum acquisitio specierum, sed etiam ordinatio, ad hoc autem plurimum juvat institutio: ergo. Ex quo sequitur, corollarium quòd etiam æquales innaturalibus, non in æquali tempore perveniunt ad usum rationis.

Et ex omnibus dictis patet, quòd habere aliquem usum rationis, vel pervenisse ad illum, nihil aliud est, quàm esse in tali statu, quòd presentato aliquo objecto, circa quòd contingit operari, potest potentia propinqua sufficienter deliberare, & consultare quid agendum, aut vitandum, mediatè, vel immediatè. Quòd addo, quia non oportet ut quicumque habet usum rationis, possit per seipsum dignoscere, & judicare quid agendum: sed satis est, ut hoc possit per se, vel per instructionem aliorum, & ipse sit capax consilii, juxta illud Hesiodi, quòd Aristot. adducit 1. Ethic. cap. 4. *Optimus quidem ille est, ex se se qui omnia novit. Is rursus bonus est, paret qui recta monenti, &c.*

Quanquam revera fateor, quòd fortasse neque ex omnibus quæ disseruimus satis habetur, quid sit habere usum rationis, neque in quo consistit. Longe enim facilius est intelligere, & cogitare quis habet usum rationis, aut non habet, quam expedire quid hoc sit. Illud enim, vel idiotæ, & quivis ineruditi cognoscunt, & discernunt amentes ab integris, hoc verò neque Philosophis facile est explicare. Nam & hoc ipsum, quòd constare videtur, & definitum est, non caret calumnia. Nam ignari, & aliàs errantes in moribus, ut sunt hæretici, non sunt sufficientes consultare, & judicare quid agendum, aut vitandum: aliàs non ita aberrarent, & tamen non negamus eis usum rationis: ergo hoc non requiritur.

Potest quidem responderi ad hoc, negando assumptum, & dicendo quòd omnes illi sunt sufficientes, errant tamen ex negligencia sua, vel corruptis affectibus. Sed hæc quidem sunt Philosophica, in quibus Theologum non oportet adeò sollicitum esse: & ego intelligo
me

me etiam cum non satisfecerim, nimium fuisse: ergo si-
 ve habere usum rationis sit id, quod constituimus, si-
 ve quid aliud; nos supponamus, aliquem habere jam
 usum rationis, & de illo disputemus.

Dub. alterum.

Sed tamen hoc dubium, quod ex præcedentibus ori-
 tur, non licet prætermittere: An * aliquis possit habere 16
 usum rationis circa aliquam materiam, vel objectum,
 & non circa aliud, utpote circa materiam justitiæ, &
 non circa materiam temperantiæ, ut sit capax rationis
 ad deliberandum, & judicandum, an sit furandum vel
 nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de
 fornicatione, sed habeat se ad illam tanquam puer.

*Arg. pro par-
 te affirm.*

Et videtur quod non possit contingere. Quia aliàs
 daremus hominem capace[m] meriti, y demeriti circa
 aliquam materiam, & non circa alias materias morales,
 quod nunquam aliquis concessit.

In contrarium videtur, quia aliquæ materiæ sunt
 multo notiores aliis. Ut, quod non est occidendum,
 quàm quod non est fornicandum, & species non simul
 acquiruntur circa omnia. Item (ut dictum est) maniaci
 videntur carere usu rationis circa aliquam particularem
 materiam, sicut amentes circa omnes. Profectò res est
 dubia, & ideo respondeo.

Resp. ad hoc.

Prima propositio: Videntur * quod quis possit ha- 17
 bere usum rationis sufficientem circa artes, & opificia,
 qui non habeat ipsum circa materiam moralem. Pro-
 batur, quia videmus aliquos, qui incidunt in amen-
 tiam, non amittere artem, si quam antea didicerant,
 sed sciunt scribere, legere, pingere, imò syllogismos
 nectere, & similia, ut cantare. Confirmatur, quia pue-
 ri instituuntur in aliqua arte, etiam ante usum ratio-
 nis. Item (ut dictum est) institutio multum facit ad
 usum rationis: sed potest quis institui circa aliquam
 artem priusquam circa moralia: ergo.

Secunda propositio: Hoc * quod dicimus esse pos- 18
 sibile, videtur multum difficile, vel nunquam contin-
 gere, quia principia saltem moralia multo notiora sunt,
 quam artificialia: ergo omninò videtur impossibile, ut
 quis possit sufficienter judicare de artificialibus, & om-
 ninò sit expertus rationis in agibilibus.

Ter-

19 Tertia propositio : Omnino * puto impossibile, ut quis habeat usum rationis circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes.

Probatur primò, quia principia moralia sunt eadem circa omnes materias : ergo si habet iudicium ad principia unius materiæ, jam aliquo modo habet circa omnes. Ut qui iudicat quod non est nocendum proximo, jam habet principium, quod non est furandum : sicut qui scit, quod in barbara est bona consequentia, scit hoc tenere in omni materia : & qui cognoscit, quod est aliqua lex divina, quam tenemur servare, habet principium tam ad materiam iustitiæ, quàm temperantiæ.

Secundò probatur quia eadem est via & ratio ad consultandum de materia iustitiæ, quæ de materia temperantiæ : ergo impossibile est, ut quis habeat usum rationis ad consultandum in materia iustitiæ, & non temperantiæ. Antecedens declaratur, exempli gratia : In materia iustitiæ deliberatio incipit ab hoc principio, quod oportet servare præcepta Dei, & ex hoc quod præcepta Dei continentur in Scriptura Sacra, vel in doctrina Ecclesiæ, & quòd unum est non furari : eadem omnino via, vel simili procedendum est in quacunque materia morali. Alius deliberat hoc modo, quòd in agendis oportet consulere peiores, & etiam illud est principium deliberandi in omni materia.

Tertiò probatur, quia quicumque habet usum rationis, habet hoc principium, quòd in actionibus suis potest benè & malè agere, sed quicumque habet hoc principium potest deliberare de omni agendo : ergo. Major est nota, & minor probatur : quia omnis talis potest deliberare & quærere quid agendum sit, sive erret, sive non.

Et ad argumentum factum in contrarium, quia aliquæ materiæ sunt notiores aliis, respondetur : Verum est, sed ex hoc non sequitur, quin ille qui potest deliberare circa magis nota, possit circa minùs nota, quia satis est, quòd potest dubitare, & per consequens potest consulere.

Ad aliud de maniacis respondetur, quod maniaci fortasse circa omnem materiam habent usum rationis, sed dicuntur maniaci, quia circa aliquam materiam ex-

*Resp. ad Arg.**1. pro parte**affirm.**Ad 24*

rant vehementer, nec possunt revocari ab illa opinione, error tamen est quodammodo naturalis & invincibilis. Et certum est, quod maniaci etiam deliberant an bene vel malè agant, etiam circa illam materiam, circa quam laborant morbo, errant tamen post deliberationem etiam, sed quasi naturalitè. Vel fortè potest dici, quod mania tollit usum rationis circa aliquid speculativum, ut quod quis putat se ægrotare, & valeat, vel aliquid simile. Et similiter videtur dicendum de phreneticis, qui videntur insanire in aliquibus, & sapere in aliis.

Oppositum hujus propositionis posset poni & defendi: sed hoc videtur probabilius. Utcunque tamen sit, non dicitur aliquis habere usum rationis simpliciter, vel pervenisse ad illum quousque possit sufficienter deliberare in materia morali. Hoc patet, quia solum de tali loquuntur Philosophi & Theologi: neque dicitur quis sapere nisi in agendis, quantuncunque aliquis (si fieri posset) omnium artium esset peritus.

Sed priusquam ad secundam quæstionem veniamus, adhuc restat inquirendum, quid * sit, vel quid voce-²⁰ tur primum instans, vel primum tempus (nihil enim interest) usus rationis, vel primum instans, in quo per- venit quis ad usum rationis, vel liberi arbitrii.

Et sit prima propositio: Prima deliberatio non potest esse propriè libera, id est, quod sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare. Probat, quia liberum propriè est ex electione, vel actus qui sequitur deliberationem, ut supra diximus, neque est actus humanus, nisi sit deliberatus, sed deliberatio prima non potest sequi deliberationem, quia non est processus in infinitum: ergo non potest esse propriè libera. Unde sequitur, quod prima deliberatio non potest esse bona vel mala, meritoria vel demeritoria.

Secunda propositio: Prima * deliberatio est ex cau-²¹ sis omnino naturalibus, vel prorsus extrinsecis, puta vel à Deo, vel ab Angelo. Probat, quia non potest esse ex electione voluntatis. Patet hoc, quia (ut dictum est) non est libera, neque potest imperari ex electione, quia illa electio jam præsupponeret aliam deliberationem: ergo oportet omnino, ut sit vel ex motu phan-
tas-

tasmatum facto ab objecto, vel ex aliqua alia causa extrinseca. Unde Arist. 3. Ethic. dicit, quòd principium consulendi est aliquod intellectivum principium altius in intellectu nostro, quod est Deus, & per hunc modum ostendit quòd non est processus in infinitum. Et ad idem reducit libro de bona fortuna. Omnis enim actus voluntatis præsupponit actum intellectus & non è contrariò. Sed primum consilium non est à voluntate: Et idem S. Thom. 1. p. q. 82. art. 4. ad 3.

Quod non videtur sic intelligendum, quòd Deus concurrat semper tanquam causa particularis ad primum consilium, sed dicitur principium esse Deum, quia primus talis motus intellectus est naturalis & naturalia attribuuntur Deo, qui hanc virtutem dedit intellectui: licet non sit negandum, quin nonnunquam Deus, vel per se, vel per Angelos peculiariter sit causa talis deliberationis, quam Inspirationem vocamus. De quo vide Cajetanum 1. p. q. 82. Hæc autem adeò vera sunt, ut non tantum cum quis primò deliberat, prima deliberatio non sit in nostra potestate, sed etiam postquam aliquis omnino cessavit à motu intellectivo, non sit in potestate ejus prima deliberatio, ut est in dormiente, qui à somno excitatur propter eandem rationem.

22 *o* Tertia propositio: Cum * quis primò deliberat non habuit in sua libertate prius deliberasse. Patet ex dictis, quia si ista non fuisset prima deliberatio, etiam alia fuisset naturalis, ut patet: ergo non potuit esse alia libera ante hanc.

23 *o* Quarta propositio: Cum * quis primò deliberat, potuit prius deliberasse: Probatur, quia prima deliberatio est à causis merè naturalibus, ut dictum est, illæ autem potuerunt prius concurrere: ergo potuit prius deliberasse: Sed etiam illa fuisset naturalis.

24 *o* Quinta propositio: Prima * deliberatio non potest cadere sub præcepto. Hæc patet ex aliis, quia non est in potestate hominis, si est naturalis: ergo non potest cadere sub præcepto. Non enim dantur præcepta, nisi de actibus, qui sunt in nostra potestate, & si omittitur, non libere omittitur. Et confirmatur, quia non posset scire tale præceptum, quia jam hoc ipsum esset deliberatio: jam

enim habet usum rationis quam cognoscit se teneri præcepto: ergo impossibile est, quod quis habeat præceptum primo deliberandi, nec omisso, nec impletio esset libera.

Sexta propositio: Quicumque * primo deliberat, non 25 tenebatur prius deliberasse. Patet ex dictis, quia non erat in sua libertate: ergo non poterat ei esse præceptum.

Unde sequitur corollarium: Vanum * est quod di- 26 cunt recentiores, quod datur tempus induciarum, in quo scilicet aliquis potest deliberare, & si non deliberet, jam imputabitur ei. Hoc inquam patet ex dictis esse falsum, quia si non deliberat, nec est in libertate ipsius deliberare, imò si fieri posset, ut quis per centum annos bene dispositus nunquam deliberaret, non potest ei imputari.

Secundum corollarium, & sit septima propositio. Primum * instans vel tempus usus rationis est, in quo quis 27 primo deliberat actu, non in quo potest primo deliberare. Probat, quia primum instans rationis vocatur, in quo quis potest primo uti libero arbitrio & in quo primo est capax præcepti & boni aut mali, sed hoc nullo modo potest antequam primo actu deliberet: ergo illud est primum instans vel tempus usus rationis.

Tertium corollarium. Cum doctores querunt, an homo obligetur ad aliquid in primo instanti usus rationis, & ad quid teneatur, intelligendum est necessario de primo instanti vel tempore in quo deliberat. Patet, quia prius non est imaginabilis obligatio, sicut nec libertas: ergo. Et confirmatur, quia omnino est impossibile, ut quis cognoscat quando primo potuit deliberare, si hoc fuit antequam actu deliberaret. Patet, quo enim signo vel argumento hoc posset cognoscere? ergo si aliud tempus designarem usus rationis antequam homo deliberaret, & in quo homo obligaretur, nullus posset scire, nec per conjecturas quidem pingues, & crassas, an impleret illud præceptum necne. Et in summa, est absurdum hoc ponere, sicut (si quis dormiat) dicere, quod habet aliquod novum præceptum, ut expergiscatur, quòd quidem prius non haberet quàm dormiret.

Dico ergo, quòd ad quancunque dispositionem quis perveniat, antequàm actu deliberet, nondum pervenit ad

ad usum rationis, nec est tempus usus rationis, nec obligatur ad aliquid, nec de illo est apud Theologum aut Philosophum aliud iudicium, quàm de puero. Sed quando quærimus, ad quid homo teneatur in primò instanti usus rationis, intelligendum est, id est in quo primò actu deliberat, unde si quis excedat è vita, antequam actu deliberet, impossibile est ut peccaverit. Hæc tantùm de prima quæstione.



SECUNDA PARS RELECTIONIS.

SUMMA.

1. *Homo in barbaria educatus, sine instructione, & mentione deitatis, & Religionis, an cum primùm pervenit ad usum rationis, possit Deum cognoscere.*
2. *Homo ad cognoscendum quòd Deus est: saltem sine Doctore extrinsecò, indiget non parvo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas.*
3. *Doctorem non habens extrinsecum, quomodo videatur pro tempore posse habere de Deo ignorantiam invisibilem.*
4. *Ratio nusquam est, nec unquam fuit, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere.*
5. *Ad usum rationis potest quis venire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei.*
6. *Ad usum rationis veniens, etiam si Deum non cognoscat: an possit bene moraliter agere.*
7. *Homo cum primùm ad usum rationis pervenerit, ut etiam si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere, potest bene moraliter agere.*
8. *Ad usum rationis perveniens, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an possit peccare.*
9. *Antequam cognoscat quis Deum, aut possit cognoscere, potest peccare.*
10. *Legis divinæ duplex consideratio.*

II. *Rationis usum an possit habere quis ad peccandum venialiter prius, quam ad peccandum mortaliter.*

SECUNDA pars & quæstio relectionis erat: Quid homo possit cum primum pervenerit ad usum rationis, circa quam maxime occurrunt quatuor dubia. Primum: An * quilibet cum primum pervenerit ad usum rationis, possit Deum cognoscere. Et ut omisis certis & facilioribus, veniamus ad nodum difficultatis, loquamur de homine educato in barbaria sine instructione, & mentione Deitatis, & Religionis: An talis possit cognoscere Deum cum primum pervenit ad usum rationis.

Arg. pro parte affirm.

Et videtur quod sic. Primo, quia illud est per se notum, saltem apud S. Thom. I. p. q. 2. art. 1. ergo non indiget tempore ad id cognoscendum.

Secundo, quia regula Theologorum est, quod facienti quod in se est, Deus non deficit in necessariis ad salutem: sed credere quod Deus est, est necessarium ad salutem: (1) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est: ergo si facit quod in se est, non ignorabit. Et confirmatur ex illo: (2) Unctio eius docet vos de omnibus.*

(1)
Ad Hebr. 11.

(2)
Joan. 2.

In contrarium est, quia cognoscere quod Deus est sine Doctore extrinseco, est valde difficile, habitat enim lucem inaccessibilem, & cognosci non potest, nisi per ea, quæ facta sunt: (3) *Et oculus noster se habet ad manifestissimam naturam, sicut oculus noctuæ ad lumen solis: & ita videtur de Deo. Et item Apostol. (4) Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Et ponamus quod aliquis nihil audivit: ergo nihil potest talis cognoscere.

(3)
Rom. 1.

(4)
Rom. 10.

Ad hoc respondeo per propositiones. Prima est: Ad * cognoscendum quod Deus est, saltem sine Doctore extrinseco, homo indiget non parvo tempore, etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas. Quæ propositio primo probatur sufficienter argumentis factis. Item, quia si potest cognosci, hoc maxime est argumentis, & rationibus precedentibus ex solo lumine naturali, & experientia rerum, & cognitione naturali creaturarum, sicut videtur dici ad Rom. 1. sed hoc est valde difficile, ut patet ex rationibus factis, tum ab Arist. tum ab aliis Philosophis,

phis, & Doctoribus, quæ sunt difficiles, & procedunt ex principiis, quæ indigent magno ingenio & doctrina, & hæc accepta à majoribus opinione, & commota jam disputatione de Deo, quanto difficilius inventa, & cognita, etiam apud eum, cujus auribus nihil unquam de Deo insonuit. Neque dubitandum mihi videtur de hac propositione. De qua difficultate egregiè Cicero, in lib. *de Natura Deorum*, sub persona Cottæ contra Balbum & Vellejum, quanquam Vellejus hanc dicebat esse prænotionem & prolepsim insitam animis hominum, Deos esse.

- 3 Secunda propositio: Si * quis non habet Doctorem extrinsecum, videtur quod pro tempore possit habere ignorantiam invincibilem de Deo. Probatur ex prima, & probationibus ejus. Et confirmatur, quia S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. dicit: Quod apud eos, qui nihil audierunt de fide, infidelitas, sive ignorantia fidei non est peccatum, sed profectò omnino videtur eadem ratio de illa, Deus est, apud omnes qui nihil audierunt de Deo, sicut de aliis propositionibus fidei: & eadem videtur intentio August. lib. 83. Q.

Et per hoc facilè posset responderi ad dubium, videtur enim respondendum negativè, scilicet, quod non omnis talis potest cognoscere Deum, cum primum pervenit ad usum rationis.

Et ad argumenta esset facilè respondere. Nam ad primum respondetur ex illo Arist. *Oculus noctuæ*, &c. & 1. Phys. *Non eadem sunt nobis nota & natura.*

Ad secundum diceretur, quod saltèm priùs esset quod iste quæreret, & laboraret ad inveniendum, & tunc Deus provideret, & jam saltèm pro aliquo tempore ignoraret. Et item Deus non semper providet docendo: quia clarum est, quòd aliquis etiam faciens quod in se est, potest habere ignorantiam de necessariis ad salutem, putà de Christo, & de præceptis, saltèm pro tempore, sed Deus provideret, vel illuminando, vel non imputando ignorantiam. De hoc tamen latius in 3. & 4. q.

- 4 Sed his non obstantibus sit tertia propositio probabilis: Nusquam * est, nec usquam aut nunquam fuit natio, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes rationabiliter teneantur credere. *Ista propositio,*

tio, fortasse non poterit ita manifestè probari, sed certè probatur apparenter. Primum in historia nunquam legimus tam immanem & barbaram, & efferam nationem, quæ non haberet aliquem religionis ritum, & putaret Deum esse, ut Balbus, & Vellejus eloquenter apud Ciceronem disputant. Et patet ex omni historia tam sacra quàm profana: & si qua fuit natio, facilè potuerunt scire ex aliis nationibus, apud quas servata fuit opinio de Deo. Item hoc fuit multo tempore notum, & receptum in toto orbe etiam post diluvium: ergo nunquam traditum est oblivioni, quin perseveraret in memoria hominum sicut aliæ res minus celebres perseveraverunt. Item Deus est administrator & gubernator orbis, ut ex fide notum est: sed in administratione hominum maxima pars est Religio, Religio autem nulla esse potest sine cognitione Dei: ergo cum ut ostensum est, homines per seipsos non possint nisi cum magna difficultate, & multo tempore cognoscere Deum esse, si Deus permetteret tolli memoriam & cognitionem sui ab hominibus, nulla posset esse Religio, quod omninò non esset congruum Providentiæ Dei, & sapientiæ ipsius, qui disponit omnia suaviter, & attingit, &c. quod nullus sapiens homo permetteret, si posset impedire. Probatum major ex illo: *Pater meus usque modo operatur.* (1) *Tu autem Pater gubernas omnia providentiæ.* Item (2) *Sapientia attingit à fine usque ad finem, &c.* Item: Deus vult omnes homines salvos fieri, quod non possunt salvi esse, nisi per cognitionem Dei: ergo. Et confirmatur, quia etiam præcepta juris naturalis & decalogi non sunt per se nota, & tamen ex providentiæ Dei, Doctores concedunt, quòd non stat ignorari, saltem nisi ex malitia, in quacunque provincia, & natione: ergo cum multo magis ad vitam humanam exigatur cognitio Dei, quàm præceptorum, nullo modo est dicendum, quod Deus permittat aboleri memoriam deitatis. Itaque semper homo si vellet adhibere diligentiam, posset cognoscere Deum esse.

Et si contra hoc quis arguat, quod per millia annorum major pars hominum falsos Deos coluit, & nullam habuit notitiam veri Dei, dico quod nunquam videntur defuisse Philosophi, & viri sapientes, qui unitatem

(1)
Sapient. 14.

(2)
Sapient. 8.

tem veri Dei affirmarent, & docerent ut patet ex Apostolo, (1) & ex historia. Et si hoc verum erat circa tempora Apostoli, multò magis videtur verisimile superioribus temporibus, quando minus distabant à lege naturæ & memoria Patrum: & alii tenebantur rationabiliter illis credere. Et sic Deus semper sufficienter consuluit, & providit.

(1)
Ad Rom. 1.

Secundo, possemus dicere quod etiam si gentiles haberent falsas sententias de Deo, tamen semper hoc erat omnibus commune, quod erat aliquis Deus, sive unus, sive plures, cui debebant cultum, & Religionem: & sic si quis vel hoc ignorabat, vel negabat, vel dubitabat, erat ex culpa sua, ut Diagoras, qui ideo Atheos dictus est, & Theodorus, qui deorum naturam apertè substulerunt, & Protagoras sophista qui in dubium revocavit, quo nomine Atheniensium jussu urbe & agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Et ex hoc responderetur affirmativè ad quæstionem, scilicet quod quilibet cum primùm pervenit ad usum rationis, potest habere notitiam Dei.

Sed quia, etiam si ista vera sint (ut certè sunt) tamen non probatur, quia saltem brevi tempore posset aliquis esse sine notitia Dei. Ideo potest poni quarta propositio absoluta, quod * potest quis pervenire ad usum rationis, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei, quia argumenta hoc videntur probare. Et ita tenet Cajet. 1. 2. q. 10. art. 4. expressè. Et quanquam ita sit, ut dictum est, quod Deus gerit providentiam manifestandi nomen suum, non respondetur ad casum de eo qui nutritur in sylva sine mentione Religionis: nam Deus ordinaria via non providet, nisi per causas secundas, & de doctrina per prædicatores ad Rom. 10.

6 For secundum dubium est: An * quilibet talis possit benè moraliter agere: Et quia de alio non est difficultas, perseverat dubium de illo, qui ita educatus est extra Religionem, & sine doctrina, & mentione Dei. De hoc dubio Greg. Arimin. 2. dist. 38. & priùs dist. 26. omninò contendit, quod ad actum moraliter bonum requiritur circumstantia ultimi finis, qui est Deus. Itaque nisi actu, vel habitu actus referatur in Deum, actus non solum non

Dub. 28

est bonus, sed est malus, & peccatum. Idem videtur tenere Ocham in 1. dist. 1. q. 1. quem sequitur Almain in Moral. c. 14. quantum ad hoc quod ad bonitatem moralem requiritur circumstantia ultimi finis: sed videntur æquivocare de actu moraliter bono: Unde Ocham apud Gab. 2. dist. 28. tenet, quod ad actum moraliter bonum non requiritur quod referatur in Deum. Et ita tenet Gabriel illic, & est communior opinio, de qua nos etiam latè in lectionibus ordinariis diximus. Et ideo quantum spectat solum ad hoc dubium, patet, quod secundum Greg. dicendum sit, quod si quis non cognoscat Deum pro illo tempore, non potest benè moraliter agere.

*Arg. contra
opin. Greg.*

Contra quam opinionem argumentor sic: Quia sequitur, quod nulla via posset ille, qui aliquando ignoraret Deum, pervenire ad cognitionem ejus, saltem nisi casu haberet exteriorem doctrinam. Probatur & maxime secundum sententiam ejus, loco citato, quia non potest pervenire ad talem cognitionem sine speciali auxilio Dei, sed iste nullo modo potest se disponere ad tale auxilium, quia per omnes actus suos peccat: ergo non potest. Secundo sequitur, quod talis esset omninò perplexus, quia non potest saltè statim cognoscere Deum: Et tamen tenetur servare præcepta etiam secundum eundem, 2. d. 34. & non potest servare nisi per actum malum: ergo est perplexus, quia ipse non ponit actus indifferentes inter bonum & malum; imò videtur quod talis actus sit mortalis, quia est fruitio creaturæ.

Hoc argumentum aliter solvi non potest, nisi dicendo, quod talis potest cognoscere Deum cum speciali auxilio Dei, & sic jam non est perplexus, quia potest vitare illud peccatum, saltè cum speciali auxilio, sicut ipse sibi respondet in illa dist. 26.

Sed hoc impugnatur vehementer, quia stat, quod non detur tale auxilium, & hoc sine culpa illius: ergo jam non poterit vitare peccatum: Assumptum patet, quia non omnibus datur illud speciale auxilium ad cognoscendum Deum. (ut etiam ipse haberet fateri) multi enim perseverant in tali ignorantia: & hoc non est propter culpam ejus, quia non potest illud vitare antequam illuminetur secundum ipsum: ergo adhuc manet perplexus. Huc

per-

pertinet illud quod August. *de Correctione & gratia* dicit de gratia præveniente. *Quibus datur, misericorditer datur. Quibus autem non datur, justè negatur.* Saltèm in pœna peccati originalis. Unde videtur quod sine nova culpa posset non dari. Item, vel ad hoc quod illuminetur, requiritur, quod iste aliquid faciat vel non: si non, ergo non est in potestate ipsius, quod illuminetur, vel non, & sic potuit sine culpa ipsius non illuminari, & sic erit perplexus sine culpa sua, si oportet eum aliquid facere antequam illuminetur, contra: Illud non potest esse nisi peccatum: peccatum autem non requiritur ad illuminationem: ergo. Item ipse in eadem dist. dicit, quod nullum potest esse meritum etiam de congruo ad primam gratiam, vel ad auxilium speciale: ergo non requiritur dispositio, quia illa videretur meritum de congruo. Item, dato quod ex culpa sua talis non illuminaretur, adhuc esset inconueniens, quia ex culpa præcedenti necessariò incideret in novum peccatum.

Ad hoc argumentum responderet necessariò Greg. quod non obstante, quod Deus negaret alicui speciale auxilium ad vitandum peccatum, nihilominus imputaretur ei, quia ista privatio vel ignorantia est ex peccato originali. Et ita respondet expressè in illa dist. 26. q. 1. in fin. sicut si quis ex ignorantia, quam incurrimus ex originali peccato, ageret, quod non debet.

Sed hoc profectò non videtur Catholicè dictum. Item, quod iste, qui nunquam aliquid audivit de Deo, cognoscat Deum esse, & ultimum finem & omnia referenda in ipsum, non solùm est speciale auxilium, sed etiam spiritus prophetiæ, ut patet: ergo si quis ita natus & educatus esset sine Religione & Doctore, nullo pacto posset vitare peccatum, nisi in ipso primo instanti usus rationis, antequam quicquam boni aut mali egisset, reciperet spiritum prophetiæ: quia quicquid prius faciat, necessariò erit peccatum, etiam si Deus post duos dies mittat Angelum, aut Prædicatorem. Imò dato quod statim mittat Prædicatorem, impossibile est vitare peccatum, quia ipsum audire Prædicatorem erit peccatum, cum non possit credere priusquam audiat, nisi dicat quod est actus indifferens. Hæc sunt absurdissima; & ideo si quis vellet omninò de-

fendere, quod ad actum moraliter bonum requiritur circumstantia ultimi finis, oporteret ut teneret simul, quod actus carens illa circumstantia esset indifferens, neque tamen hoc satisfaceret, quia magnum inconueniens videtur, quod actus indifferens requiritur ut illuminetur à Deo.

Sed quia in moralibus non oportet sollicitum esse an possit aliqua sententia & opinio defendi, aut quomodo responderi possit argumentis, sed considerare potiùs, quid verisimilius sit: Ideo sit ad dubium. Prima propositio: Omnis * homo cum primum ad usum rationis pervenerit, etiam si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere, potest benè moraliter agere. Hæc probatur primo quia (ut dictum est) liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis: ergo quicumque habet liberum arbitrium, potest non solum cognoscere bonum, & malum, sed etiam facere & velle, ut supra dictum est: non enim loquuntur Theologi aut Philosophi de usu rationis aut libero arbitrio, nisi in ordine ad bonum & malum, & ideo aliqui vocantur amentes & insani. Quod si ad actum bonum requiritur ratio in Deum, talis qui non cognosceret Deum, non solum non posset benè agere, sed neque cognoscere quid bonum esset.

Item, si ad bene agendum requiritur ratio in Deum, vel hoc est de jure naturali, vel positivo & divino. Primum non videtur, cum hoc non sit notum in lumine naturali, imò secundum sententiam Greg. neque cognosci quidem potest sine auxilio speciali: ergo non est de jure naturali. Positivo autem non constat: Neque enim Paulus cum dixit: *Omnia in gloriam Dei facite*, voluit aliquid novum jus promulgare, neque aliquis Philosophorum hoc unquam dixit, qui tamen lumen naturale habebant. Item, dato quod esset præceptum illius relationis, Paulus apertè excusat ignorantem: (1) *Quomodo invocabant in quem non crediderunt?* Quòd si non credere est sine culpa, ut supra probatum est: ergo non invocare, vel non referre in illum actiones suas erit sine culpa. Et quidem de relatione formali in Deum, vel concomitante, vel etiam precedente, ita tenet Cajet. 2. 2. q. 10. art. 4. Dicit tamen quod per hoc, quod actus humani referantur in bonum objectum, virtualiter referuntur in Deum, quia

(1)
Ad Rom. 10.

quia referuntur in res eo modo, quo Deus instituit, sicut & omnia naturalia fiunt propter finem 2. Phys. & tamen non semper referuntur in talem finem ab ipso agente, ut actus hirundinis cum componit nidum, aut formicæ cum frumentatur in æstate, referuntur quidem ad certos fines, non ab hirundine vel formica, sed à superiori intelligentia. Ita cum homo operatur bonum ex genere, licet non referat in Deum, tamen illi actus relati sunt in Deum ipsum, ab ipso Deo qui omnia propter seipsum operatus est: & est exemplum: Servus enim qui eo modo suum officium facit, sicut dominus constituit, virtualiter facit propter dominum, & ad fidem quem dominus ordinavit, facit: Hoc dicit S. Thom. 2. dist. 38. art. 1. *Sicut rerum (inquit) omnium unus est finis ultimus, id est Deus. Ita & voluntatum omnium unus est finis ultimus: scilicet Deus: Nihilominus sunt alii fines proximi, & si secundum illos fines servatur debita relatio voluntatis in ultimum finem, erit recta voluntas; si autem non, erit perversa.* Debita autem relatio servatur secundum illum finem, quo voluntas nata est ultimum finem participare, &c.

Et videtur etiam facere ad hoc, quod S. Thom. dicit 1. 2. q. 21. art. 3. & 4. quod homo natura est animal civile & sociale. Qui autem in societate aut civitate vivit, pars est civitatis. Qui ergo aliquid in bonum & in commodum facit alicujus privati hominis, facit etiam in bonum publicum & commune, sicut qui privatum hominem lædit, bonum commune lædit, cujus ille est pars, atque laudem & præmium meretur, non à privato homine solum, sed etiam à tota civitate aut collegio, & eadem ratione ab eo qui præsidet collegio & civitati, & si nihil de collegio aut præsidi benefaciendo cogitet. Et certè hoc naturalis ratio dicat. Et confirmatur: Certè enim videtur iniquum & contra Dei bonitatem excogitatum, quod offendatur Deus etiam ab illo qui nihil minus cogitat, quam Deum offendere, & tamen benè agere nemo posset nisi actu referens opus Deo placere studeat. Adde quòd nec est quisquam qui non laudet & probet factum, aut bonum collatum in amicum suum, aut utcunque necessarium, etiam qui sibi nullo modo cogi-

gitarit gratificari. Ut quid ergo affirmamus Deum condemnare, etiam omnia officia collata in Dei filios, quæ non respectu Dei fiant.

Neque Deus præcepit parentes honorare propter Deum, sed honorare solùm: & ita de aliis præceptis. Ita nimirum ipsa implere, ut rebus ipsis expediebat, sunt enim præcepta distincta de cultu divino, & de rebus humanis: atque adeo nihil necesse est in omnibus aliis actibus Deum colere, & maxime ipso dicente: *Quæcunque uni ex minimis fecistis mihi fecistis.*

Dub. 3.

Tertium dubium in hac secunda quæstione: An * omnis talis perveniens ad usum rationis possit peccare. Et loquimur semper de illo, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere.

Arg. pro parte neg. 1.

Et pro parte negativa fiunt argumenta, neque levia, neque ita facile expedibilia. Videtur enim, quod ille qui Deum non potest cognoscere, pro eo quidem tempore neque peccare quidem possit. Et primo quidem, quia Deum esse, imo Deum esse dominum est præambulum ad legem divinam, ut S. Thom. ait 2. 2. q. 16. art. 1. quia præsupponitur ante susceptionem legis, ut quis fateatur subjectionem ad legislatorem, juxta illud: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Nec est intelligibile, ut quis recipiat legem ab illo, quem non cognoscit superiorem. Unde qui non tenetur recipere, aut cognoscere dominum, aut legislatorem, neque legem ejus tenetur recipere: ergo iste, quem ponimus sine culpa sua ignorantem Deum, non tenetur recipere legem Dei, neque illi obedire. Sed peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Ut ait August. 22. contra Faust. & Ambr. lib. de Paradiso. Et Magister 3. dist. 354. dicit quod est prævaricatio legis divinæ & cælestium inobedientia mandatorum: ergo videtur, quod in tali non possit esse peccatum. Et confirmatur: Benè sequitur: Ego non habeo dominum neque superiorem cui teneor obedire: ergo non obligor aliqua lege: ergo non pecco. Consequentia videntur notæ, quia nullus tenetur aliqua lege, nisi superioris: neque peccat, nisi faciendo contra id ad quod tenetur, vel præter ipsum, vel omittendo illud ad quod tenetur. Sed antecedens est invincibili-

ter

ter creditum ab isto: ergo & consequens, & per consequens excusatur ignorantia invincibili.

Item sequitur: Non est Deus: ergo nullum est peccatum. Et consequentia videtur nota, quia ut dictum est peccatum non est, nisi sit præter, vel contra legem Dei. Antecedens autem est invincibiliter creditum ab isto: ergo & consequens. Et confirmatur, quia si per impossibile non esset Deus, nullus obligaretur. Sed pro eodem videtur haberi, quod non sit Deus, & quod non possit cognosci an sit, sicut quantum ad obligationem, pro eodem profectò habetur, quod quis non haberet Regem, vel ignoraret invincibiliter se habere Regem: omnino enim est absurdum dicere quod Rex obliget me, de quo ego invincibiliter judico, quod non est Rex meus. Et probatur, quia in omni mortali est aversio à Deo: ergo si non esset Deus, videtur quod non esset mortale.

Item Apostolus: (1) *Ubi non est lex, neque prævaricatio.* Ubi per prævaricationem nihil aliud videtur intelligere, nisi peccatum: ergo ubi ignoratur lex invincibiliter, etiam non erit peccatum, quia idem videtur iudicium, quod non sit lex, & quod ignoretur. Et confirmatur, quia lex non obligat nisi promulgata: legesque instituantur cum promulgantur. Si ergo quis ignoret legem, non obligatur lege.

Item quia actus est bonus, vel malus in quantum est conformis, vel difformis rationi 2. Ethic. Sed ratio humana non habet vim obligandi, neque rationem legis nisi à lege divina: ergo qui propter ignorantiam excusatur à lege divina, etiam excusatur à lege rationis. Et confirmatur, quia leges humanæ non obligant nisi virtute legis divinæ, quia omnis potestas à domino Deo, ad Rom. 13. & Dominus in Evang. Joann. 19. *Non haberes potestatem adversus me ullam nisi tibi desuper esset datum:* ergo etiam neque ratio humana habet vim obligandi nisi à lege divina.

Item omne malum est malum, quia prohibitum à lege æterna: ergo si ignoratur lex æterna, videtur quod excuset à peccato: sed qui ignorat Deum, ignorat legem Dei, ut probatum est: ergo excusatur à peccato. Antecedens est S. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. ubi dicit, quod cum dicitur, quod non omne peccatum est malum,

Arg. 2.

Arg. 3.

(1)

Rom. 4.

Arg. 4.

Arg. 5.

lum, quia prohibitum, intelligitur prohibitum jure positivo. Sed omne peccatum est malum, quia prohibitum lege æterna. Item Illud Rom. 1. *Quia cum cognovissent Deum, &c.* Unde videtur, quod si non cognovissent, essent excusabiles.

Arg. 6.

Item, ut S. Thom. dicit illic ad quintum: Peccatum quidem à Philosophis consideratur ut est contra rationem, sed à Theologo ut est offensa Dei. Mirabile autem videtur, quod quis offendat Deum, quem neque cognoscit, neque tenetur cognoscere. Et confirmatur, quia ponamus, quod talis antequam cognoscat, aut possit cognoscere, sed incipiens inquirere, an sit Deus, necne, habeat tale propositum, si scirem esse Deum, ego vellem placere illi in omnibus, tunc videtur, quicquid faciat quòd excusetur.

Arg. 7.

Item si quis ignoret invincibiliter dominum, non tenetur præceptis domini: ergo qui ignorat Deum, non tenetur præceptis Dei.

Arg. 8.

Item habet ignorantiam invincibilem obligationis ad pœnam Inferni atque Purgatorii: ergo videtur quod saltem non imputetur ei peccatum.

Arg. 9.

Item facit illud: *Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent*: ergo à simili si non cognoscatur Deus, peccatum non habebunt hi. Ista & alia similia, quæ pro parte negativa afferri possent, certè non parum movere possunt ad suadendam partem negativam, quod scilicet antequam quis cognoscat, aut cognoscere possit Deum, non potest peccare.

Arg. pro parte affirm. 1. 2.

Pro parte autem affirmativa non oportet multa adducere, cum sit consensus omnium Doctorum, quod quicumque habet usum rationis, potest bene vel male agere.

Imò hoc videtur haberi ex diffinitione usus rationis, aut liberi arbitri: Probatum tamen, quia aliqui actus sunt intrinsecè mali, ut mendacium ex sententia Augustini, & Doctorum: ergo si fiat ab habente usum rationis, erit peccatum.

Arg. 10.

Item probatur apertè ex illo Psal. 4. Multi dicunt: *Quis offendit nobis vana? Signatum est super nos, &c.* Ubi videtur tolli excusatio ignorantia.

Arg. 11.

Item, aliàs prima principia non essent necessaria, putà:

tà: Non est sciendum alteri quod tibi non vis fieri, quia in tali casu omnia licerent, si non posset peccare.

Ad hoc non videtur omninò certum quid maximè dicendum sit, & si liceret more Jurisconsultorum nova dogmata asserere, & rem in discrimen vocare, non videtur absurdum defendere duas propositiones sequentes. Prima: Quicumque habet usum rationis, potest quàm primùm benè & malè agere & propriè peccare. Ista propositio satis probata est.

Secunda propositio: Quicumque non cognoscit, nec potest cognoscere Deum, non habet usum rationis.

Et sic de eo, de quo positum est dubium, tam primùm, quàm secundum, quàm tertium, diceremus, quod omnia ista dubia præsupponunt falsum, quod scilicet talis habet usum rationis, qui non potest cognoscere Deum, sed diceremus, quod est idem iudicium de illo, & de puero, & amente, neque benè, neque malè potest agere, & sicut suprà diximus quod quantuncunque quis habeat usum rationis in artificialibus, vel in quibuscunque aliis, si tamen non possit sufficienter deliberare de moribus, non habet simpliciter usum rationis, ut loquitur Theologus & Philosophus.

Ita videtur dicendum de eo, qui non cognoscit, neque potest cognoscere Deum, quod quantuncunque utatur ratione & consultet, nondum pervenit ad usum rationis, quia non potest deliberare de bono & malo: quia ut videtur sentire S. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 4. & q. 71. art. 6. nihil est bonum aut malum, nisi quia probatur, aut reprobatur in lege divina: & ideo qui non cognoscit legem divinam, deficit ei principium ad deliberandum de agendis, & sic nondum habet usum rationis. Et confirmaretur hoc, quia si per impossibile quis privaretur notitia principiorum circa agibilia, quantuncunque haberet principia speculativa scientiarum, imò & conclusiones, & omnes artes etiam mechanicas non diceretur habere usum rationis, ut certum est: ergo à simili, si non habet notitiam Dei, & illud est principium ad cognoscendum bonum & malum, quantuncunque talis sit sapiens in aliis, non diceretur habere usum rationis, sicut neque bruta animantia, etiam si discurrerent

de mediis ad finem, & haberent potestatem agendi, & non agendi, non dicerentur habere liberum arbitrium, quia non cognoscerent bonum, aut malum in moribus. Et possent ista confirmari ex illo ad Rom. 1. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: ita ut sint inexcusabiles.* Unde videtur, quod si non cognoscerent, essent excusabiles.

Neque video quàm posset hoc vehementer impugnari, neque quæ magna inconvenientia possent ex hoc sequi, & maximè, quia ut suprâ dictum est, providentia Dei factum est, ut hoc vel non possit contingere, vel brevî admodum tempore, ut non possit quis habere notitiam de Deo, nec videtur inconveniens, si quis parvula morula non sit capax boni aut mali, quantumvis in aliis bona intelligat.

Resp. affirm.

Sed quia hoc videtur Paradoxon, & non omnibus auribus placeret, & novum videretur, ideo ad dubium affirmativè respondeo per hanc propositionem: Antequam * aliquis aut cognoscat aut possit cognoscere Deum, potest peccare. 9 Ista propositio præter probationes jam positas adhuc potest probari, quia agere contra conscientiam est peccatum, juxta illud Pauli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* in tantum, ut etiam voluntas discordans à conscientia falsa, sit mala, ut omnes Doctores dicunt. Sed ignorans sic Deum, potest facere contra conscientiam, quia naturaliter homo judicat quòd est malum injuriam facere innocenti, parentes esse honorandos, &c. ergo potest malè agere, & per consequens peccare. Confirmatur, quia etiam Philosophi illi, vel qui negabant Deum esse, ut Diogenes, vel qui negabant saltèm quicquam ad Deos attinere facta hominum, ut Democritus, & Epicurus, dicebant tamen aliqua esse bona, alia mala, & peccata. Et alia laudabilia, & alia vituperabilia: ergo id non dependet ex notitia Dei.

Item aliàs nullum principium morale esset per se notum. Patet quia si sine cognitione Dei non potest cognosci neque bonum, neque malum morale, cum Deum esse non sit per se notum, nullum ergo principium esset per se notum in moribus. Item sequitur, quod quicun-

que

que non habet evidentiam, quod Deus est, non habet evidentiam de aliquo malo, aut peccato. Patet consequentia manifestè. Quia si perjurium esset manifestè peccatum, vel homicidium, pendet ex hoc principio, quòd Deus est: ergo qui non habet evidentiam de illo principio, neque de alio, scilicet quòd homicidium est peccatum, sicut non potest habere evidentiam majorem aut certitudinem de baptismo, quàm de Christo.

Ad rationes autem in contrarium Gregorius quidem Ariminensis in 3. dist. 34. tenet duo. Primum dato per impossibile, quod non esset Deus, adhuc esset peccatum, & malum morale. Secundum, dato, quod nulla esset lex prohibitiva divina, adhuc essent peccata. Infert corollarium, quod multa sunt peccata ita secundum se mala, quod non sunt mala, quia prohibita etiam lege divina, fundamentum ejus potissimum est, quia ad hoc, quod quis malè agat, satis est quod agat contra rectam rationem, sive humanam, sive Angelicam. Cum ergo hoc posset esse, etiam neque Deo, neque aliqua divina lege existente, consequens est illa duo dicta cum corollario esse vera. Item ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ sunt legis faciunt: ipsi enim sibi sunt lex*: ergo ratio sufficit. Et confirmatur, quia si nihil est malum nisi quia prohibitum, cum posset nihil esse prohibitum, posset nihil esse peccatum. Et sic odium Dei, & perjurium possent non esse mala.

Hanc tamen propositionem nullo modo puto probabilem: neque est mihi intelligibile quomodo aliquis peccet, si omnino non obligatur, neque video quomodo obligetur, si non habet superiorem. Atque adeò si vel Deus non esset, vel nihil præciperet, ego non dubito, quin nullum esset propriè peccatum aut malum morale, licet posset esse peccatum, sicut est in natura vel in arte: nec esset aliter malum quòd homo interficeret patrem, quàm quod lupus interficeret matrem: Quod videtur etiam probari: quia etiam in his, quæ de se mala sunt, si fiant auctoritate divina, desinunt esse mala, ut interficere innocentem: ergo signum est, quod tota bonitas, aut malitia dependet ex auctoritate divina. Et præterea omnis obligatio est ex lege, sed lex non potest fieri nisi à

communitate, vel superiori, ut dicit S. Thom. 1.2. q.9. art.2. ergo.

Ex quo infero, quòd Deus nullo modo obligari potest, quia non habet superiorem: neque potest certè explicari quid sit Deum obligari. Et item quicquid faciat pater ad extra quantuncunque constituerit legem, gratis omninò facit: ergo non obligatur, neque promissio divina, aut lex inducit propriè obligationem in Deum, sed certitudinem.

Secundò infero, quod licet benè asseratur à Theologis, quod sunt quædam quæ Deus non potest facere, ut pejerare, non servare promissum, & similia: tamen malè concedunt, quod si faceret, peccaret. Non enim sequitur per locum intrinsecum. Deus mentitur: ergo peccat. Non plusquam sequitur: Deus facit duo contradictoria: ergo peccat. Patet corollarium, quia non tenetur, nec obligatur, sed est eodem modo impossibile Deum mentiri, sicut non esse, vel mori, vel ægrotare.

Resp. vera.

Et ideo relicta imaginatione Gregorii, aliter dico ad argumenta facta cum S. Thom. 1.2. q.19. art.4. ad 3. quod * lex divina dupliciter potest considerari à nobis, 10 uno modo ut est in ipso Deo, & sic omninò est nobis ignota, neque hoc modo nos obligare posset. Alio modo prout nobis innotescit, vel per lumen naturale, vel per revelationem: & hoc modo non obligat.

Dico ergo, quòd ad hoc quod aliquis obligetur lege divina, non oportet ut formaliter sciat esse aliquam legem, vel legislatorem, vel à quo lata sit, sed satis est quòd sciat aliquid esse bonum, vel malum, etiam si ignoraret omnino causam quare est bonum vel malum, vel utrum sit prohibitum necne. Et sic talis qui ponitur sine cognitione Dei adhuc ex casu, postquam ponimus eum habentem usum rationis, cognoscit aliquid esse malum, aliud esse bonum, & hoc satis est, ut possit peccare, quia cognoscit aliquid esse vituperabile, & hoc est quia malum. Ut enim S. Thom. 1.2. q.21. art.2. dicit. Ex hoc actus est laudabilis vel culpabilis, quia est bonus vel malus.

Et hoc confirmatur apparenter, quia si ignorantia
Dei

Dei invincibilis omninò excusaret à peccato: ergo dato quod ignorantia esset culpabilis deobligaret ab aliis præceptis legis divinæ. Et qui omninò ex ignorantia crassa ignoraret Deum esse, non teneretur honorare parentes, neque diligere proximum. Consequens est absurdum, dicere videlicet, quod impii negantes Deum esse, solum peccarent illo peccato, & non fornicando, neque occidendo: ergo nullo modo est admittendum. Probo autem quod sequatur. Nam si ignorantes Christum invincibiliter omninò excusantur à culpa, ita etiam ignorantes vincibiliter, licet peccent illo peccato infidelitatis, tamen excusantur ab aliis præceptis Christi, ut de confessione, Eucharistia, & aliis. Neque Saraceni peccant, qui non confitentur, vel sumunt Eucharistiam: ergo etiam à simili si invincibilis ignorantia Dei excusat ab omni peccato: ergo ignorantia culpabilis Dei excusabit ab aliis peccatis contra legem divinam.

Et per hoc potest responderi ad omnia argumenta, & ideo persevero in conclusione supra posita, quod etiam ille, qui perveniens ad usum rationis, neque habet, neque potest habere notitiam de Deo, posset nihilominus peccare.

Sed ex alio capite arguitur, quòd perveniens ad usum rationis, non possit peccare saltèm pro primo instanti usus rationis, quantumcunque habeat notitiam Dei: & loquimur de eo, qui nutritus est & educatus in vera Religione. Et arguitur sic, maximè in via Sancti Thomæ, homo non potest peccare in primo instanti sui esse: ergo neque in primò instanti usus rationis. Antecedens est Sancti Thomæ, tum in multis aliis locis, tum in 1. p. q. 63. art. 5. Consequentia probatur, quia tempus præcedens usum rationis, videtur omninò pro nihilo reputandum, quantum ad bonitatem vel malitiam hominis spectat, nec videtur habere majorem potestatem homo per hoc, quòd priùs fuerit sine usu rationis, quàm si nunc inciperet esse cum usu rationis. Si ergo incipiens esse cum usu rationis, non potest peccare: nec ille, qui nunc primò pervenit ad usum rationis, poterit. Et confirmatur hoc: Sit puer quatuor annorum, cui Dominus pro hoc instanti acceleret usum ra-

*Arg. iterum
parte negat. 29*

tionis, & incipiat habere usum rationis, & sit alius quem Deus creet in eodem instanti cum simili usu rationis, certè nulla videtur ratio, quòd primus possit peccare, & non secundus. Et confirmatur secundò, quia si Adam non potuit peccare in primo instanti, in quo creatus est, nulla videtur ratio, si creasset per unam horam antè sine usu rationis, quòd hoc aliquid faceret, ut posset peccare, cum primùm habere usum rationis.

Arg. 2.

-m Secundò arguitur ratione S. Thom. quia primus actus creaturæ rationalis est ex inclinatione naturali: sed inclinatio naturalis non potest esse ad malum: ergo primus actus non potest esse malus. Major probatur, quia id, quod est per se, est prius eo, quod est per accidens, sed naturalia sunt per se: ergo primus actus est ex inclinatione naturali. Minor autem patet, quia inclinatio naturalis tribuitur generanti s. Phys. sicut motus gravium & levium: ergo si actus ex inclinatione naturali esset malus, tribueretur Deo.

-m Sed hoc argumentum videtur eodem modo procedere in primo instanti usus rationis, quia etiam primus actus tunc videtur esse ex inclinatione naturali, sicut in primo instanti sui esse: ergo etiam primus actus tunc non poterit esse peccatum. Et confirmatur, quia primus actus in perveniente ad usum rationis videtur quòd sit dilectio sui, sed illa non potest esse mala: ergo primus actus in instanti usus rationis non potest esse malus. Major videtur s. Ethic. *Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad se*: ergo primus actus est dilectio sui. Minor patet, quia diligere seipsum est, ex inclinatione naturali: ergo non potest esse mala.

-m His tamen non obstantibus dico, quòd perveniens ad usum rationis, in primo instanti potest peccare, quia est liber ad bonum & malum. Hoc enim importat liberum arbitrium. Est conclusio S. Thom. 1. 2. q. 89, art. 6. & omnium. Item aliàs sequeretur, quòd omnis talis perveniens ad usum rationis haberet necessariò gratiam sine sacramento, etiam Saracenus, vel Judæus. Patet, quia vel facit totum ad quod tenetur pro illo tempore, vel non: si non, ergo peccat in primo instanti, & habetur intentum principale. Si facit totum quod in se est

est ad quod tenetur: ergo recipit gratiam. Nam facienti totum quod in se est, Deus non deficit in necessariis ad salutem, ut est regula Theologorum: ergo.

Ad argumenta. Primò possem dicere concedendo, quòd idem est iudicium de primo instanti usus rationis, & simpliciter de primo instanti sui esse, & quòd Sanctus Thom. non intendit negare, quòd homo in primo instanti sui esse non possit peccare, sed solum quòd primus actus non possit esse peccatum. Secus autem per omissionem. Neque argumenta ejus aliud videntur probare: nunquam enim probat quin possit peccare per omissionem. Et sic dicerem de primo instanti usus rationis, quòd talis scilicet non potest peccare commissivè, sed benè omissivè. Et certè non est facile ponere differentiam, quantum ad hoc, inter primum instans usus rationis, & primum instans simpliciter.

*Ad hoc Arg.
resp. 1.*

Aliter dico, & fortè plus ad mentem Sancti Thomæ, negando consequentiam factam in argumento à primò instanti simpliciter, ad primum instans usus rationis. Et ratio differentiae est, quia qui nunc primò pervenit ad usum rationis, prius habuit multos actus intellectus & voluntatis: & dilexit se, & per consequens jam potest habere alios actus circa alia objecta, & sic potest habere actus malos. Quamvis enim actus ante usum rationis nihil faciant ad bonitatem aut malitiam, faciunt tamen ad ordinem actuum, ut scilicet possit quis habere aliquos actus cum pervenerit ad usum rationis, quos non posset habere, nisi illi præcessissent: notum enim est, quòd educatio ante usum rationis multum facit ad actus sequentes usum rationis, atque adeò per multum interest ad mores, qualis fuerit institutio ante usum rationis. Benè autem concedo, quòd si fieri posset ut creatus sine usu rationis nullum actum haberet ante usum rationis, omninò idem esset iudicium de illo, & simpliciter de primo instanti esse: nihil enim refert an sit primum instans simpliciter, an non, si prius nullum actum habuit. Et hoc de tertio dubio hujus secundae partis & quaestionis principalis.

Resp. 2.

Quartum dubium circa eandem quaestionem est: An
11* possit quis habere usum rationis ad peccandum venia-

Dub. 4.

liter, priusquam ad peccandum mortaliter, hoc est, an posset pervenire ad talem statum, ut sit sufficiens ad peccandum venialiter, & non ad peccandum mortaliter.

Arg. pro parte
affirm. 1.

Et videtur quod sic. Nam semiplena deliberatio sufficit ad peccandum venialiter, & non mortaliter. Sed potest quis imperfectè deliberare antequam hoc perfectè possit: ergo poterit peccare venialiter antequam posset mortaliter. Major conceditur ab omnibus Theologis. Et probatur manifestè de moribus subitis circa materiam moralem, qui propter defectum deliberationis non imputantur ad mortale. Minor verò probatur, quia major capacitas requiritur ad perfectè deliberandum, quam ad imperfectè.

Arg. 2.

Et hoc videtur sentire Jacobus cap. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Et confirmatur, quia post primum tempus usus rationis contingit frequenter in adulto ut habeat sufficientem notitiam ad peccandum venialiter, & non ad peccandum mortaliter, quare non ita poterit in primo instanti usus rationis contingere.

Arg. 3.

Item videtur, quòd aliquando ebrietas vel furia, relinquunt usum rationis imperfectum sufficientem ad veniale, & non ad mortale. Quare non poterit quis naturaliter venire ad illam dispositionem?

Arg. 4.

Item, hominem vehementer iratum excusamus sæpè à mortali circa materiam ex genere mortalem, & non à veniali, & non videtur, quin naturaliter quis posset pervenire ad similem dispositionem.

Arg. 5.

Item usus rationis acquiritur successivè: provenit enim ex transmutatione naturalium qualitatum, quæ non simul tota fit: ergo poterit prius habere usum rationis imperfectum, quam perfectum, & sic peccare venialiter.

Arg. 6.

Confirmatur ex S. Thom. 4. dist. 9. q. 1. art. 4. q. 1. ad 5. Ubi dicit, quòd consensus in pollutionem postquam quis evigilavit à somno aliquando quidem est mortalis, nempe si sit ex plena deliberatione: venialis verò, si sit ex surreptione. Unde patet, quòd postquam quis perdidit usum rationis, potest ita redire ad illum, ut prius veniat imperfectè, ita ut sufficiat ad peccandum venialiter, priusquam ad peccandum mortaliter, quod non est nisi post

postquam est plenè expergefactus : ergo omninò videtur, quod similiter carens usu rationis possit etiam illo modo pervenire ad usum rationis successivè : omninò enim videntur similes quantum ad hoc & dormiens , & puer.

His tamen non obstantibus dico negativè quod impossibile est , ut aliquis primò perveniat ad talem usum rationis , quod possit venialiter peccare , & non mortaliter.

Ista conclusio est S.Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. idem in 2. dist. 42. q. 1. art. 4. & probatur. Primò , quia materia peccatorum mortalium notior est , quàm venialium , ut notius est, quod homicidium , & perjurium sunt mala, quàm mendacium , vel verbum otiosum : ergo non potest quis ita esse dispositus , ut possit cognoscere venialia peccata, & nullum mortale. Item ut infra dicetur prima deliberatio non potest esse circa materiam particularem , ut puta circa mendacium , vel ludum , vel vanam gloriam , vel aliquid simile : sed necessarium est ut incipiat ab aliquo universali , puta , quod est lex , cui tenemur obedire , vel quod homo potest benè aut malè agere , & posita deliberatione tali in universali , sufficit ad mortaliter peccandum , & clarum est, quod prius est ut homo cognoscat quod est aliquod malum grave & aliquod leve , quàm quod mendacium est malum : Hoc enim per se non est notum , & præsupponit alias cognitiones sufficientes ad mortale. Item usus rationis , qui sufficit ad benè agendum , moraliter sufficit ad mortaliter peccandum : sed impossibile est ut quis habeat usum rationis ad peccandum venialiter , quin possit benè moraliter agere : ergo omnis talis potest mortaliter peccare. Major probatur , quia ad benè moraliter agendum , requiritur plena deliberatio : ut 2. Ethic. dicitur , quòd ad benè agendum oportet ut quis agat sciens , eligens , & propter hoc , prout sapiens determinaverit. Minor verò patet , quia si quis posset peccare , & non benè agere , daretur viator sine culpa sua in statu peccandi , & non merendi , quod videtur inconveniens. Et confirmatur , quia non potest ita perdi usus rationis , ut maneat sufficiens ad peccandum venialiter , & non mortaliter : ergo neque etiam ita acquiri. Antecedens probatur , quia nunquam damus amentem , neque auditum esse de quo putemus , quòd possit venialiter peccare & non mortaliter , neque talem qui pos-

fit venialiter peccare & non bene agere. Item probatur à posteriori, quia sequitur, quòd possit esse peccatum veniale cum solo originali, quòd infra ostendemus esse impossibile. S. Thom. 2. dist. 42. q. 1. art. 4. ad 7. sic dicit: *Si aliquid est sufficiens ad excusandum majus peccatum, multò amplius sufficit ad excusandum minus peccatum: Sed imperfectio ætatis excusat peccatum mortale: ergo multò amplius excusat veniale: Et ideo non potest esse quòd homo venialiter peccet ante illud tempus, quo usum rationis habet ut jam mortaliter possit peccare.*

Resp. ad
1. Arg.

Ad argumenta verò in contrarium dico ad primum, quòd nunquam aliquis semiplenè deliberat, quin possit plenè deliberare, licet sit difficilius, & sic posset mortaliter peccare. Et sic causa quare motus subiti sunt veniales, non est, quia non perfectè potest, qui eos habet, deliberare, sed quia non perfectè deliberat. Unde quantumcunque aliquis posset perfectè, imò faciliter deliberare circa materiam illecebrarum, si tamen non deliberat actu, nunquam est mortale, quantumcunque durent & perseverent illecebræ.

Secundò dico, quòd postquam aliquis plenè, & pluries deliberavit perfectè: Semiplenè deliberare, sed non antè. Nam imperfecta deliberatio præsupponit perfectam: Ex eo enim quòd quis primo cognoscit quòd homicidium est peccatum mortale, postea subito cognoscit esse malum, licet non consideret esse mortale.

Ad 2.

Ad secundum patet, quia vel nego, quòd talis possit perfectè deliberare: vel non est simile, quia in adulto præcessit plena deliberatio, & ideo nunc potest esse semiplena, sed non ita est de alio.

Ad 3.

Ad tertium de ebrio, licet etiam posset dici, quòd non est simile, quia in ebrio præcessit deliberatio perfecta; sed melius nego, quòd hoc possit contingere: impossibile est enim quòd cognoscat mendacium esse peccatum, & non perjurium, vel homicidium, ut declaratum est.

Ad 4.

Ad quartum patet per idem, quia excusatur, quia non deliberat, non quin est possit deliberare, aliàs esset amens.

Ad 5.

Ad quintum primò transeat assumptum, sed prius est circa materias universales quam particulares & prius circa materias graviores, quam leviores.

Secundò dico, & veriùs, quòd omninò est impossibi-
le, ut quis habeat usum rationis ad deliberandum in una
materia, quin etiam possit deliberare de quacunque ma-
teria quæ se offeret. Clarum est enim quod si quis semel
cognoscit quod potest benè, & malè agere de quacun-
que materia agendorum oblata, poterit dubitare an sit
bona, vel mala, & per consequens cogitare an sit bonum
scilicet, an malum: & simile est ac si quis diceret, quòd
aliquis Dialecticus potest nectere syllogismum ex materia
physica, & non mathematica.

Ad sextùm etiam patet ex dictis, nam talis potest de-
liberare perfectè, sed non deliberat. Et item, ut dictum
est, non est simile, quia jam præcessit deliberatio per-
fecta: Et præterea omnia argumenta præsupponunt fal-
sum, scilicet quòd detur tempus, in quo quis potest pri-
mò deliberare & non deliberat, cujus oppositum supra
probatum est. Hæc de 2. quæstione principali, & 2. par-
te relectionis.

Ad 6.

TERTIÆ PARTIS HUIUS RELECTIONIS.

SUMMA.

1. Tertia quæstio principalis: ad quid teneatur homo cum primùm pervenit ad usum rationis.
2. Ad usum rationis perveniens, non tenetur se convertere in Deum explicitè & distinctè & formaliter.
3. Ad usum rationis perveniens ad actum aliquem teneatur statim.
4. Ad usum rationis perveniens tenetur se convertere in bonum, eo modo quo tunc potest, id est conformiter ad cognitionem quam habet.

SEquitur tertia pars: Et * quæstio principalis hujus re-
lectionis. An quid teneatur homo cum primùm per-
venit ad primum instans usus rationis. Et intelligo quæ-
stionem per se loquendo, id est ex eo solùm, quod per-
venit ad usum rationis, excludendo à quæstione, si tunc
occurrat per accidens necessitas implendi aliquod præ-
ceptum particulare.

Quæst.

Arg. pro parte neg. 1.

Et videtur quod non teneatur aliquo præcepto, pro illo primo instanti usus rationis, & loquamur generaliter de omni tali ad usum rationis veniente. Arguitur ergo primò ad partem negativam, quia saltèm loquendo de eo, qui non sit institutus a sapientibus, omninò ignoraret, neque posset scire tale præceptum, cum non sit per se notum: ergo non tenebitur pro tali instanti.

Arg. 2.

Item confirmatur: Quia tale præceptum est in dubio etiam inter sapientes Theologos: multi enim tenent partem negativam: ergo saltèm indiget quis tempore ad sciendum illud præceptum, & sic non obligatur in primo instanti.

Arg. 3.

Item nullus potest scire quando primò pervenit ad usum rationis: ergo non potest scire quando obligatur tali præcepto. Antecedens est manifestum: quis enim unquam notavit, ego nunc primò habeo usum rationis? Imò neque per aliquantam differentiam & spatium temporis.

Arg. 4.

Item, transacto illo primo instanti, non tenetur statim etiam si tunc omisserit: ergo neque in illo.

Arg. 5.

Item, qui est in peccato mortali, non tenetur statim se convertere in Deum: ergo neque ille qui est in originali, & multò minùs qui est baptizatus, tenetur se convertere in Deum in primo instanti usus rationis.

Arg. 6.

Et confirmatur ultimo, quia nullus etiam de numero eorum, qui timent Deum, & sunt solliciti de salute sua, sentit conscientiam de tali transgressione, neque poenitet, aut confitetur de illa, cum tamen nemo sit qui audeat affirmare se implese tale præceptum: ergo non est ponendum tale præceptum.

In contrarium est, quia si pro illo instanti non obligatur ille, cum non sit major ratio de tempore sequenti, eadem ratione nunquam obligabitur: quòd non videtur dicendum.

Neque videtur sufficiens solutio communis, quòd tenetur semel in vita. Hoc enim est absurdum dicere, quòd Adam aut Mathusalen, qui ferè millenos annos vixerunt, possent nongentos annos licitè transigere sine fide, aut dilectione Dei. Neque item satisfacit alia solutio, quòd dantur induciæ, nam ex jure naturali non possunt determinari tales induciæ, jure autem positivo multò minùs.

Resp. ad quæst.

Respondetur primò profectò nihil exploratum potest

ha-

haberi, neque ex Scripturis, neque ex Dōctoribus in hac quæstione quia quicquid dicatur, videntur sequi non levia inconvenientia, neque expediri facile possunt argumenta. Sed quod verisimilius videtur, dicam paucis propositionibus.

- 2 Prima: Non * quilibet perveniens ad usum rationis tenetur se convertere in Deum explicitè, distinctè, & formaliter. Ista propositio est expressè Cajet. 2. 2. q. 10. art. 4. ubi dicit expressè, quod ad diligendum Deum explicitè ut finem naturæ & universi non tenetur homo semper, cum sit præceptum affirmativum, neque statim, quia non tenetur prius diligere, quam cognoscere. Constat autem, quod post multum temporis advenit homini ista cognitio, naturaliter loquendo: Eandem tenet 1. 2. q. 89. art. 6. & probatur efficaciter ex ratione Cajet. & ex aliis rationibus suprâ positis, quibus probatum est, quod homo non statim postquam pervenit ad usum rationis, potest cognoscere Deum, quia nullus obligatur ad impossibile, ut ait Hieronymus, & certum est: ergo homo non tenetur statim diligere Deum. Item procedit argumentum statim factum quia non omnes sciunt, neque possunt scire tale præceptum statim.

Item nusquam legitur hoc præceptum: ergo temerè asseritur. Assumptum probatur, quia vel esset illud: *Convertimini ad me*. Quod habetur & apud Hierem. & Oseam, & Ezech. & Iohalem, & alios Prophetas, vel ex illo præcepto: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quod habetur Deut. 6. & Matth. 22. & Luc. 10. Sed primum, ut dictum est, obligatio non est ut impossibile. Secundò illud præceptum: *Convertimini ad me*, ut patet ex propriis locis, fit ad peccatores in actualibus peccatis existentes. Item ubi habetur, quod illud præceptum obligat statim potius, quam alia præcepta affirmativa? Item illud præceptum expressè est de pœnitentia, ut patet in locis suis, quia in omnibus locis ponitur: *Agite pœnitentiam, vel in jejuniis, flectu, & planctu, vel à viis vestris pessimis, &c.* sed ad pœnitentiam, ut est communis sententia omnium, non tenetur aliquis statim: ergo nec etiam statim ante peccatum. Aliud verò præceptum de dilectione Dei refellitur eisdem argumentis.

Item

Item non tenetur quilibet statim credere: ergo neque converti. Consequentia est nota ex Paulo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Antecedens patet ex eodem Paulo ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Sed non quilibet statim potest habere prædicatorem: ergo neque credere. Et confirmatur ex eodem loco Pauli: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Sed de hoc plura in 4. quæstione. Oppositum hujus propositionis tenet Capreolus 2. dist. 40. quæst. unic. ad argum. Scoti contra 2. conclus. ubi videtur tenere, quòd statim, quòd aliquis pervenit ad usum rationis, refert se & sua, in suum Deum, aut peccat moraliter. Et putat se probare ex S. Thom. sed certè non probat.

Secunda propositio: Omnis * talis tenetur ad actum aliquem statim. Ista propositio non videtur ita certa, sed est probabilis, licet sit contra communem sententiam Scholasticorum. Et est S. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 6. & 2. dist. 42. q. 1. art. 5, ad 7. ubi dicit, quòd statim quòd homo usum rationis habet, si faciat quòd in se est, Deus ei gratiam infundit; si autem non, peccat mortaliter, quia tunc tempus est, ut de sua salute cogitet, & ei operam det. Ista propositio primò probatur ratione S. Thom. ubi suprà, quia omninò est gravissima negligentia, quòd aliquis non disponat de ratione vitæ suæ, ex qua dependet salus & damnatio ejus: Et cùm statim oportet aut benè, aut malè agere, neque homo possit suas actiones suspendere universaliter videtur, quòd statim oportet disponere de summa vitæ, & de agendis: aliàs videtur gravissima negligentia. Item si quis haberet curam alterius quo ad omnes actiones ejus: & dependeret ex eo salus vel perditio illius, videtur quòd peccaret mortaliter, si non statim provideret de salute alterius, si statim posset alius periclitari: ergo multo majori ratione videtur quod obligetur de seipso. Item à posteriori, quia aliàs sequitur, quòd aliquis habens usum rationis fecit totum quod debuit in tota vita sua, & tamen damnabitur. Consequens non videtur concedendum: ergo neque id, &c. Consequentia patet manifestè de illo, qui pervenit ad usum rationis in peccato originali qui si nul-

lum

lum actum tenetur habere statim : ergo si se habet negativè, & moriatur, jam patet quòd fecit totum, ad quòd tenebatur, & tamen damnabitur. Et confirmatur, ille ergo servavit omnia mandata, & tamen non salvabitur : ergo non esset universaliter verum, quòd Dominus dicit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item si non tenetur statim : ergo poterit tunc solum peccare venialiter, & tunc si ille sit in peccato originali, erit cum solo veniali & originali, quòd videtur inconveniens, quia non puniretur in Limbo, quia non habet poenam sensus, neque in Purgatorio, quia est via ad gloriam : neque in Inferno, quia non est in mortali.

4 Tertia propositio: Talis* tenetur se convertere in bonum eo modo, quo potest tunc, id est conformiter ad cognitionem, quam habet. Ista probatur ex præcedenti : quia si tenetur ad aliquem actum non potest esse ignotum : ergo oportet quòd sit conformiter ad cognitionem quam habet. Pro quo est considerandum, quòd (ut supra tactum est) prima deliberatio non potest esse circa particularem materiam moralem, quia necesse est intellectum à notioribus procedere 1. Phys. & sicut simpliciter in cognitione ens est prius notum, quam species, aut genera entis, ita in cognitione practica principia universalialia & conclusiones etiam magis universales, sunt magis notæ, & oportet intellectum ab illis incipere, ut est illud principium : Oportet vivere conformiter ad rectam rationem : Expedi homini honestè vivere : Non est facienda injuria, vel aliquod hujusmodi, quòd potest esse notum lumine naturali, etiam apud illum, qui educatus est sine notitia, & Religione Dei, vel apud eum, qui est institutus cum aliqua Religione Dei, aliquod tale principium, ut colendus est Deus à me. Oportet me servare legem Dei : Non licet agere contra præceptum Dei, vel aliquid simile. Est enim impossibile, ut prima cognitio, vel deliberatio sit de eleemosyna, aut de temperantia, vel contra de furto, homicidio, vel perjurio.

Dico ergo, quòd cum primùm homo habet tale iudicium sufficienter deliberatum, tenetur habere propositum benè agendi conformiter ad illud iudicium : & si

cognoscat Deum, tenetur formaliter converti in Deum, puta, volo, aut propono servare legem Dei, volo colere Deum; si autem non cognoscat, satis est ut proponat benè vivere conformiter ad dictamen: ut propono vivere secundum rationem: Volo honestè agere: Nolo malè agere. Hoc expressè dicit S. Thom. *de Veritate*, q. 14. art. 11. ad 1. ubi dicit de eo, qui nutritus esset in Sylvis, quòd si faciat quod in se est, ad providentiam Dei spectat subvenire in necessariis, & declarat quid sit facere, quod est in se, dicens, quod est sequi dictamen legis naturalis cum appetitu boni, & fuga mali, & quòd hoc sufficit, constat manifestè ex dictis. Neque obstat quod quidam dicunt, quòd si hoc faciat, jam Dominus illuminabit eum de fide. Quicquid enim sit de hoc, de quo statim dicam, saltèm prius est hoc ipsum facere, quòd in se est, quàm quòd illuminetur, & sic illa illuminatio non spectabit ad primùm tempus usus rationis.

Et confirmatur ista conclusio cum præcedente, nam quilibet tenetur recipere fidem & legem Christi, cum primùm ei fuerit sufficienter promulgata, neque liceret alicui differre in certum tempus, neque satis esset acceptare semel in vita, sed tenetur, statim proponere vivere in lege Christi, & ipsum colere: ergo etiam cum primùm ei est promulgata lex naturalis, tenetur eam recipere, sed non recipit, nisi per propositum servandi illam, & vivendi conformiter ad legem: ergo tenetur habere tale propositum. Consequentia videtur nota, quia non minus obligat lex naturalis, quam Christiana, cum sit æquè divina. Promulgatur autem lex naturalis per hoc, quòd aliquis cognoscit, quòd vivendum est conformiter ad rectam rationem, ut quod nocendum non est proximo, vel aliquid simile.

Et confirmatur iterùm, quia videtur impossibile, ut quis deliberet de vita & salute sua, & cognoscat quòd expedit sibi ad benè esse, vel ad felicitatem, ut benè vivat, & vitet malum, ut non faciat injuriam, & quòd suspendat actum voluntatis, & non proponat vel sic, vel aliter vivere. Neque puto, ut quisquam, etiam de industria, hoc possit facere, scilicet suspendere omnem actum voluntatis cum tali deliberatione. Prima autem

cogitatio, quæ occurrit in primo instanti usus rationis, est, ut cogitet in genere, & in universali de salute sua, ut S. Thom. dicit 1.2. quæst. 89. art. 6. id est de bene esse suæ salutis, vel quid in communi expediat ei: si ergo videtur impossibile ut non habeat actum, & non licet habere actum aversivum à bono: ergo oportet quòd habeat actum conversivum ad bonum.

Ex dictis sequitur corollarium, quòd non solum apud eum, qui nullo modo cognoscit Deum sufficit talis conversio ad bonum etiam, sine Dei notitia, sed etiam aliquando apud eum, qui sit bene educatus in Religione, & cultu Dei. Patet, quia dato quod sit institutus in fide, potest fieri prima deliberatio per solum lumen naturale, & conversio etiam illo modo sufficit. Ad hunc ergo sensum intelligenda est celebrata opinio S. Thom. de conversione in Deum in primo instanti usus rationis, qui nihil aliud vult habere, nisi quod cum primum quis actus cogitat & deliberat de vita sua, oportet ut habeat propositum ad bonum, sive in universali, sive etiam divinum conformiter ad cognitionem. Et hoc modo erit probabilis & consona rationi sententia. Et hæc est conclusio non solum Theologorum, sed Philosophorum etiam sententiis celebrata, de qua nobilem illam fabulam veteres prodiderunt, de illo nobili Hercule: cum ille scilicet ad hoc ætatis pervenisset, de quo in præsentia disputamus, & sollicitus esset utram viam potius sequeretur virtutis & laborum, an voluptatis & desidiæ, duas illi matronas subito astitisse, virtutem scilicet ac voluptatem, variisque incitamentis & suasionibus utramque conatam ut ad se animum Herculis polliceret, sed vicisse tandem, ut par erat virtutem, atque Herculem in suam sententiam & contubernium traxisset. Simile ergo est quod S. Thom. vult & docet, ut cum scilicet primo quis sollicitus est, ac deliberat, utrum potius sequatur bonum an malum, vitia, an virtutes, non se expediat ab eo consilio, & deliberatione priusquam constituat ac proponat meliorem partem, id est virtutem, potius sequi.

Et ad hoc præceptum conversionis tenentur non solum, qui ad tale tempus perveniunt sine gratia, sed etiam baptizati, qui gratiam habent: præceptis enim non satisfac-

facit quis per gratiam, aut omninò per aliquem habitum, sed per actum.

*Resp. ad tria
Arg.*

Ad argumenta in contrarium. Ad primum dico, quod perveniens ad usum rationis ignorat hoc præceptum sub illa lege: *Convertimini ad me*, in primo instanti usus rationis, vel alia simili forma, sed cognoscit, quòd oportet servare legem Dei, vel oportet vivere secundum rectam rationem, vel hujusmodi iudicium, quia est ista prima deliberatio, & per hoc patet ad prima tria argumenta.

Ad 4.

Ad quartum concedo, quòd postea non tenetur, quia jam est transgressus illud præceptum, licet posset dici, quod semper tenetur quousque impleat.

Ad 5.

Ad quintum nego consequentiam.

Ad 6.

Ad sextum dico, quod ut dictum est, est impossibile, vel valdè difficile, ut sic deliberans non habeat vel bonum propositum, vel malum, & si habeat malum, jam de eo pœnitet. Si quis enim habuit propositum non servandi legem Dei, pœniteat de illo.

FINIS.



INDEX RERUM, ET VERBORUM locupletissimus Tomi Primi.

A

- A**bbatissæ, & aliæ Monasteriorum, & Virginum Matres, nullam habent potestatem, nec jurisdictionem spirituales, num. 4. fol. 89.
- Abel videtur fuisse Sacerdos, n. 2. 31.
- Amens, an possit esse domus. 22. 200.
- Apostoli omnes habuerunt potestatem ordinis, & jurisdictionis, n. 7. fol. 19.
- Apostoli, an æqualem acceperint cum Petro potestatem, n. 10. f. 93.
- Apostoli Domini quam potestatem, & auctoritatem habuerint in Ecclesia, n. 7. fol. 7.
- Apostoli omnes, an habuerint potestatem immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alii à Petro, n. 8. f. 91.
- Apostoli, non solum potuerunt relinquere sibi successores, sed etiam quilibet successorum eorum potuit similiter sibi relinquere successorem, n. 28. f. 106.
- Apostolorum aliorum quilibet à Petro, potuit relinquere successorem licet non universalem, saltem in quacumque Provincia voluisset, qui esset verus Episcopus illius Provinciæ, n. 27. f. 105.
- Apostolis aliis successit nemo cum æquali potestate, & auctoritate jurisdictionis, n. 26. f. 105.
- Autoris sententia pro dubio, an

Princeps secularis possit ponere impedimentum matrimonio, numer. 2. fol. 305.

- Authoritas perfecta, & propriè spiritualis, tota incepit ab adventu Christi, qui fuit primus Author, & dator clavium, & potestatis spiritualis, n. 8. fol. 35.
- Authoritas, seu dignitas præcipua in Ecclesia duplex, n. 10. fol. 7.
- Authoritas propriè, & perfectè spiritualis (quæ sunt claves regni Cælorum) nunquam fuit in lege naturæ, nec in lege scripta, ante nostri Redemptoris adventum, 5. 33.

B

- B**aptismi, & poenitentia discrimen quantum ad dispositionem, 7. & seq. 19. & seq.
- Barbari, an priusquam aliquid audissent de Fide Christi, peccarent peccato infidelitatis, eo quod non crederent Christo, n. 8. f. 217.
- Barbari, an ad primum Fidei Christianæ nuntium teneantur credere, ita quod peccent mortaliter, non credentes Christo, solum per simplicem annuntiationem, &c. n. 104. fol. 220.
- Barbari Indi quomodo in ditionem Hispanorum venire potuerunt propter tyrannidem, n. 15. f. 241.
- Barbari Indi potuerunt in Hispano-

- rum ditionem venisse per veram, & voluntariam electionem, n. 16. fol. 242.
- Barbari quando tenerentur recipere Christi Fidem sub mortalis peccati poena, n. 13. f. 222.
- Barbari, causa Religionis Christianae propagandae potuerunt in Hispanorum ditionem venire. Et Christiani habent jus praedicandi, & annuntiandi Evangelium in Provinciis barbarorum, n. 9. f. 236.
- Barbari, non sunt debellandi, neque eorum bonis privandi, si permittant Hispanos liberè, & sine impedimento Evangelium praedicare sive illi fidem recipiant, sive non, n. 11. f. 239.
- Barbari, in Hispanorum venire potuerunt ditionem: quia cum bona pars eorum esset ad Christum conversa, & Papa, illis petentibus, aut non petentibus, potuit ex rationabili causa dare illis Christianum Principem, ut est Hispanorum Rex, aliis dominis infidelibus repulsis, n. 14. f. 240.
- Barbari, societatis, & amicitiae titulo potuerunt venire in ditionem Hispanorum, n. 17. f. 243.
- Barbari, nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediuntur quin sint veri domini tam publicè, quam privatim, n. 19. f. 197.
- Barbari, amentiae praetextu non impediuntur esse veri domini, cum non sint amentes, n. 23. f. 200.
- Barbari quomodo potuerunt venire in ditionem Hispanorum ratione naturalis societatis, & communitatis, n. 1. f. 231.
- Barbari, quomodo potuerunt in Hispanorum ditionem venire, eo quod cum essent conversi, & Christiani effecti, eorum Principes vi, aut metu volentes eos ab idololatria revocare, ab Hispanis fuerint protecti, & sub eorum tutela recepti, n. 13. f. 240.
- Barbari rogati, & admoniti, ut audiant pacificè loquentes de Religione, quomodo si nolint non excusentur à peccato mortali, n. 12. fol. 222.
- Barbari, si nolint cognoscere dominium aliquod Papae, non ob id possit eis bellum inferri, & illorum bona occupari, n. 7. f. 214.
- Barbari, si vellent prohibere Hispanos quominus exercerent cum illis commercia, &c. quid esset agendum, n. 6. f. 235.
- Barbari, sive eorum domini, sive ipsa multitudo, impediunt Evangelii promulgationem, quomodo ab Hispanis (absque scandalo tamen) possint coerceri. Et quid dicendum de his, qui praedicationem admittunt, conversionem tamen, aut interficientes, vel punientes, sive terrentes ad Christum convertos impediunt, n. 12. f. 239.
- Barbaris, an haecenus ita proposita, & annuntiata fuerit Fides Christiana, ut teneantur credere sub novo peccato, non satis licet secundum auctorem, n. 14. f. 223.
- Barbaris, & si quantumcumque Fides annuntiata probabiliter, & sufficien-

cienter fuerit, & noluerint eam recipere, non tamen ob id licet eos bello persequi, & bonis suis spoliare, n. 15. f. 223.

Barbaris, non licet prohibere Hispanos à communicatione, & participatione illorum, quæ apud eos sunt communia tam civibus, quàm hospitibus, n. 4. f. 234.

Barbaris, si simpliciter annuntietur, & proponeretur, & nolent statim recipere, hac ratione non possent Hispani illis bellum inferre, neque jure belli contra eos agere, n. 11. f. 221.

Bellum gerendi, aut indicendi apud quem sit autoritas, n. 2. f. 253.

Bellum, an possit ex utraque parte esse justum. Ex quo modo seclusa ignorantia hoc non possit contingere, n. 32. f. 266.

Bellum defensivum quilibet possit suscipere, & gerere etiam privatus, n. 3. f. 253.

Bellum gerendi, aut incendendi penes quem sit autoritas, n. 2. f. 253.

Bellum, quando nullum esset justum, n. 13. f. 123. & 257.

Bellum, si satis commodè geri potest non spoliando Agricolas, aut alios innocentes, videtur non licere eos spoliare. Et quid dicendum de peregrinis, & hospitibus, qui sunt apud hostes, n. 40. f. 270.

Bellum, ut dicatur justum, non semper est satis Principem credere se habere justam causam, 20. 260.

Belli causas examinare, qui non teneantur, sed possint fide adhibita majoribus, licitè militare, 25. 262.

Belli justii, quæ possit esse ratio, & causa. Et quod justii belli causa non sit diversitas Religionis, 10. 256.

Belli, quod non sit causa justa Imperii amplificatio, n. 11. f. 256.

Belli justitia, si sit dubia, quid faciendum. Et quomodo si Princeps unus sit in legitima possessione, manente dubio, non possit alius bello, & armis repetere, 27. 262.

Belli justitia est summopere, & magna cum diligentia examinanda, n. 21. fol. 260.

Bello justo, licet occupare ex bonis hostium impensam belli, & omnia damna ab hostibus injustè illata, n. 17. f. 258.

Bello justo licet recuperare omnes res perditas, & illarum partem, n. 16. f. 258.

Bello justo existente, licet omnia facere quæ ad defensionem boni publici sunt necessaria, n. 15. f. 258.

Bigamiae dispensatio, 140. & seq.

C

Canon, sive regula universalis observanda, si ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oriatur matrimonium, 9. 297.

Canones, seu regulæ belligerandi describuntur, n. 60. f. 279.

Capta in bello justo, utrum fiant captivorum, & occupantium. Et quomodo capta in justo bello usque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per injuriam, & etiam impensarum fiant occupantium, n. 50. fol. 275.

- Captivos**, aut deditos, an liceat interficere, supposito quòd etiam fuerunt nocentes, n. 49. f. 275.
- Christiani**, an sint liberi, n. 13. f. 9. & 10.
- Christianorum** nullus præter mulieres excluditur à potestate Ecclesiastica, n. 6. f. 90.
- Christus**, an totius orbis fuerit Dominus, n. 15. f. 53. & seq.
- Christus** in quantum homo habuit potestatem remittendi peccata, & quomodo sæpè usus fuerit ea, imò & eam tradiderit Apostolis. Et de remissione peccatorum per claves Ecclesiæ traditas, n. 4. f. 15.
- Christus** dono Dei non habuit dominium temporale, quale est dominium Principum, n. 17. f. 55.
- Christus** an fuerit Rex hæreditaria successione, n. 16. f. 55.
- Christi** Regnum in toto orbe quo titulo fuit, n. 18. f. 56.
- Christus**, quando claves dederit Apostolis, variaz sententiaz recensentur, n. 9. f. 37.
- Christiani**, an sint aliqui quibus convenire non possit potestas Ecclesiastica, n. 2. f. 87.
- Christiani** omnes, nec sunt Sacerdotes, nec omnes æquales, sed est ordo in Ecclesia, & gradus Ecclesiasticæ potestatis, n. 1. f. 84.
- Christianis** licet militare, & bella gerere, n. 1. f. 251.
- Civitas**, aut Provincia, de qua dubitatur, an habeat legitimum possessorem, maximè si est deserta morte legitimi domini, &c. quid in tali casu sit agendum, 28. 263.
- Civitatum**, rerumque publicarum fons, & origo, non fuit inventum hominum, sed tanquàm à natura profectum, n. 5. f. 115.
- Claves Ecclesiæ**, solæ sufficiunt ad salutem, & ad aperiendum Regnum Cælorum, ubi nulla alia via esset apertum, n. 7. f. 19.
- Claves Regni Cælorum**: potestas remittendi peccata, & excommunicandi, consecrandi, &c. sunt in Ecclesia, n. 6. f. 18.
- Clavibus Ecclesiæ** remittuntur peccata, n. 3. f. 14. & seq.
- Claves**, quando datæ sunt, n. 9. f. 37.
- Clavi** utrique adimunt hæretici effectum verè spiritualem, n. 2. f. 13.
- Clericorum** aliqua exemptio à potestate seculari, est de jure divino, n. 3. f. 61.
- Clericorum** exemptio, maximè quoad personas, itaque nec judicari, nec puniri à seculari potestate possint, est multum conformis juri divino, & naturali, n. 6. f. 64.
- Clericorum** exemptio, sive sit de jure divino, sive non, potest à Principe seculari hujusmodi libertas, vel exemptio tolli, n. 7. f. 65.
- Clericorum** libertas, si esset in manifestam Reipublicæ perniciem, & Pontifices nollent remedium adhibere, quid agendum, n. 8. f. 65.
- Clericorum** personæ, non omnino, & quoad omnia sunt exemptæ à potestate civili, nec jure divino, nec humano, n. 4. f. 63.
- Clericorum**, non omnis exemptio est de jure divino, n. 2. f. 59.
- Conciliū** facta determinatione, quòd nun-

D

- N**unquam in aliqua lege Ecclesiastica dispensetur, an liceret unquam Papæ dispensare in tali lege, & utrum dispensando ex quacunque causa, peccaret mortaliter, n. 12. f. 160.
- C**oncilium quæ maximè debeat cavere, si quando decretum aliquod esset faciendum, ut Papæ auctoritas illibata conservetur, n. 25. f. 181.
- C**oncilium, quando, & in quo casu posset convocari, & congregari contra voluntatem Papæ, n. 24. f. 180.
- C**oncilium, quando, & in quo casu posse declarare, & determinare, & etiam statuere, ut in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur, n. 10. f. 160.
- C**oncilium videtur non posse errare in determinatione, quòd in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur, n. 11. f. 160.
- C**oncilium, si declarat aliquod esse de Fide, aut de jure divino, Papa in hoc nihil possit immutare, maximè si tale jus spectet ad fidem, vel ad mores Ecclesiæ universalis, n. 2. f. 147.
- C**ondemnatione facta etiam post mortem hæretici, retroagitur confiscatio ad tempus commissi criminis, ad quamcunque pervenerit potestatem, n. 12. f. 196.
- C**onsensus inter virum, & foeminam, an sit de ratione matrimonii, n. 4. fol. 285.
- C**ontritio, quid importet, n. 8. f. 21. & sequent.
- D**ecretum, si fieret à Concilio quòd in aliquibus legibus ecclesiasticis nunquam dispensaretur, tale decretum non deberet apponi in multis legibus, sed solum in paucis, hisque gravissimis, & valde necessariis, n. 13. f. 168.
- D**ecreto facto per consilium, quod in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur. Si illo non obstante Papa dispensaret, utrum teneret factum, licet male faceret, n. 14. f. 168.
- D**eus, quomodo universalis Ecclesiæ duas instituerit dignitates, n. 11. fol. 8. *De Diopemate vide in pag. 136.*
- D**olor, qualis sufficiat ad remissionem peccatorum cum quibus, *ad 18.* n. 10. f. 23.
- D**olor, quando non dicatur contritio, n. 9. f. 21.
- D**ominium, utrum perdatur ratione infidelitatis, n. 7. f. 192.
- D**ominii ut quis sit capax, an usus rationis requiratur, n. 20. f. 197.
- D**ubitans de jure suo, etiamsi pacificè possideat, quomodo examinare teneatur. Diligenter causam, si fortè possit certum scire, vel pro se, vel pro alio, n. 29. f. 264.
- D**ubius in rebus, quomodo post consultationem rei dubiæ debeat sequi id, quod definitum fuerit à sapientibus esse illicitum, etiam si aliàs esset licitum, n. 2. f. 189.
- D**ubius in rebus, si post consultationem rei dubiæ definiatur à sapientibus illud esse licitum, quod alià

- alias est illicitum, ut sit tutus in conscientia an debeat sequi sententiam illorum, n. 3. f. 189.
- Dubius in rebus, ut sit tutus in conscientia, quomodo debeat consultare illos, ad quos spectat hæc docere, n. 1. f. 189.
- Ducere relictam fratris sine liberis defuncti, ut in causa Regum Anglorum contingit, nunquam fuit prohibitum jure divino legis veteris, n. 9. f. 321.
- Ducere uxorem fratris defuncti, non est prohibitum lege naturæ, n. 8. fol. 318.
- Deus ea sapientia, qua constituit in naturalibus, ut inferiora regerentur à superioribus, eadem etiam providit, ut in Ecclesia sua ordo rerum esset circa dignitates, & officia, n. 13. f. 10.
- E**
- E**cclēsia, ex quibus constet, n. 5. fol. 75.
- Ecclesiæ inest aliqua potestas, & auctoritas temporalis in toto orbe, n. 11. f. 49.
- Ecclesiæ nomen, & acceptiones, n. 1. & 2. f. 2.
- Ecclesiæ, & Synagogæ discrimen, n. 2. fol. 2. & seq.
- Ecclesiæ nomine quid significetur, n. 6. f. 78.
- Ecclesiastici, jure sunt exempti, & liberi à potestate civili, n. 1. f. 59.
- Ecclesia, sicut aliquas personas sua auctoritate reddit illegitimas ad contrahendum, an Princeps hoc possit facere, n. 1. f. 302.
- Ecclesia, utrum præter civilem, & laicam potestatem necessario habeat etiam aliam spiritualem, n. 3. f. 5.
- Ecclesiasticæ personæ, licet non essent exemptæ jure Divino, aut Cæsareo, summus Pontifex potuit eas eximere à potestate civili, 5. 63.
- Electio summi Pontificis deficientibus Cardinalibus, &c. quòd non videtur spectare ad totum Clerum, n. 20. f. 102.
- Electio summi Pontificis ad quem spectaret Cardinalibus deficientibus, negligentibus, aut perniciosè inter se dissidentibus, n. 19. f. 102.
- Eligendi summum Pontificem ratio, quæ nunc servatur in Ecclesia non est de jure divino, n. 24. f. 102.
- Eligendi ratio summum Pontificem est ex constitutione, & auctoritate Ecclesiæ, aut summorum Pontificum, quæ eadem est, & eadem auctoritate mutari posset, 25. 104.
- Episcopus quilibet in sua Provincia potuit condere legem ut Presbyteri eligerent Episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiam Sede Petri inconsulta, n. 29. fol. 107. & seq.
- Error duplex eorum, qui dicunt virtute clavium non verè remitti peccata, sed solùm ostendi remissa, n. 5. f. 18.
- Error quorundam recensetur, qui dicebant nullum, in peccato mortali existentem habere dominium in quacumque re, n. 5. f. 191.
- Examinata causa, quandiu rationabi-

biliter perseverat dubium, legitimus possessor non tenetur cedere possessioni, sed potest licite retinere, n. 30. f. 264.

F

Fides supernaturalis omni tempore necessaria, n. 2. f. 31.

Frater secluso jure humano, sine quacunque Papæ dispensatione posset accipere uxorem fratris, sive cum liberis, sive sine liberis defuncti, n. 10. f. 322.

G

Gladii duo in Ecclesia, n. 19. fol. 57.

Gradus Ecclesiæ perseveraturi sunt in Ecclesia usque ad ultimum iudicium, & mortuorum resurrectionem, n. 15. f. 97.

Gradus in Levitico prohibiti, non omnes jure naturali sunt prohibiti, n. 7. f. 313. & seq.

Gradus omnes, qui Levit. 18. & 20. prohibentur, an sint jure naturali prohibiti, n. 3. f. 308.

H

Hæretici, an sint de Ecclesia, n. 6. f. 3.

Hæresis quid sit, n. 7. f. 3.

Hæretici venditiones, donationes, & omnis alienatio bonorum à die commissi criminis sunt invalida, &c. n. 13. f. 196.

Hæreticus, an de jure humano per-

dat dominium bonorum suorum, n. 9. f. 195.

Hæreticus, in quo casu etiam titulo oneroso posset bona sua licite alienare, n. 18. f. 197.

Hæreticus, à die commissi criminis incurrit confiscationem bonorum, n. 10. f. 195.

Hæreticus, jure divino non amittit dominium bonorum suorum ob hæresim commissam, n. 8. f. 195.

Hæreticus dominus est bonorum suorum in foro conscientia antequam condemnetur, n. 14. f. 196.

Hæreticus, titulo gratuito potest transferre bona sua, puta donando, n. 16. f. 197.

Hæretico, non licet titulo oneroso, puta vendendo, aut dando in dotem, bona sua transferre, si crimen posset venire in iudicium, n. 17. f. 197.

Hæreticorum bona, non licet fisco occupare ante condemnationem, quamvis de crimine constet, n. 11. f. 195.

Hæreticus, licite potest vivere ex bonis suis, n. 15. fol. 197.

Hispani, quando, & in quo casu possent savire in barbaros, tanquam in perfidos hostes, & in illos omnia belli jura prosequi, eos spoliare, imò & in captivitatem redigere, quin etiam, & dominos priores deponere, & novos constituere, n. 8. f. 236.

Hispani potuissent barbaros redigere sub eorum ditionem, si certò constaret eos esse amentes, n. 18. fol. 243.

Hispani, habent jus p̄grinandi ad Indorum barbarorum Provincias, & illic degendi, sine eorum tamen nocumento aliquo, nec possunt ab illis prohiberi, n. 2. fol. 231.

Hispani, si omnibus modestissimè tentatis, non possunt consequi securitatem cum barbaris, seu Indis, nisi civitates occupando, & subjiciendo illos, an hoc facere licitè possint, n. 7. f. 236.

Hispanis, licet apud Indos barbaros negotiari, sine patriæ tamen incommodo, importando merces quibus illi carent, &c. & efferendo inde aurum, & argentum, vel alia quibus abundant, nec illorum Principes possunt impedimento esse quominus subditi exerceant comercia inter Hispanos, &c. n. 3. f. 233.

Hominis miseria recensetur. Et quid faciendum oportuit, ut illius necessitatibus consuleretur, n. 4. f. 113.

Hostes multare parte agri, licet ratione injuriæ illatæ, & nomine p̄næ, hoc est ad vindictam. Et quomodo hac etiam ratione potest arx, aut oppidum cum moderamine occupari, n. 56. f. 277.

Hostes, si nolint restituere res injuria ablatas, & non possit, qui est laesus, aliunde recuperare, quomodo possit undecumque satisfactionem capere, sive à nocentibus, sive ab innocentibus, n. 41. f. 271.

Ignorantia ad hoc, quod alicui imputetur, & sit peccatum, vel vincibilis quid requiratur; & quid de ignorantia invincibili, n. 9. fol. 220.

Imperator, non est totius orbis dominus, n. 1. 2. f. 209.

Imperator, licet verus esset dominus mundi, non ob id posset occupare Provincias barbarorum, n. 2. f. 209.

Indi barbari, utrum essent veri domini ante eventum Hispanorum privatim, & publice. Et utrum essent inter eos aliqui viri principes, & domini aliorum, n. 4. f. 190.

Infidelitatis ratione, an amittatur dominium, n. 7. f. 194.

Innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, an liceat interficere, n. 38. f. 269.

Innocentes, & pueri, licet non sint interficiendi, an saltem liceat ducere illos in captivitatem, & servitutum, n. 42. f. 271.

Innocentes interficere in bello, an liceat, n. 34. f. 267.

Innocentes interficere, nunquam per se, & ex intentione licet, n. 35. f. 268.

Interficere, an liceat omnes in bello nocentes, n. 44. f. 272.

Interficere innocentes per accidens, etiam scienter, aliquando licet, & aliquando non, n. 37. f. 268.

Interficere, an liceat infantes, & fœminas in bello contra Turcas.

Et quid dicendum de agricolis apud

L

- apud Christianos, togatis, peregrinis, hospitibus, & Clericis, n. 36. f. 268.
- I**nterficere aliquando & licet & expedit omnes nocentes, & hoc maximè in bello contra infideles; & quid in bello contra Christianos, n. 48. f. 274.
- I**nterficere licet indifferenter omnes, qui in actuali conflictu prælii, vel in oppugnatione, aut defensione civitatis contra pugnant, & quando res est in periculo, n. 45. f. 272.
- I**nterficere, non semper licet omnes nocentes solum ad vindicandum injuriam, n. 47. f. 273.
- I**nterficere licet nocentes, parta victoria, & rebus jam extra periculum positis, n. 46. f. 273.
- I**njuria accepta, unica & sola causa justa, ad inferendum bellum, n. 13. f. 257.
- I**njuria quælibet, & quantavis, non sufficit ad bellum inferendum, n. 14. f. 257.
- I**nvasus à latrone, aut inimico, an possit repercutere invasorem, si possit fugiendo evadere, n. 4. f. 253.
- J**ure divino nullus alius de numero Christianorum præter fœminas excluditur à potestate Ecclesiastica, sive ordinis, sive jurisdictionis, n. 6. f. 90.
- J**us conveniendi, an satis sit ad matrimonii essentiam, n. 3. f. 234.
- L**EX aliqua etiam positiva, posset esse in Ecclesia, & fortè aliqua tales sunt, in quibus expediret, ut nunquam dispensaretur, n. 9. f. 158.
- L**ex divina, sicut habet vim obligandi ad culpam, ita & lex humana, n. 17. f. 128.
- L**ex humana, & divina in quo differant, & in quo etiam conveniant, n. 16. f. 127.
- L**egis ratione cessante, an cesset obligatio, n. 22. f. 133.
- L**eges civiles, an obligent legistatores, & maximè Reges, n. 21. f. 132.
- L**eges humanæ quando obligent ad mortale, & quando ad veniale, qualiter dignosci poterit, n. 19. fol. 130.
- L**egum humanarum transgressores, ad quam culpam obligentur ad mortalem, an ad venialem solum, n. 18. f. 129.
- L**ibertas, quod non sit minor in regali Principatu, quàm in Aristocratico, & Democratico, n. 11. f. 122.
- L**iberi, si apud Indos nascantur ex parentibus Hispanis illic domicilium habentibus, & velint esse cives, non possit arceri vel à civitate, vel à commodo aliorum civium, n. 5. f. 234.

M

Matrimonii consensus, qualis sit, n. 8. f. 294.

Matrimonii vinculum, quomodo ex lege naturali, aut divina non contrahatur, nisi conjugum ipsorum consensu, licet Deus sine dubio nullo consensu viri, & fœminæ interposito, constituere possit, n. 6. f. 388.

Matrimonium, nulla auctoritate humana posset constitui, nisi consensu contrahentium, n. 7. f. 291.

Matrimonium quantum ad sui essentiam quid sit, n. 5. f. 287.

Matrimonium quid sit, n. 1. f. 283.

Matrimonii quotuplex finis, n. 2. f. 283. & seq.

Matrimonium, si quis deceptus contrahat, an teneat, n. 10. f. 300.

Matrimonialium causarum cognitio quibus casibus ad Principem secularem pertineat, n. 2. f. 305.

Matrimonialium causarum cognitio, iustis de causis ad Ecclesiasticos Judices translata est, n. 2. f. 305. & seq. præcipuè 307.

Matrimonii rati dispensatio, n. 1. f. 141. & seq.

De Matrimonio inter Regem, & Reginam Anglorum, f. 318.

Matrimonii ratio an consistat solum in mutua conjugum obligatione ad usus matrimoniales, cum actuali traditione corporum; aut Imperator constituere, aut Ecclesia constituere matrimonium possint sine partium consensum, f. 388.

Melchisedech erat Dei Sacerdos, n. 2. f. 31.

Militibus, an liceat civitatem permittere in prædam. Et quomodo non sit illicitum, sed & necessarium, n. 52. f. 276.

Militibus, non licet prædas agere, aut incendia facere sine auctoritate, aliàs tenerentur ad restitutionem, n. 53. f. 277.

Mobilia omnia, quomodo jure gentium fiant occupantis, etiam si excedant compensationem damnorum, n. 51. f. 275.

Monachæ, an teneantur obedire Abbatissæ, n. 5. f. 90.

Monarchia, sive regia potestas, non solum justa est, & legitima, sed Reges etiam à jure divino, & naturali habent potestatem, & non ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus, n. 8. f. 119.

Mulieres, nec Sacerdotes esse possunt, nec aliquem ordinem, aut potestatem ecclesiasticam habere, quæ sit de jure divino, n. 3. f. 87.

N

Necessitas rerum ex fine est consideranda, n. 2. f. 111.

O

Obsides, qui vel tempore induciarum, vel peracto bello ab hostibus recipiuntur, utrum interfici possint, si hostes fidem frangerent, & conventis non starent, n. 43. f. 272.

Occupare licet ab hostibus, & tenere arcem aliquam, aut civitatem pro paranda securitate, & vitando periculo, aut pro defensione, & ut tollatur ab hostibus occasio nocendi, &c. n. 55. f. 277.

Occupare licet, & tenere agrum, arces, & oppida hostium quantum necessarium fuerit ad damnorum illatorum compensationem, n. 54. fol. 277.

Ordo in Ecclesia divinitus constitutus inter potestatem civilem, & spiritualem, n. 10. f. 7. & seq.

P

Papa an & quando esset audiendus Rege contradicente, & quando non, in his quæ ad aliquam legem civilem, aut administrationem temporalem attinent, n. 14. fol. 52. & 43.

Papa, an sit orbis Dominus, n. 2. f. 40.

Papa, in quo genere decretorum, aut canonum nihil possit immutare dispensando, & multo minus abrogando, n. 1. f. 139.

Papæ mandatum, aut dispensatio non semper obligat subditos ad parendum, n. 18. f. 172.

Papæ mandatis, an liceat resistere per appellationem ad futurum Concilium, n. 21. f. 176.

Papa, non obstante decreto irritante Concilii, posset dispensare in statutis ejus, n. 5. f. 152.

Papa, quid possit, aut quid non possit, &c. non spectat ad subdi-

tos determinare, n. 17. f. 172.

Papa, nullam potestatem temporalem habet in barbaros Indos, neque in alios infideles, n. 6. f. 213.

Papa non sit dominus civilis, aut temporalis totius orbis, loquendo propriè de dominio, & potestate civili, n. 2. fol. 40. 42. & 211.

Papæ non licet dispensare in legibus, & decretis Conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiam ubi nihil continent juris divini, n. 7. f. 154.

Papa potuit negotium conversionis Indorum barbarorum solis Hispanis demandare, & omnibus aliis non solum prædicationem, sed etiam commercium interdiceret, n. 10. f. 238.

Papa non habet potestatem deponendi Principem secularem, etiam ex justa causa ratione auctoritatis temporalis, n. 6. f. 45.

Papa non habet confirmare, nec posset infirmare leges civiles simpliciter, n. 7. f. 45.

Papa habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia, n. 10. f. 238.

Papa posset dispensare in legibus, & statutis Concilii generalis, n. 2. f. 148.

Papa in ordine ad finem spirituales habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, & Reges, & Imperatorem, n. 12. f. 49.

Papa non habet judicare, saltem via ordinaria, de causis Principum,

- pum, aut regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis civilibus, n. 5. f. 44.
- Papa, dispensando in legibus, & decretis, tam Conciliorum, quam aliorum Pontificum, posset errare, & graviter peccare, n. 6. f. 54.
- Papa, multò minus potest abrogare sine causa rationabili decreta Concilii, quàm in eis dispensare, n. 8. f. 56.
- Papa non deberet ægreferre, sed potius gaudere, quod fieret aliquod decretum à Concilio, quo cave-retur ut in aliqua lege Ecclesiastica nunquam dispensaretur, n. 20. f. 175.
- Papa, sicut peccaret dispensans contra decretum Concilii, ita etiam peccaret, qui peteret dispensationem, & qui uteretur illa, n. 15. f. 70.
- Papa, si dispensaret, in quo casu subditi non tenerentur parere dispensationi, n. 19. f. 175.
- Papa, si facta declaratione, & decreto à Concilio, contrarium mandaret, quid agendum, n. 23. f. 174.
- Personæ aliquæ ex hoc quod in Levitico sint prohibita contrahere, non est argumentum illas tempore legis Evangelicæ jure divino esse prohibitas, n. 5. f. 311.
- Personæ aliquæ ex hoc quòd jure divino prohibeantur contrahere non sufficienter probetur si contrahant, matrimonium esse nul-lum, & irritum, n. 4. f. 309.
- Personæ, quæ sint prohibita à ma-trimonio jure divino, terminari non potest, nisi ratione naturali, hoc est, ex Morali Philosophia, & propositionibus cognitis ex lumi-ne naturali, n. 6. f. 312.
- Peccatum mortale non impedit do-minium civile, & verum domi-nium, n. 6. f. 192.
- Petrus inter Apostolos omnes an fuerit autoritate, & potestate primus, & Princeps, cum summa supra totam Ecclesiam potes-tate, n. 11. f. 94.
- Petrus potuit eligere, & designare successorem, qui, eo defuncto, sine alia electione esset summus Pontifex, n. 23. f. 104.
- Petrus, vel solus, vel cum aliis Apostolis potuit constituere for-mam, & rationem, qua post obitum eligeretur ei successor, n. 22. f. 103.
- Petri successores potuerunt, & pos-sunt pro suo arbitrio Episcopos creare in singulis Provinciis, & quascumque leges de hac re prius latas tollere, & novas condere, Provincias distinguere, & omnia ad hoc spectantia pro suo judicio, & potestate facere, n. 30. f. 107.
- Petro Apostolorum Principe defunc-to, aliquis ei successit cum simi-li, & autoritate, & potestate jurisdictionis in totum orbem, n. 17. f. 99.
- Petro mortuo, Ecclesia habet potes-tatem subrogandi, & instituendi alium loco illius, etiamsi Pe-trus nihil de hoc prius constitui-
set, n. 18. f. 101.

- Pontificis dispensationes**, sunt in duplici differentia, & quæ sint, n. 16. f. 171.
- Pontificis mandatis resistere**, & non parere, non videtur permittendum cuicumque privato sua auctoritate, etiamsi hujusmodi mandata essent contra determinationem Concilii, n. 22. f. 178.
- Potestas ad quid constituatur in Republica**, n. 4. f. 6.
- Potestas aliqua spiritualis potuit esse in statu innocentia**, n. 1. f. 30.
- Potestatis civilis, & ecclesiastica differentia**, n. 2. f. 26. 63. & 47.
- Potestas civilis aliquo modo subiecta est**, non potestati temporali summi Pontificis, sed potestati spirituali, n. 10. f. 47.
- Potestas civilis non est subiecta potestati temporali Papæ tanquam domino temporali**, n. 4. f. 43.
- Potestas Ecclesiastica, an sit per se in tota Ecclesia**, n. 1. f. 67.
- Potestas Ecclesiastica, & spiritualis rota**, quæ nunc residet in Ecclesia, est de jure divino positivo mediata, vel immediate, n. 4. f. 27.
- Potestas Ecclesiastica immediate est in Concilio, & etiam ratio totius. Et multa de potestate Concilii**, n. 6. f. 75.
- Potestas Ecclesiastica est duplex. Et de earum effectibus. Et quomodo nonnulli hæreticorum ab utraque clave tollunt omnem effectum merè spirituales**, n. 2. f. 13.
- Potestas Ecclesiastica, quantum ad aliquam partem sui habuit ortum à jure naturali, vel positivo**, num. 3. fol. 27.
- Potestas Ecclesiastica est verè, & simpliciter causa alicujus effectus spiritualis**, n. 1. f. 13.
- Potestas Ecclesiastica non solum fuit in Apostolis, sed etiam in aliis**, n. 13. f. 97.
- Potestas Ecclesiastica quo jure sit introducta**, n. 1. f. 26.
- Potestas Ecclesiastica, sive ordinis, sive jurisdictionis, tota fuit in Petro Apostolo**, n. 7. f. 91.
- Potestas Ecclesiastica, sive spiritualis quomodo possit esse in tota Ecclesia**, n. 2. f. 68.
- Potestas gubernandi scientiam exigit**, n. 9. f. 7.
- Potestas merè temporalis nulla est in Papa, videlicet quæ ad finem ordinetur temporalem**, n. 8. f. 45.
- Potestas omnis ordinis, & jurisdictionis, quæ prius erat in Christi Apostolis, illis defunctis perseveravit in Ecclesia**, n. 14. f. 97.
- Potestas omnis, seu publica, seu privata, qua respublica secularis administratur, non solum justa & legitima est, sed ita Deum actorem habet, ut nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari posset**, n. 1. f. 111.
- Potestas omnis spiritualis, quæ fuit in lege naturæ, licet potuerit esse solum auctoritate humana, tamen verisimile est, vel quod ex speciali revelatione divina, vel instinctu, & motione divina fuerit constituta auctoritas aliqua, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia, & sacramenta, & alia cære-**
mo-

- monia spectantes ad cultum divinum, & ad salutem spirituales animarum, n. 3. f. 32.
- Potestas ordinis in Ecclesia tota derivata est, & pendet immediatè ab Episcopis, n. 16. f. 98.
- Potestas duplex, publica, & privata, n. 2. f. 111.
- Potestas Regia, quamvis contineat omnem potestatem civilem, tamen non habet authoritatem ad cultum divinum, & actiones spirituales, n. 10. f. 7.
- Potestas spiritualis, quæ fuit in veteri Testamento, tota expiravit, & antiquata fuit in lege Evangelica, nec amplius perseveravit. Et Sacerdotes novi Testamenti non sunt successores illorum, sed omnino est nova potestas, n. 7. f. 35.
- Potestas spiritualis, statim post peccatum fuit in lege naturæ, n. 2. f. 31.
- Potestas spiritualis præstantior, & eminentior est potestate temporali, n. 1. f. 39.
- Potestas spiritualis fuit aliqua in lege scripta, n. 4. f. 33.
- Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, quomodo primò, & solum in Tribu Levitica fuerit, n. 3. f. 69.
- Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, fuit de jure divino positivo, n. 5. f. 28.
- Potestas temporalis, & civilis integra est apud paganos, n. 8. f. 7.
- Potestas temporalis in summo Pontifice, qualiter intelligatur, n. 13. f. 50.
- Potestas temporalis non dependet à spirituali omnino eo modo, quo ars, sive facultas inferior dependet à superiori, n. 9. f. 46.
- Potestas temporalis non dependet à summo Pontifice, sicut aliæ potestates spirituales inferiores, &c. n. 3. f. 42.
- Potestas verè, & propriè spiritualis, qualis nunc est in Ecclesia, quæ vocatur potestas Ecclesiastica, nec primò, nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota Ecclesia universali eo modo, quo potestas civilis est in republica, n. 4. f. 70.
- Potestas utraque ordinis scilicet & jurisdictionis, habet verum effectum spirituales, probatur, n. 3. f. 14.
- Potestatis civilis, causa efficiens quæ, n. 6. f. 116.
- Potestatis civilis finis quis sit, n. 3. f. 113.
- Potestates publicæ secularis tres causæ explicantur, n. 10. f. 121.
- Potestatis spiritualis testimonia ex scripturis recensentur, n. 12. f. 8.
- Potestatem Ecclesiasticam aliquam, nullus alius à Christo videtur accepisse præter sacros Apostolos, n. 12. f. 95.
- Potestatem omnem, quam Apostoli habuerunt, receperint immediatè à Christo, n. 8. f. 35. & n. 9. f. 77.
- Potestatem totam in veteri lege jure divino institutam, potuit Israeliticus Populus sua authoritate instituere, etiam si à Deo

- instituta non fuisset, n.6. f.29.
- Potestates, qui potius appellentur, ab authore recensentur, n.2. f.5.
- Potestates, quibus infidelium republicæ gubernantur, an sint legitimæ, vel an inter Paganos sint legitimi Principes, & Magistratus, n.9. f.121.
- Potestas præcipuè duplex in Ecclesia, n.10. f.7. & seq.
- Potestas duplex Ecclesiastica, n.2. f.10.
- Potestas spiritualis qualis in lege naturæ, n.3. f.32.
- Potestas Regia unde, n.8. f.119.
- Potestas temporalis est propter spirituales, n.10. f.47.
- Præcepta parentum eodem modo obligant, sicut leges civiles. Et idem de præceptis meritorum in uxores, n.24. f.134.
- Prætores, & Magistratus omnes contra Principem, graviter errant, & peccant, judicia exercentes contra privilegia Clericorum quamvis perniciosorum, n.9. f.65.
- Princeps justii belli recuperatis rebus ab hostibus, quid ulterius possit facere, n.13. f.58. & seq.
- Princeps eandem auctoritatem habet ad indicendum, & inferendum bellum, sicut respublica, n.6. f.254.
- Princeps, sive subditus, qui ex ignorantia sequutus est bellum injustum, si postea confiterit ei de injustitia belli, an teneatur restituere, n.33. f.266.
- Principis gloria propria, aut aliud commodum, non est belli justa causa, n.12. f.256.
- Principi justii belli, licet parta victoria, recuperatis rebus, ac pace etiam & securitate habita, vindicare injuriam ab hostibus acceptam, & animadvertere in hostes, & punire illos pro injuriis illatis, n.19. f.259.
- Principes Christiani non possint etiam auctoritate Papæ, coercere, Barbaros à peccatis contra legem naturæ, nec ratione illorum eos punire, n.16. f.225.
- Principes hostium, an liceat deponere, & novos ponere, & constituere, vel sibi Principatum restituere. Et quo modo non possint, & ex quacumque causa belli justii hoc liceat facere, n.58. f.278.
- Principes hostium, quando legitime possent deponi, n.59. f.279.
- Principum leges, & constitutiones quomodo obligent in foro conscientiæ. Et quid de præceptis parentum in filios, & maritorum in uxores, n.15. f.125.
- Principum multitudo, quando mala, n.13. f.10.
- Providentia ad supernaturalem finem omni tempore necessaria, n.2. f.31.
- Puer, an possit esse dominus antequam rationis, n.21. f.199.

R

- R**egali, sive Principes, qui non præfunt reipublicæ perfectè, sed sunt partes alterius reipublicæ, non possunt bellum inferre, aut gerere. Et quid dicendum de civitatibus, n.9. f.255.
- Remedia duo efficacia ad remissionem peccatorum à Deo in Ecclesia relicta, n.6. f.19.
- Respublica quælibet habet auctoritatem indicendi, & inferendi bellum, n.5. f.254.
- Respublica quid est, & quis propriè dicatur Princeps, n.7. f.255.
- Respublica tota potest puniri licitè pro peccato Regis, n.12. f.223.
- Respublica unde habeat potestatem civilem. Et de causa materiali ejusdem potestatis. Et penes quem jure naturali, & divino resideat, n.7. f.117.
- Reipublicæ sicut major pars Regem supra totam Rempublicam constituere potest, aliis invitis: ita pars major Christianorum, reliquis etiam renitentibus Monarcham unum creare jure potest, cui omnes Principes, & Provinciæ parere teneantur, n.14. f.123.
- Respublicæ, aut Principes plures, si habent unum communem dominum, aut Principem, an possint per se inferre bellum sine auctoritate superioris Principis, n.8. f.255.
- Respublica in lege naturæ habuit

authoritatem constituendi Sacerdotes, & alios Ministros divini cultus, n.2. f.68.

Rex, si vellet non obligare ad culpam, an posset, 20. f.132.

Regia potestas defenditur, & unde sit, n.8. f.119.

S

Sacerdotes veteris legis, an haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ, n.6. f.34.

Sacerdotes Gentilium poterant leges ferre de cultu sacrorum, n.3. f.69.

Sacramentum Pœnitentiæ confert aliquando primam gratiam, n.3. f.14.

Sedes Apostolica in quocumque casu vacaret manendo in solo jure divino, ad quem spectaret electio, n.21. f.102.

Senatores reguli, & universaliter omnes, qui admittuntur, vel vocati, vel etiam ultro venientes ad consilium publicum, vel Regis tenentur injusti belli causam examinare, n.24. f.261.

Spoliare an liceat innocentes inter hostes. Et quibus rebus sint spoliandi, n.39. f.270.

Subditi, si habeant conscientiam de injustitia belli, non licet illis sequi bellum, sive errent, sive non, 23. f.261.

Subditi, an teneantur examinare causam belli, Et quomodo

Sub

Subdito constet de injustitia belli, non liceat ei militare, etiamsi Princeps impediret, n. 22. f. 261.

Subditis, non solum licet in bello defensivo in re dubia sequi Principem suum in bellum, sed etiam in bello ofensivo, n. 31. f. 265.

Subditos militantes, quando non excusaret ignorantia de justitia belli, n. 26. f. 262.

Summus Pontifex, licet haberet potestatem secularem in mundo, non posset eam dare Principibus secularibus, n. 4. f. 212.

Summus Pontifex, non solum possit dispensare in statutis Conciliorum, sed in totum, & aliquando abrogare talem legem, vel statum, n. 4. f. 251.

Synagogæ, & Ecclesiæ discrimen, fol. 2. & seq.

T

Tributa, an liceat victis hostibus imponere, n. 57. f. 278.

Tyrannorum leges an obligent, n. 23. f. 134.

V

Vitæ duæ, una terrena, altera spiritualis. Et quomodo humana societas non possit sine utraque manere, n. 4. f. 6.

In Voto quemadmodum Pontifex dispense, num. 1. fol. 143. & seq.

Uxorem fratris defuncti ducere non est prohibitum lege naturæ, fol. 318.



INDEX TOMI SECUNDI.

A

Abstinere perpetuo à certo genere alimentorum, etiam in extrema necessitate, utrum sit laudabile Cartosienſi, & ſecluſo ſcandalo non videtur illicitum in extrema necessitate abſtinere à carnibus, n. 8. f. 380. & ſeq.

Accipere aliquid pro ſepultura, an ſit licitum, & quando, n. 10. fol. 476.

Accipiens aliquid temporale ratione contractus ſimoniaci, an teneatur reſtituere quicquid ſimoniacè accepit, n. 1. f. 467.

Actus intenſior non auget habitum per totam ſuam latitudinem, ſed ſolùm ſecundum exceſſum quem habet ſupra habitum, probatur, n. 3. f. 329.

Actus intenſior habitu, an augeat habitum ſecundum ſuam totam latitudinem, an ſolùm ſecundum exceſſum, quem habebat ſupra habitum, n. 2. f. 328.

Actus quilibet meritorius, quod auget gratiam ſecundum totam ſuam latitudinem, & non ſolùm ſecundum exceſſum ſupra habitum, n. 4. f. 333.

Agentia plura nunquam producant majus lumen, vel calorem in primo puncto ſuæ ſphæræ, vel activitatis quàm produceret unum

illorum, quòd maximum eſt, n. 9. f. 338.

Alimentis inſalubribus, & nocuis vitam reddere breviorẽ, non licet, neque tamen quiſquam uti tenetur optimis, n. 34. f. 419.

Animam ponere pro amicis licet ſit ſtultitia hujus mundi, eſt tamen ſapientia apud Deum, n. 27. f. 416.

An licitum ſit dare aliquid temporale pro ſpirituale, num. 1. f. 426.

Animæ defunctorum, maximè quæ ſunt è numero damnatorum, an ſe miſceant artibus, & operibus magicis, n. 17. f. 508.

Appetitus ſenſitivus poſſet eſſe cauſa privationis uſus rationis, n. 12. fol. 540.

Auxiliari licet amico etiam cum quantoecumque vitæ discrimine. Et quid dicendum de uxore, quæ etiam cum magno periculo marito peſte laboranti adſideret, n. 31. fol. 418.

B

Beneficium adeptus, qui quidem non dederat pecuniam Epifcopo, ſed alius pro eo, ipſo ignorante, an teneatur reſtituere, n. 8. fol. 475.

Beneficium habens, cui per aliquod

quod tempus ministravit, licite potest auctoritate Papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocunque onerali officio spirituali, n. 49. f. 463.

Beneficium, si quis contulit, aut permutavit pro pensione, etiam auctoritate Apostolica, an talis pensio possit vendi, aut pecunia redimi, n. 53. f. 464.

Beneficium, si quis conferat consanguineo aliâ idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate, non peccat mortaliter, n. 28. f. 448.

In Beneficiis Ecclesiasticis fit simonia: opiniones tres de hoc, n. 42. f. 457.

Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de jure divino, n. 5. f. 472.

Beneficia conferre propter preces principaliter, an sit simonia, n. 30. f. 449.

Brutus, Cato, Decius, & alii innumeri, qui sibi mortem confecerunt, utrum excusationem habebunt, eo quod putabant in hoc se fortiter, & laudabiliter agere. Et quid de Sansone, Rasia, & Saule, n. 73. f. 420.

C

Carnium usus, utrum ante diluivium esset concessus, n. 3. f. 365.

Carnibus humanis an vesci liceat, n. 5. f. 370.

Carnibus vesci humanis, an in extrema necessitate liceat, n. 6. f. 372.

Cartusensi, an liceret in casu necessitatis extremæ carnes comedere, n. 10. f. 383.

De Charitatis augmento tres opiniones referuntur. Et in quo differant secunda, & tertia à prima, n. 1. & 8. f. 327. & 335.

Charitas, an augetur per quemlibet charitatis actum. Et quomodo de hoc tres opiniones recitantur, n. 1. f. 327.

Charitatis quolibet actu quantumvis remisso, meretur quis, & habebit majorem gloriam, n. 11. f. 342.

Charitas non augetur per totam latitudinem actus, sed solum secundum excessum actus supra habitum, n. 5. f. 334.

Charitas nunquam est æqualis gratiæ, saltem in adulto, n. 6. f. 334.

Charitas, quomodo dupliciter diminuat. Uno modo per peccatum veniale, altero modo per mortale, n. 20. f. 350.

Charitas, vel gratia, an per peccatum veniale diminuat, n. 21. f. 350.

Charitatis actu quolibet quantumvis remisso, augetur gratia, 11. f. 343.

Charitas, si per actum remissum non augetur statim, voluntarium videtur dicere quod augetur in fine vitæ, n. 13. f. 343.

Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse prohibitum homi-

mi.

- mini jure naturali, ostenditur, n. 2. f. 360.
- Clerico utrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium, n. 19. f. 480.
- Collatio spiritualis ratione consanguinitatis an sit simonia, n. 26. f. 448.
- Commendæ, pro beneficio commutari non possunt etiam ex auctoritate Papæ, n. 46. f. 461.
- Condimentis, & artificio, an liceat uti ad edendum cibos suaviores, n. 4. f. 369.
- Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum, n. 27. f. 448.
- Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale sive digno, sive indigno, est illicitum, num. 31. f. 450.
- Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale, quomodo ignorat auctor an hoc sit mortale, si aliâ collatio fiat digno, n. 32. f. 451.
- Conferre spiritualia ad captandum quodcumque commodum non spirituale, quomodo, si fiat digno, non putat auctor hoc peccatum esse propriè simoniam, n. 33. f. 451.
- Contractus aliquis, qui nunc non est simoniacus, an sit, vel possit jure positivo fieri simoniacus, n. 13. f. 436.
- Contrahentes aliquid spirituale cum Papa, an sint simoniaci, aut incurrant pœnam juris, n. 9. f. 475.
- D**æmon malus, an sit operum magicorum auctor, vel an referenda sint potius in bonos Angelos, vel in ipsum Deum Omnipotentem. Et an omnino sint demones, n. 10. f. 498.
- Dæmon superior, an & quomodo possit inferiorem dæmonem tenere alligatum annullo, aut imagini, n. 31. f. 521.
- Dæmones à bonis Angelis cogi possunt, & aliquando coguntur, n. 22. f. 521.
- Dæmones esse, etiam stando in recta, & legitima Philosophia, nullo modo negandum est, n. 11. f. 499.
- Dæmones, & magi virtute dæmonum possunt movere, & transferre corpora de loco ad locum, n. 33. f. 521.
- Dæmones, & magi virtute dæmonis non possunt immediate imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquam formam, ut calorem, frigus, morbum, aut sanitatem, n. 35. f. 524.
- Dæmones cogi possunt aliquando, & coguntur ab hominibus, n. 21. f. 514.
- Dæmones superiores possunt cogere inferiores, n. 30. f. 516.
- Dæmones superiores an habeant aliquam potestatem in inferiores, n. 29. f. 413.
- Dæmones ut virtute divina coercantur, aut angelica, multum

- refert, quibus verbis, aut signis homines utantur, n. 23. f. 515.
- Damnato ad mortem non licet se fame interficere, n. 28. f. 416.
- Damnato ad mortem licet fugere, & mortem non spectare, n. 29. f. 417.
- Damnato ad mortem, per cicutæ, seu veneni haustum, licet illud haurire, nec videtur ad ejus mortem cooperari, n. 30. f. 417.
- Dare pecuniam, ut ab officio non deponatur, quis an sit simoniacum, n. 15. f. 479.
- Defectus, & imperfectio, vel privatio usus rationis, unde semper, vel ex majori parte proveniat, n. 11. f. 539.
- Deliberatio prima, ex causis non naturalibus, vel prorsus extrinsecis, puta vel à Deo, vel ab Angelo est, n. 21. f. 546.
- Deliberans primo, non habet in sua potestate prius deliberasse, n. 22. f. 547.
- Deliberans primo, non tenebatur prius deliberasse, n. 25. f. 548.
- Deliberans primo, potuit primo deliberasse, n. 23. f. 547.
- Deliberatio prima non potest cadere sub præcepto, n. 24. f. 547.
- Deus, an naturas rerum immutare potuerit, vel ab initio alias facere, quam nunc sunt, n. 4. 399.
- Deum naturas rerum mutare non posset ab Authore probari videtur, n. 5. f. 400.
- Deus creavit hominem sine inclinatione mala, qua appetitus, inclinatur ad malum, n. 8. f. 402.
- Deus dedit appetitui naturalem inclinationem ut obediret voluntati, n. 9. f. 402.
- Deus solus est vitæ, & mortis dominus, non homo, qui quantum ad hoc, est peculiariter servus Dei, unde occidere seipsum, est Deo injuriam facere, n. 23. f. 413.
- Deus supposito quòd non possit rerum naturas mutare, an fecerit hominem cum naturali inclinatione ad malum, n. 6. f. 402.
- De Deo noticia probabilis semper, & in omni natio fuit, cui omnes tenentur credere, n. 4. f. 551.
- Dispositio qualitatum naturalium, nulla sine speciebus sensibilibus est sufficiens ad usum rationis, n. 14. f. 542.
- Doctorem non habens extrinsecum, quomodo videatur pro tempore posse habere de Deo ignorantiam invincibilem, n. 3. f. 551.

E

- E**cclésiastici liber, an deberet recipi inter canonicas scripturas, quomodo in Ecclesia dubitatum fuerit, & quid tenendum, n. 1. f. 530.
- Educatio docta, & instructio multum facit ut aliquis perveniat ad usum rationis, n. 15. f. 542.
- Emptio, aut venditio eorum, quæ jure positivo sunt spiritualia, jure divino prohibita est, n. 15. f. 542.
- Emptio, & venditio rerum spiritualium, non solum est simoniacæ,

ca, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita, n. 8. f. 433.

Emptio, aut venditio Sacerdotis, non solum ex intentione apud idololatrias fuit crimen simoniae verum, sed etiam ex objecto, p. 21. f. 445.

G

GLoria, respondet gratiae, & non charitati, n. 7. f. 334.

H

HAbitus, data opinione quod non augeatur per actum remissum, an plures actus remissi possint augere habitum, vel etiam unus actus continuatus possit æquivalere in merito uni actui intenso. Et de triplici istius quæstionis opinione, n. 15. f. 345.

Habitus infusi in augmento, an habeant respectus non ad intensiorem actus gradualem meritorii, sed ad quantitatem meriti, n. 14. f. 344. & seq.

Habitus sine dubio augetur quandocumque pervenitur ad meritum æquale cum actu intenso, sive per multiplicationem, sive per intensiorem, n. 19. f. 348.

Homicidium omne ex intentione præcepto de non occidendo est prohibitum, seu publicæ, seu privatæ personæ, præterquam id, quod Reipublicæ, aut publi-

cis Magistratibus, & Principatibus fuerit commissum, n. 21. f. 408.

Homicidium de jure naturali & divino permissum, quibus sit commissum, n. 19. f. 408.

Homini cuicumque ad usum rationis pervenienti, an pateat aditus ad salutem, & vitam æternam, n. 2. f. 531.

Homo ad cognoscendum quod Deus est, saltem sine Doctore extrinseco, indiget non parvo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas, n. 24. fol. 550.

Homo cum primùm ad usum rationis pervenit, etiam si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere, potest bene moraliter agere, n. 7. f. 556.

Homo in barbaria educatus, sine institutione, & mentione deitatis, & religionis, an cum primùm pervenit ad usum rationis, possit Deum cognoscere, n. 1. f. 550.

Homo, in multis casibus quamvis licitis viis possit vitam servare, quomodo tamen non teneatur, n. 24. f. 413.

Homo non inclinatur ad diligendum se plusquam Deum, vel proprium bonum plusquam commune, n. 10. f. 403.

Homo, quod semper tenetur defendere vitam proximi, etiam quandocumque licet, non est exploratum, n. 25. f. 415.

I

Idolothyti suffocati, & sanguinis non comedendi præceptum, n. 1. f. 361. & seq.

Inclinatio hominis, quanvis sit ad malum, tamen non est mala, malitia morali, quandiu manet intra terminos appetitus, n. 7. f. 402.

Inclinatio hominis quatenus homo est, bona est, & quod ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinatur, argumentis probatur, n. 3. f. 394.

Instans primum, vel tempus usus rationis, in quo quis primo deliberat actu, non est in quo potest primò deliberare. Et multa de usu rationis, n. 27. f. 548.

Interficere seipsum semper est impium. Et multa de inclinatione naturali, an sit semper prona ad malum, n. 2. f. 390.

Interficere seipsum quare non liceat, n. 22. f. 408.

Interficere licebat adulteram, aut furem in lege Moyfi, quod & licuit ante legem, & licet in lege Evangelica, n. 14. f. 407.

L

Legans Monasterio perpetuò mille aureos, ut faciat sacrum perpetuò: hæres dicit: Ego dabo beneficium simplex hujus Missæ, & dimittatis legatum, an hoc sit licitum, & fieri possit sine Simonia, n. 13. f. 478.

Legis divinæ duplex consideratio, n. 10. f. 564.

Liberum arbitrium, aut usum rationis habere, non est idem, quod habere actus intellectus, & voluntatis, n. 4. f. 533.

Liberum arbitrium habere, est idem quod esse dominum propriarum operationum, n. 6. f. 537.

Liberum arbitrium habere, aut usum rationis, non videtur idem, quod posse agere, & non agere positus requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter Doctores capiunt, n. 5. f. 534.

Liberum arbitrium duo requirit, & quomodo secundum potest esse sine primo, &posito primo, ponitur secundum, n. 7. f. 538.

Locare operas in administratione spiritualium, non plus licet, quam ipsa spiritualia, neque licet aliquid recipere pro labore spirituali, magis quam pro ipso spirituali, n. 20. f. 481.

Lumen productum nunquam est majus, quam sit lumen in maximo luminoso, n. 10. f. 338.

M

Magia aliqua, dici potest naturalis, & sine commercio alicujus substantiæ spiritualis, n. 7. f. 494.

Magia ars, an omnino sit, hoc est, an inter mortales sit ars, vel facultas aliqua ad videndum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de Magis scribuntur, & cir-

- cunferuntur, n. 1. f. 487.
- Magica ars alia, præter naturalem, quæ non viribus, & causis naturalibus constet, sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata nititur, non est dubium quin reperiat, num. 9. f. 496.
- Magi studiosi, qui fuerint, recensentur, n. 8. f. 496.
- Magi, an virtute dæmonum possint corpora localiter transmutare, hoc est, per multa terrarum spatia, summa (ut ferunt) celeritate, n. 32. f. 521.
- Magi, an possint cogere dæmones pro suo arbitrio, n. 20. f. 513.
- Magi, an possint miracula facere, n. 18. f. 509.
- Magi, an possint pro suo arbitrio immutare corpora, alterando secundum qualitates, immitendo morbos, & contra sanitatem præstando, n. 34. f. 523.
- Magi, aliquando possunt cogere dæmones, n. 25. f. 516.
- Magi in suis operationibus nonnunquam utuntur facultate solum naturali, n. 15. f. 504.
- Magi nihil operantur aut potestate divina, aut angelica, num. 14. f. 503.
- Magi non possunt miracula facere, n. 19. f. 511.
- Magi quomodo possint dæmones cogere, & non alio modo, n. 26. f. 516.
- Magi, quomodo habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, non autem ipsum principalem dæmonem. Et quid si non habeant tale fœdus, n. 27. f. 516.
- Magorum facta, licet nonnulla fiant solum per illusionem, & præstigia sensuum, tamen quædam in re, & secundum existentiam fiunt, n. 5. f. 491.
- Magorum mirabilia opera, an sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantiis separatis, n. 6. f. 492.
- Magorum operationes supra facultatem naturalem malorum dæmonum potestate, & virtute fiant, n. 16. f. 505.
- Magorum opera, non omnia sunt vana, & conficta, n. 3. f. 489.
- Magorum tota opera, & efficacia in quo fundetur, n. 28. f. 517.
- Magica ars, licet sit alicujus efficaciam, an tota ejus vis referatur circa illusionem sensuum, & imaginationis, ita quòd ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sententia vera, & naturalia, quæ à Magicis fiunt, sed solum præstigium, & illusio oculorum, n. 4. f. 490.
- Magorum opera, & mirabilia, quæ referuntur, plurima sunt falsa, conficta, & ex hominum vanitate credita, n. 2. f. 489.
- Meditatores, qui pro aliis contractus constituunt simoniacos, quas incurrant pœnas, n. 14. f. 479.
- Meritum, nullo modo proportionatur intentioni, n. 16. f. 347.
- Meritum non duplicatur, nisi sic mag-

magna continuatio, & perseverantia in actu, n. 18. f. 347.

Meritum, non solum proportionatur intentioni, sed nec magna multitudo actuum remissorum æquivaleret uni actui intenso, vel perfecto, n. 17. f. 347.

Mortem sibi consciscere, quomodo sicut semper impium, ita & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, plerumque consilium, nonnunquam præceptum est, n. 1. f. 390.

N

Natio nunquam est, nec unquam fuit, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere, n. 4. f. 551.

Navigare, & artem militarem exercere etiam cum magno vitæ periculo servatis circumstantiis (quæ magis & ut plurimum contingunt) licet, n. 32. f. 418.

O

Objectum voluntatis, non est solum verum bonum, n. 22. f. 411.

Occidere hominem Reipublicæ nocivum ex intentione, stando in jure divino, & naturali licet, n. 18. f. 407.

Occidi, quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex intentione, & præter intentionem, n. 17. f. 407.

Opera aliqua sunt à Magis, quæ

nullo modo fiunt per gratias, & è contrario, n. 13. f. 503.

Opera eadem, vel similia, fiunt per artes magicas, & per gratias gratis datas, n. 12. f. 503.

Opiniones secunda, & tertia de augmento charitatis, in quo differant à prima, n. 8. f. 335.

P

Panem licet alteri cedere cum certa pernicie propria vitæ, n. 26. f. 416.

Papa, quòd det Clerico pensionem aliquam in alieno beneficio, solum quia sit Clericus, non videtur irrationabile, n. 51. f. 464.

Papa, in simonia, quæ est juris divini, æquè, vel gravius potest esse simoniacus, sicut alius homo, n. 39. f. 455.

Papa, non potest vendere sine vitio simoniæ ex quacumque causa quodcumque beneficium ecclesiasticum, n. 44. f. 458.

Papa non posset dare alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neque temporale, neque spirituale conferat in Ecclesia, vel alio pio titulo, n. 50. f. 463.

Papa, si alicui justo, vel injusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicujus tituli spiritualis, talis pensio est merè temporalis. Et quomodo vendere talem pensionem, aut redimere precio quodlibet tempo-

- rali, non sit simoniacum, n. 52. f. 464.
- Peccare aliquis potest antequam Deum cognoscat, aut possit cognoscere, n. 9. f. 562.**
- Peccata venialia an diminuant charitatem, n. 2. f. 353. & seq.**
- Peccatum veniale nullum posset tollere gratiam, n. 22. f. 352.**
- Pecunia ex contractu simoniaco acquisita, cui debeat restitui, n. 6. f. 474.**
- Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicujus ministerii spiritualis, licita est, & honesta, n. 48. f. 462.**
- Pensio quæcumque, quam Papa imponit, vel ex officio suo, vel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium, vel ministerium spirituale possit vendi, & sine simonia redimi. Et an talis pensionarius teneatur ad officium canonicum, n. 54. f. 465.**
- Pontifices parati ad dandum beneficia consanguineis sine deliberatione peccant mortaliter, n. 29. f. 449.**
- Præbendæ omnes militares, quas Commendas vocant, autoritate Papæ possunt vendi pro temporali sine vitio simoniæ, n. 45. f. 461.**
- Præceptum de non occidendo, est juris naturalis, & non positivi, sicut etiam alia præcepta Decalogi, secundum authorem, n. 12. f. 406.**
- Præceptum de non occidendo, semper fuit æquale, & ante legem, & in lege, & tempore Evangelii, n. 13. f. 407.**
- Præcepto de non occidendo, non magis prohibetur homicidium auctoritate publica quàm privata, n. 16. f. 407.**
- Præcepto hoc: Non occides, quomodo prohibeatur omne homicidium, quod stando in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile, n. 15. f. 407.**
- Præcepto Non occides, quale homicidium prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata, n. 11. f. 405.**
- Præstare obsequium Pontifici, ut illa ratione quis posset consequi beneficium, an & quando esset simoniacum, n. 37. f. 454.**

R

- R**atio nusquam est, nec unquam fuit, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere, n. 3. f. 451.
- Rationis ad usum perveniens, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an possit peccare, n. 8. f. 558.**
- Rationis ad usum quilibet perveniens, non tenetur se convertere in Deum explicitè distinctè, & formaliter, n. 2. f. 573.**
- Rationis ad usum quilibet perveniens, ad actum aliquem tenetur statim, n. 3. f. 574.**
- Rationis ad usum quilibet perveniens,**

- niens, teneatur se convertere in bonum eo modo, quo tunc potest, id est conformiter ad cognitionem, quam habet, n. 4. f. 575.
- Rationis ad usum quis possit venire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei, n. 5. f. 553.
- Rationis ad usum veniens, etiam si Deum non cognoscat, an possit bene moraliter agere, n. 6. f. 553.
- Rationis usus primum instans quid sit, vel quid vocetur; & quomodo deliberatio non possit esse libera, id est quod sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare, n. 20. f. 546.
- Rationis usum, an possit aliquis habere circa aliquam materiam, vel objectum, & non circa aliud, utpote circa materiam iustitiæ, & non circa materiam temperantiæ, ut sit capax rationis ad deliberandum, & judicandum an sit jurandum, vel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de fornicatione, sed habeat se ad illam puer, n. 16. f. 544.
- Rationis usum, an possit habere quis ad peccandum venialiter priusquam ad peccandum mortaliter, n. 11. f. 567.
- Rationis usum habere, quid sit, n. 3. f. 533.
- Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralem, videtur possibile, n. 17. f. 544.
- Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralem, licet sit pos-
- sibile, tamen videtur multum difficile, vel nunquam contingere, n. 18. f. 544.
- Rationis usum habere circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes, putatur impossibile ab authore, n. 19. f. 545.
- Rationis usum, quod unus homo habeat, & alius non, unde proveniat, n. 8. f. 539.
- Rationis usum, quod unus homo habeat, & alius non, posset immediate ex parte intellectus, & voluntatis provenire, n. 9. f. 539.
- Rationis usum, quod unus habeat, & alius non, non provenit ex aliquo habitu à natura concreateo, vel intellectu, vel in voluntate, qui solum sit in uno, & non in alio, vel in puero, & non in adulto, n. 10. f. 539.
- Recentiorum dictum, quod detur tempus induciarum, in quo aliquis potest deliberare, vanum est, n. 26. f. 548.
- Religionem, si quis ingrediatur, an ille, qui eum recipit possit pro ingressu aliquid recipere, n. 12. f. 478.
- Restitutio pecuniæ acquisitæ per simoniam, non est de jure divino, n. 4. f. 470.
- Restitutionem, si quis bona fide fecit dando pauperibus, vel illi à quo accepit, an teneat factum, n. 7. f. 475.

S

- S**acrificare homines Deo, ut faciunt barbari, est de jure divino, & naturali prohibitum, 7. 375.
- Sepulturæ jus privatum an possit quis obtinere, & quomodo, n. 11. f. 478.
- Simonia aliqua est omnino, & præcisè de jure positivo, n. 16. f. 437.
- Simonia an contingat circa pensiones, n. 47. f. 462.
- Simonia, an sit aliqua circa ea quæ sunt verè spiritualia, & secundum se & de jure positivo; & quomodo contractus aliquis, vel permutatio spiritualis secundum se de jure positivo sit simoniaca, n. 17. f. 439.
- Simonia omnis, an sit jure divino prohibita, & an aliqua sit solum jure positivo, n. 12. f. 435.
- Simonia, quomodo fortè esset, si preces, favor, vel laus, & amicitia deducerentur in pactum, n. 35. f. 453.
- Simonia, quomodo esset, si favor, vel preces, vel laus resolverentur tanquam precium in aliquod temporale, n. 34. f. 452.
- Simonia divino jure est prohibita, n. 10. f. 434.
- Simonia est illicita, n. 9. f. ibid.
- Simonia jure naturali prohibita est, n. 11. f. ibid.
- Simonia non committitur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spirituali creato, n. 5. f. 429.
- Simoniæ crimen, an inter paganos, & idololatrias esse potuerit, n. 20. f. 445.
- Simoniæ definitio, & quid sit, & unde sit dicta simonia, n. 2. f. 427.
- In simoniæ definitione, quid peremptionem, & venditionem intelligitur, n. 7. f. 432.
- Simoniæ peccatum in lege naturæ potuit esse, aut fuit, n. 19. f. 444.
- Simoniæ objectum circa quod versatur, n. 3. f. 427.
- Simonia omnis in Ecclesiastico beneficio, an sit juris positivi, n. 42. f. 457.
- Simoniæ peccatum in lege scripta & potuit esse, & fuit, n. 18. f. 443.
- Simoniacus, an possit esse summus Pontifex, n. 38. f. 454.
- Simoniacus an sit is, qui timore, consanguinitate, precibus, & favore, aut obsequio administrat spiritualia, n. 22. f. 445.
- Simoniacus an de jure naturali & divino teneatur restituere, an de solo positivo, n. 3. f. 468.
- Simoniaci pœna quæ sit, n. 16. f. 479.
- Simoniacum est conferre officium Ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia stimabile, ita quòd tandem resolvitur in commodum temporale; & quid si non adsit pactum expressum, vel tacitum, n. 36. f. 453.
- Simoniacum non est conferre spirituale sine respectu ad commodum, vel incommodum, timore, indignatione, n. 23. f. 446.
- Simoniacum an sit sperare beneficium spirituale ex officio temporali, n. 40. f. 456.
- Simoniace consecutus beneficium Ecclesiasticum, nihil juris acquirit



- in illo, neque facit fructus suos, sed tenetur resignare, n. 2. f. 468.
- Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, ut mortis, aut exilii, aut carceris, dummodo hoc non redundet in aliquod commodum temporale, vel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum precii, non videtur esse malum, n. 25. f. 446.
- Spirituale dare ex timore alicui digno videtur non esse malum, n. 24. f. ibid.
- Spirituale in hoc proposito vocatur donum Spiritus Sancti, n. 6. f. 431.
- Spirituale quid dicatur in materia simoniatica, n. 4. f. 428.
- Spiritualia promittere an sit simonia, n. 41. f. 456.
- Spiritualia sunt aliqua jure positivo; & quæ sint, n. 14. f. 437.

T

- T**itulus triplex recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus describitur, n. 18. f. 479.
- Temporale licet non possit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis, & venditionis, an aliquo titulo spirituali possint esse media ad aliquod temporale, 17. f. 479.

V

- V**endere Canonatum simplicem, non minus est simonia, quam vendere beneficium cum cura animarum, n. 43. f. 458.
- Verba nulla, nec exorcismi habent

efficaciam infalibilem ad cogendum daemones, & arcendum illos, ita ut semper fortiantur effectum suum, n. 24. f. 515.

- Vitam per abstinentiam ex intentione reddere brevior non licet, n. 12. f. 386.
- Vitam protelare quantum quis per alimenta possit non tenetur, 13. f. ibid.
- Vitam reddere brevior per abstinentiam, utrum liceat, n. 11. f. 385.
- Vitæ conservandæ ratione non sunt omnia media adhibenda necessario, sed solum illa, quæ ad hoc sunt de se & ordinata, & congrua, n. 35. f. 419. & 386.
- Vita non est in discrimine ponendæ pro bonis temporalibus, inter quæ gloria, honor, & fama reponuntur, n. 36. f. 420.
- Vitam abbreviare nullo modo licet, etsi non teneatur quis omnia media licita etiam facere, ut sibi vitam reddat longior, 33. f. 418.
- Vitam suam propriam quilibet tenetur conservare per alimentum, 1. f. 357.
- Usus rationis posse tolli per habitus existentes in voluntate, puta ex odio, vel amore voluntatis, est probabile, posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiva, n. 13. f. 541.
- Uti alimentis, quibus vita brevior reddatur, quando non esset peccatum, n. 14. f. 386.
- Utens quis singulari inedia, & cibo nocuo, quando non excusaretur à mortali peccato, n. 15. f. 387.



